NAZIONALE
BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
12
20 C
6 H

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

18.9.28
14-9. C. 29



...ECA NAZ.
ROMA
...TTORIO EMANUELE

DUX VITÆ
SIVE
STATERA MORUM,

Ethico-Politico-Theologica,

Admirabili & Nova Methodo tradita & in III. Tomos diviſa,

I. *Mores circa Amabilia Homini*,
II. *Fortitudinem & Iuſtitiam*,
III. *Virtutes Supernaturales cum Prudentia complectens.*

Authore
T. H. ANGLO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ELEUTHEROPOLI,
Apud PETRUM PACIFICUM,
cIↃ IↃC LXXII.

AD LECTOREM

Veritatis fidum.

T*Res te monitum vult (perſpicax Lector) hac mea ad te applicatio ; Quod fuerit Operis hujus ſuſcipiendi Conſilium , Quæ proſequendi Methodus , Quis perfecti Fructus. Primam mihi operam indicit Magnum illud Nomen* STAGIRITÆ; *Quod, cum tantorum Fidelibus ſuis emolumentorum inſtrumentum creaverit Deus , tum nuſquam feliciùs quàm in illo opere quod erudiendo in rebus humanis Filio* Nicomacho *Paternus fertur expreſſiſſe affectus. Quorſum itaque mea deſiderabatur qualiſcunque induſtria ? Auſimne tantæ & tam dilectæ mihi luci tenebras opprobrare? Non permittat bonus Genius; ſed exceptas à nobiliſſimâ flammâ ſcintillas in novam propagare eſcam , & lumen de Ariſtotelico lumine accendere quid vetat ? Hoc itaque hujus quod ſe offert tibi voluminis propoſitum eſt , ſuſceptam à Philoſopho de Moribus diſciplinam ad utilitatem & actionem humanam propiùs admovere. De Morali Diſciplinâ diſputavit Ariſtoteles , egregiè ille quidem , ipſo Momo Harpocrate reddito: Verùm aliud eſt de Moribus agere , aliud Moralem Scientiam tradere. Mores in caſtra compegit Ariſto-*

riſtoteles; Bonis pariter & Malis ſuas ſtationes circumſcripſit. Nihil elegantius Definitionibus quas coactis in ordinem humanis cogitatis diſtinxit & colligavit. Sed hæc fuit accuratiſſimi Dialectici meta ut quid rectè ſecuſve geſtum Sapientium prudentiæ appareret, hoc ſuis quodque limitibus coërceret & laborioſo opere complecteretur. Si quid communiter humanæ Naturæ vitio exerratum foret, adeò non attigit ut ne ſuſpicaretur quidem; longè minùs humanarum actionum ſeriem & quaſi rivos à Primo Boni Fonte derivare meditaretur. Hoc autem eſſe Scientiam Moralem tradere perſpicuum eſt, quod actionum noſtrarum incaſtraturas quibus aptè inhærent invicem & cum ipſa Ultimi Finis plenitudine firmiſſimè cohærent, aperire, & per hoc Neceſſitatem earundem figere, & fixam paſſivo Rationis Animo impangere. Hanc igitur huic labori propoſitam meſſem credito, ut uſque à Primo Deſiderato (cujus non ſit aliud appetendi exordium quàm in ſua ipſius formæ ſpecioſitate, & quod Omnis Boni Plenitudine ſit fœta, &, quod ſequitur, ſit ipſamet ratio Boni, & in ſemetipſo & comparatè ad appetentem) initiato progreſſuum humanæ vitæ curriculo, ad leviſſimas quaſque & contemptas ejuſdem partes perpetuus appareat nexus & ordinata

conſecutionis firmitas. Hanc ſpem ſi cum propoſita Philoſopho meta contuleris, perſpicies Effecta illum, me Cauſas perſequi: Illum ab Experimenta ad Morum quidditates ſcandere; Me à limitibus & terminis Sapientiæ, quam Metaphyſicam appellant Scholæ, ad eaſdem Morum regiones quaſi per Iacobi ſcalam deponi; ſingulos ejuſdem gradns ipſo motu metientem, & ad ſemet invicem comparantem; & quantumvis Ethicæ Philoſophiæ communi denominatione uſum, aliam tamen tibi ſeu Diſciplinam ſeu Diſciplinæ ejuſdem partem, in moderno Scientiarum uſu intactam, tradere.

Proximè opportunum eſt ichnographiam Operis delinearis; ut uni objecta obtutui fundamentorum ſeries intellectui ad penitiora viam aperiat quaſi notis & indiciolis conſtratam. Animadverſo itaque quòd Deus triplicem nobis commendaverat dilectionem; Sui nempe, Proximi, & Noſtrimet ipſorum, ſtatim in propatulo quoque fuit everſo de his ordine tractandum eſſe. Namque & Naturâ & Philoſophicâ ducibus, & Cognitionis & Amoris penes nos abſcondita capita perſpicuum erat. Unde, de ſui Amore diſputationem Moralis diſciplinæ fores obſidere eâdem operâ conſtabat. Quare, cùm Amor ſit Benevolentia ſeu bona volendi affectus patuit ad

diſſecandum Sui Amorem, quæ Bona nobiſmetipſis optanda forent eſſe diſquirendum. Neque, acceptatâ ex Philoſophiæ oraculis Animi æternitate, arduum fuit quæ ſuperſtiti in æternum placitura erant labilibus impediti corpore Spiritûs deliciis anteferre; & nata eſt protinùs Summi nobis Boni indagatio, ut ſuſcitata ex cubili quam venaturi eramus præda ſuum noſtrumque præmonſtraret iter. Hanc ſecuturi ad Corporis Animique occurſum tantiſper ſubſtitit curſus, donec quantum Animæ ad Ultimum Bonorum commoda propiùs accedunt, tantum Corporea ſuâ neceſſitate primas venationis partes occupare diluxit: Et data eſt Statio prima Delectabilibus Corpori, ut per illa calcata ad Mentis Bona gradus fieret. Utriuſque deliciarum ordinis gratia in mentem Adminiculorum uſui & potitioni neceſſariorum perpenſionem traxit, in quibus perfecta conſedit Amoris in Amantium reflexi Contemplatio.

Proximi Amor, ut ex hoc derivaretur poſcebat in Amante figi aliquem Neceſſi clavum; unde non ipſimet bonum eſſe conſtaret, niſi Proximo quoque benè eſſet. Obtulit ſe duplex; Nam neque per Communitatem Naturæ licebat ſibi bonum quicquam arbitrari quod non pariter alteri convenire neceſſum

eſſet

eſſet fateri; & plura nobis opportuna viſa ſunt, quæ citra alienam opem obtineri nequibant. Ex his derivatus eſt in Proximum Amoris affectus, & quæ ex eo ſequitur Donationis volitio; & nata eſt exprobrabilis Inconſtantiæ macula ſi Promiſſis, quæ eſt primogenita Donationis ſpecies, non fieret ſatis. Sic ad Iuſtitiam ex Pactorum natura deſcenſum eſt; & ipſa mox in Simplicem quæ ſingulorum pactionem ſequebatur, & Univerſalem quæ ad plurium inter ſe conventionem comitatur. Neque hìc ſubſtitit multiplicatio quin Univerſalis in eam pullularet quæ inter Subditos & Rectores mutua foret, & in illam quæ Subditos inter ſeſe afficeret ex eo quòd communibus ſub Rectoratu Legibus coërcerentur. Hæc omnia Tractatum de Iuſtitia ſeu Commercio humano integrare viſa ſunt. Et primò quid ſingulos obligaret inveſtigatum eſt; Deinde, quid Rectoribus Subditos, & Subditis Rectores conciliaret; & tandem quid Leges adverſus ſingulorum voluntates poteſtatis haberent. Et his limitibus conſtitit Amor Proximo impendendus.

Supererat qui Deo deberetur: Hactenus enim actum eſt ex pura Rationis rubricatione, Et, ſi quando mentio Divinorum injecta eſt, ex neceſſitate præter Methodi

conſtitutum ad advertenda Lectoris præjudicia & inſcientiæ moleſtiam devitandam actum eſt. Hìc primùm, quæ nos ad Deum Reverentia primò applicet declarandum venit; ſupra quam prout Ultimum ſperandorum in cuncta nobis agenda ubique ſe exporrexit. Deinceps, ut effectivum principium operum noſtrorum expectandum eſt. Deum verò ut eſſentialiter Entia quaſi de utero fundentem contemplari Metaphyſicæ opus eſt; Moralis ut Loquentem & Præcipientem proſequitur Fide & Obedientiâ. Et quia non niſi de ſeſe diligendo ſive loquitur ſive præcipit, Spem quoque & Charitatem adjungit; ex quibus naſcitur & intra hominem Oratio, & extùs Adoratio, quæ complectitur omnem honorem iis ſive Perſonis ſive Rebus quæ præceptis Divinis adimplendis ſerviunt impendendum. His itaque limitibus diſtinguitur de Divino Cultu ſermo; ut quid immediatè Deo, quid mutis & quid vocalibus ipſius Inſtrumentis & Miniſtris deferendum ſit, conſequenter indagatum fuerit. Et ſic tres Amores quatuor Virtutibus expreſſi ſunt, Temperantiâ & Fortitudine Amabilia quæ tum ſecundum Animam tum ſecundùm Corpus nobis ſua forma blandiuntur moderantibus; Iuſtitia actiones in alios pares nobis ſapienter derivante; & Religione nos Deo commendante.

dante. Sed, quoniam humana actio in materiali quâdam infinitate verſatur, reliqua adhuc eſt Prudentiæ cura, quæ fixos quodammodo univerſim affectus commodè ad ſingula appellat. Hoc quibus Principiis conandum ſit & quo Fructu propoſito ſingulatim expediendum, ut in Orbem & Coronam redeat ab Ultimo profecta Fine & in eundem reducta Moralis Contemplatio. Hæc eſt ædificii noſtri Ichnographia.

Quid Emolumenti ex eo ſit ſperandum hinc ordiendum; Non enim, quod ex uſu Modernorum pronum erat ſuſpicari, huc ſpectat noſter labor ut quiſque aperto volumine quid ſibi agendum ſit protinùs inveniat (quæ intentio videtur Officia, ſeu, ut hodie loquuntur, Caſus Conſcientiæ ſcribentibus propoſita) ſed ejuſmodi reſolutionum radices in abſtracto diſcutere. Quid Naturæ ex ſeſe ferat nullis dum irretita Pactorum caſſibus, Quid præmiſſi privatim Conſenſus Amplitudini Naturæ derogent; Mox, quid Mores & Publici Conſenſus ſeu Pacta; Et inter Leges & Legumlativas Poteſtates qui cui quando ſit ante ferenda; Singulis ſuam vim ſartam tenendam & tectam; Quando etiam Injuſtis inclinanda ſit cervix. Quæ omnia cùm abſtractè & communiter in hoc Tractatu ventilentur, temerarius erit quisquis ſin-

gulare aliquod dictum immediatè deducat in Actionem. Quid enim vetat quod per Naturam licet per Legem eſſe vetitum: Quantumvis enim Lex Naturam ſequi & munire contendat invenit tamen Agentem non in Naturâ ſequeſtratâ ſed circumvenientibus alienis implicitum & involutum; Unde jam aliud ſecundùm Naturam illi erit quàm quod nudè aſpecto congruebat. Lex rurſus interdum nomine gravis eſt, re non item; quando ſcilicet in Codicibus reſtat, in Actione effœta conſenuit; vel quando rixa Poteſtatum inutilem facit. Non itaque natus eſt hic libellus Actioni è veſtigio eligendæ, ſed Principiis ipſis pangendis quibus Regulæ eligendarum Actionum effingantur. Philoſophiæ itaque pars eſt, fermè Speculativæ, quam ſubigo; non ex Iure, ſed Iuri dicundo nata; quæ Leges unde ſint formandæ ſcrutetur, & ipſis illis Legem & Modum imponat. Hanc tam celſam Provinciam quâ potui Fide & Candore & Induſtria curavi, ut tibi Veri cultori non tam placerem quàm prodeſſem. Tuum eſt laborem hunc tanto gratiorem, habere quanto priorum libellorum fortuna occinit mihi fatum hujus futurum quod Magiſter Proverbialis ſuo ſic vaticinatus eſt:

Non dubito multos Lectores ſic fore Stultos
Ut ſint dicturi Liberi hic quòd debeat uti.

I N-

INDEX
EXAMINUM
ET
TRUTINATIONUM
Quæ in hoc primo Tomo continentur.

EXAMEN.
PRIMUM.
De Summo Bono.

Trutinatio I. Beatitudinem non conſiſtere in Voluptate Senſitivâ. 4
II. Beatitudinem non conſiſtere in ſola Virtute. 11
III. An Virtus ſit ſolum Bonum, & quando incipiat Beata vita? 19
IV. An ad Apathiam perveniri poſſit, & an Virtus ſit in noſtra poteſtate? 26
V. An Peripateticorum ſententia ſit prioribus præferenda? 35
VI. Naturæne ductu an Vitio Philoſophi erraverint? 44
VII. In quo poſita ſit vera Beatitudo? 49
VIII. In quo conſiſtat ratio Virtutis. 55

EXAMEN SECUNDUM.

De iis quæ grata ſunt homini ſecundùm Corpus.

Trutinatio I. De Vitæ & Membrorum, maxime Senſuum, Æſtimatione. 62
II. De Voluptate Senſuum in genere; & ſpecialiter de eâ quæ eſt ſecundùm Guſtum. 73
III. De Voluptate Venereâ. 82
IV. De aliis Voluptatibus ſecundùm Tactum. 96
V. De Matrimonio ex ſolâ Naturæ vi. 103
VI. De Conſanguinitate. 109
VII. De Imperantiâ in Pudoris violatione. 117
VIII. De Intemperantiis quæ circa Actum Generationis accidunt. 122
IX. De Intemperantiis circa Subſtantiam Generationis. 129
X. De Impudicitiâ & Comparatione Intemperantiarum. 134

EXAMEN TERTIUM.

De Intrinſecis, gratis homini ſecundùm Mentem.

Trutinatio I. De Cognitione & Virtute. 142
II. De Scientiis, & earum comparatione. 150
III. De Vitiis circa Cognitionem. 157
IV. De Veritate & Mendacio. 166

V. De

V. De Derivatione Veritatis in operationis hominis, & de Hiſtoriâ. 176
VI. De Artibus quæ dicuntur *Liberales*. 182
VII. De Veritatis in alios extenſæ Voluptate. 190
VIII. De Virtute Humilitatis. 196

EXAMEN QVARTUM.

De Extrinſecis Appetibilibus.

Trutinatio I. De Honore, Famâ & Gloriâ. 204
II. De Peculio, Opibus & Potentiâ. 210
III. De Benevolentiâ erga alia. 219
IV. De Perſonis Amabilibus. 225
V. De Ordine Perſonarum Amabilium. 231
VI. De Bonorum Exteriorum Appetentiâ. 240
VII. De Liberalitate, Beneficentiâ & Commiſeratione. 248
VIII. De Gratitudine, Pietate & Obſervantiâ. 256
IX. De Eutrapeliâ. 262

IN-

DUCIS VITÆ
SIVE
STATERÆ MORUM,
Ethico-Politico-Theologicæ,
TOMUS SECUNDUS.

Complectens Fortitudinem & Juſtitiam.

Authore
T. H. ANGLO.

ELEUTHEROPOLI,
Apud PETRUM PACIFICUM,
CIↃ IↃC LXXII.

INDEX
EXAMINUM
ET
TRUTINATIONUM

Quæ in hoc ſecundo Tomo continentur.

EXAMEN.
QUINTUM.

De Fortitudine.

Trutinatio I. De Malis quæ Fortitudo amplexatur vel rejicit. 273

II. De Morte & Mortis Periculo amplexandis. 279

III. De Pœna & Dolore. 289

IV. Quando acceptandæ ſunt Pœnæ. 296

V. De comparatione Fortitudinis ad Pœnas. 305

VI. De Actu & Habitu Fortitudinis, eorumque Subjecto. 314

EXA-

EXAMEN SEXTUM.

De Generatione & Principiis Iuris & Legum.

Trutinatio I. De Obligatione voluntariâ. 324
II. De Obêdientia in communi. 331
III. De Iuſto, ſeu Iure. 341
IV. De Diviſione bonorum, an ſit ex Natura. 350
V. De Iure inter Nationes ignotas ſibi. 356
VI. De Iuſtitia Legali inter Magiſtratum & ſubditos. 360

EXAMEN SEPTIMUM.

De Legibus & aliis Pactis Fœderatorum.

Trutinatio I. De vi & Materia Legis. 371
II. Ad quæ ſe extendat Materia Legis. 382
III. De Iuſtitia Legali in ordine ad Subjectum. 391
IV. An Promiſſio perfecta ſit revocabilis. 396
V. De Pactis Gentium, & Belli Motivis. 404
VI. De Vindicta, & motivis Belli ſecundariis. 411
VII. An fides ſervanda ſit Infidelibus. 418
VIII. De Facto Concilii Conſtantienſis verſus Hæreticos in eo condemnatos. 423
IX. An Concilium violaverit Salvum Conductum Hæreticis datum. 433

EXA-

E X A M E N
OCTAVUM.
De Contractibus & Æquitate.

Trutinatio I.	De Donatione in Vita & Morte.	442
II.	De Permutatione, & ejus Diviſione.	452
III.	De Elocatione rerum uſu conſumptibilium.	459
IV.	De Uſura & Cambio.	466
V.	De Voce & Mente Legis.	471
VI.	De iiſdem.	480
VII.	De Diſpenſatione & Privilegio.	486
VIII.	De Ceſſatione Legis.	497

D U-

EXAMEN SEXTUM.

De Generatione & Principiis Iuris & Legum.

Trutinatio I. De Obligatione voluntariâ. 324
II. De Obedientia in communi. 331
III. De Iuſto, ſeu Iure. 341
IV. De Diviſione bonorum, an ſit ex Natura. 350
V. De Iure inter Nationes ignotas ſibi. 356
VI. De Iuſtitia Legali inter Magiſtratum & ſubditos. 360

EXAMEN SEPTIMUM.

De Legibus & aliis Pactis Fœderatorum.

Trutinatio I. De vi & Materia Legis. 371
II. Ad quæ ſe extendat Materia Legis. 382
III. De Iuſtitia Legali in ordine ad Subjectum. 391
IV. An Promiſſio perfecta ſit revocabilis. 396
V. De Pactis Gentium, & Belli Motivis. 404
VI. De Vindicta, & motivis Belli ſecundariis. 411
VII. An fides ſervanda ſit Infidelibus. 418
VIII. De Facto Concilii Conſtantienſis verſus Hæreticos in eo condemnatos. 423
IX. An Concilium violaverit Salvum Conductum Hæreticis datum. 433

EXA-

E X A M E N
OCTAVUM.

De Contractibus & Æquitate.

Trutinatio I.	De Donatione in Vita & Morte.	442
II.	De Permutatione, & ejus Diviſione.	452
III.	De Elocatione rerum uſu conſumptibilium.	459
IV.	De Uſura & Cambio.	466
V.	De Voce & Mente Legis.	471
VI.	De iiſdem.	480
VII.	De Diſpenſatione & Privilegio.	486
VIII.	De Ceſſatione Legis.	497

D U-

Digitized by Google

DUCIS VITÆ

SIVE

STATERÆ MORUM,

Ethico-Politico-Theologicæ

TOMUS TERTIUS.

Complectens Virtutes Supernaturales, cum Prudentiâ.

Authore

T. H. ANGLO.

ELEUTHEROPOLI,

Apud PETRUM PACIFICUM,

cIↃ IↃC LXXII.

INDEX
EXAMINUM
ET
TRUTINATIONUM
Quæ in hoc tertio Tomo continentur.

EXAMEN NONUM.
De Fide Supernaturali.

Trutinatio I. An Fides poſſit eſſe tantum Probabilis. 505
II. An Fides ſit obſcura. 519
III. An Traditio efficiat Fidem Infallibilem. 531
IV. Unde dignoſcatur quid ſit de Fide. 543
V. Quando profitenda ſit Fides. 550

EXAMEN DECIMUM.
De Spe, Charitate, & Oratione Supernaturali.

Trutinatio I. De Virtute Spei. 562
II. De Eſſentia Charitatis. 572

III. De

III. De Charitate in Proximum. 582
IV. De Oratione eſſentiali & ſpeciali. 589
V. De Perfectione & gradibus Orationis. 597
VI. De Obigatione & Perfectione *Voti*. 606

EXAMEN.

UNDECIMUM.

De Adoratione & Iuramento.

Trutinatio I. De Adoratione, & ſpecialiter de Vocali. 615
II. De Superſtitione & Prophanitate. 622
III. De Juramento & Adjuratione. 626
IV. De Adoratione alioum prropter Deum. 633

EXAMEN.

DUODECIMUM.

De Poteſtate Eccleſiæ & Hierarchiâ.

Trutinatio I. De Poteſtate Eccleſiæ circa Doctrinam 647
II. De Poteſtate Eccleſiæ circa Ritus & Perſonas. 655
III. De Poteſtate Excommunicationis. 662

IV. De

IV. De Poteſtate Eccleſiæ in Mores, & de habentibus eam. 673
V. De Poteſtate Superiori Epiſcopali. 683

EXAMEN DECIMUMTERTIUM.

De Poteſtate Papæ; & Obedientiâ reſpectivè ad omnes Poteſtates.

Trutinatio I. De Papæ & Concilii comparatione 691
II. De Papæ in Eccleſiam Poteſtate. 700
III. De comparatione trium Poteſtatum in Mandatis Juſtis. 713
IV. De comparatione earundem Poteſtatum in Injuſtis Mandatis, & aliis particularibus. 726
V. De Obedientiâ Oeconomicâ & Regulari. 735
VI. De Obedientiâ particularium. 751

EXA-

EXAMEN
DECIMUMQUARTUM.

De Prudentia.

Trutinatio I. De Principiis Prudentiæ. 757
II. De modo procedendi Prudentiæ & Certitudine quam facit.
III. De Effectis Prudentiæ circa Paſſiones & Voluptates.
IV. De Effectis Prudentiæ circa Beatitudinem. 796
V. Proſecutio eorundem. 807

FINIS.

INSTITUTIONUM ETHICARUM, SIVE STATERÆ MORUM, EXAMEN PRIMUM, DE Summo Bono.

INTRODUCTIO.

1. POſtquàm è Cælo devocatam Philoſophiam ad Civitates alligavit Sophroniſci Filius, nihil Amatorũ ipſius ingenia magis exercuit quàm illa quæſtio, quid homini in hâc vitâ, *dum laborat ſub Sole* (ut loquitur Sapiens) ſectandum ſit; ſeu, in quo poſitum ſit illud Bonum, quod *Beatos* faciat? Hæc quæſtio adeò venerandâ ſpecie puriores perſtrinxit oculos, ut nonnunquam cæteras Naturæ partes aſpernarentur; nihilque præterea

 eſſe,

eſſe quod hominem ad Philoſophandum trahere potens foret, & æſtimarent, & profiterentur. Tanti denique fuit, ut, in cujus quiſque Magiſtri verba in hâc lite conceſſiſſet, ipſius gregi aſſignaretur.

2. Sicut autem Bona humana manifeſtè alia ſunt Animæ, alia Corporis, Fortunæ alia; ſic trivio diſtinctus eſt ſtudioſorum (ſaltem quoad externam ſpeciem) Philoſophiæ actus. *Epicurus* enim (ſi Tullio credimus ipſiuſmet Axiomata propriis vocibus recitanti) in ſolis ſenſuum delectationibus Felicitatem collocabat; ſin veriſimilitudini acquieſcamus, incertus, & Logicæ ſemitæ contemptor, modò ſeveriores voluptates jactabat, modò in lutulentiones revoluebatur.

3. *Stoici*, ab oppoſito extremo, ad ſolum Summum Animæ in agendo Bonum jaculabantur; & Virtutem ſolam, exertis omnibus neruis, ſuſtinere & ſuſtollere videbantur. Sed, poſtquàm ingenti faſtu Virtutem ſolam crepaverant, & ſolum Bonum eboaverant, reliqua omnia eſſe commoda quædam, & præponenda & præeligenda malis, & hoc propter ſe, & non ut purè media ad Virtutem, agnoſcebant, & humanâ proſecutione dignabantur.

4. *Peripatetici*, & eorum Princeps *Ariſtote-*

riſtoteles,ſic Animi Corporiſque Bona cum Fortunæ indulgentiâ maritabant, ut Summam quidem Felicitatem in omnium affluentiâ; ſubſtantialem verò & capitalem, quæque ſola hominem Beatum reddebat, in Contemplatione Primi Entis, hoc eſt, virtute intellectuali,non activâ ſed activarum fine collocarent. Diſſidebant itaque, quantum apparet,in principalis Boni determinatione hæ Sectæ; in complexione verò, ſive in adæquatâ ſatisfactione Animi humani, conſentanei erant.

5. Noſtrâ non refert litigia eorum minutiùs ſectari, ſed ipſam rerum differentiam componere ſatagendum eſt. Quantumvis enim tum in Metaphyſicis, tum in Theologicis, jejunè & σκελετοειδῶς ad illarum ſcientiarum normam deciſam reliquerim litem, Diſciplina tamen Moralis, ut quæ ad plurium ſit uſum inſtituta, uberiorem & ad medium hominum gradum accommodatiorem diſſertationẽ poſtulat.

6. Ne autem in Principiis non animadſus error totam deinceps maſſam commaculet,advertendum eſt, non hîc quæri quid ſecundùm naturam *fiat*,ſed quid *agendum ſit*. Eſt enim Natura (ut loquuntur Theologi) corrupta, neque tàm agit quàm à cohabitante beſtiâ agitur, donec per exerci-

tium Ratio vires colligat, & videat quid ipſam agere oporteat. Eſt itaque præſens quæſtio non quomodò Homo agat vel quid ſequatur; ſed, quid, ſecundùm rectam rationem, pro Fine totius vitæ eligendum & acceptandum ſit, ab homine qui ratiocinatione indagat quid ſibi ſit factu optimum.

TRUTINATIO

PRIMA.

Beatitudinem non conſiſtere in Voluptate Senſitivâ.

1. FUerunt itaque, qui has toti Animalium generi communes Voluptates quæ ſenſuum delectationibus comprehendùntur, ſolum Generis Humani fructum exiſtimarent; & in eo ſitam Naturæ noſtræ excellentiam; & Sapientiæ Virtutúmque in eo ſedere vim, ut ad has ſecuriſſimè & copioſiſſimè perveniatur. Quorumnam fuerit hæc ſententia nos non attinet. Neque inde iis calumniam ſtruo quòd Belluas & Inſecta nobis conjugent, in ipſo ſummo rerum apice ad quem aſpirare poſſit Natura: Reſponſarent enim, nequaquam hoc fieri: Animalia enim iſta non eſſe cognoſciti-

citiva, neque aliud quam machinas quaſdam naturales; imò gradus & baſim quandam cui ſuperponeretur Rationalis Anima & Voluntas: Sed ipſum ductum Naturæ in iſtis Animalibus, quaſi digito protenſo, nobis demonſtrare de quo jucundari oporteat, & per communem in nobis indolem ad ea provocare. Veruntamen, non eſt hæc Epicureorum defenſio; qui, cùm præter corporea nihil oboleant, præcipuam aliquam in homine cognitionem non agnoſcunt.

2. Quod itaque accuſo eſt, eos ſuæ diſciplinæ eſſe imperitos; &, cùm velint Voluptatum Magiſtri audire, eam non docere. Cur enim, cùm Voluptas univerſitatem Actionum noſtrarum comprehendat, ad unam partem nos alligant, & neque ipſa Animalia & Infantes, ad quos provocant, ipſi ſequuntur? Agnellos & hinnuleos, Pueros & Puellas contemplentur; quid illis ludo & exercitio moderato jucundius? Canes aſpice & feliculas, quibus diſcurſibus, morſicationibus, fugis, inſectationibus, luctationibus ſeſe diſſuaviari & inter ſe deliciari conſueverunt? Doceant nos jam quo ſenſu intimetur ea jucunditas quæ in his motibus adeò præluſtris eſt, vel agnoſcant non ſolis Senſibus fundari Voluptatem.

3. Attamen, ſi non omnes, ſaltem dulciores proponunt nobis. Decuiſſet equidem. Sed curuæ in lutum animæ neque Laudem ſaltem ſereno guſtavere affectu: Certè, ſi ſalientem ad oris approbantis plauſum fibram pectoralem conſcii perſenſiſſent, cænoſa præ Laude gaudia contempſiſſent. Imò, neque ipſi arriſerunt facetè dicto, neque in aliis anhelantes venas & exhauſtum vincente voluptate ſpiritum & fatiſcens corpus animadvertêre. Sacras nunc & ſecretas Animorum delicias, quæ in Scientiæ ſive incremento, ſive placidâ quodammodò relectione ardent, quæ in actione ſanctâ fulgent, quæ in ipsâ conſcientiâ tuæ ſupra alios excellentiæ, quos ab alto deſpicis *Errare atque viam palantes quærere vitæ*, his objicere, eſt Sapientiam ludibrio, te aprinis rictibus offerre.

4. Satis ſit notaviſſe non in ipſis Senſibus, ſed in Spirituum circa cor Diaphragmatis nervo blandientium titillationè, ſitam eſſe omnem corporatam delectationem; quæ, quò liberiorem & magis nativam & ingenuam citationem habet, eò defæcatior, & quaſi ſaccharatior, eſt ipſa Voluptas. Paſſiones autem quibus naſcuntur ſenſuum delinimenta, non patiuntur tantum ſpirituum candorem & lucem.

5. Sed

5. Sed & in ſummis Senſuum Voluptatibus quid delectet, audi ab expertis. Qui reprobaverat formoſam corpore, concludit; *Lesbia formoſa eſt, quæ cum pulcherrima tota eſt, Tum omnibus una omnes ſurripuit Veneres.* Et alius, cum formam & veſtes laudâſſet, ſubjunxit; *Non ſum de nihilo blandus amator ego.* Commemorat deinde quibus moveretur; videlicet, artibus, ſaltitatione, citharíſatione, & tandem. *Quòd ſua cum antiquæ committit ſcripta Corinnæ, Carminaque Erinnes non putat æqua ſuis.* Si itaque hæc, etiam in ipſo fumo carnis incarcerata, ſunt quæ acrimoniam & vitam voluptati inſerunt, quantò delicatiora cenſenda ſunt, cum pura & ſuâ refulgent face?

6. Alia hujus ſententiæ labes eſt, ad Communitatem Humani Generis non reſpexiſſe; & felicitatem in eo locaviſſe, quod non malè nati ex naturâ horreſcant, alii non niſi coacti ſentiant. Frigidos ad Venerea legimus, & vidimus; *Socratas* & *Xenocratas*, fortaſſis exercitatione; ſed *Alipios, Xaverios, Bonaventuráſque* ipſâ naſciturâ. Hujuſmodi Generis noſtri Heroibus Beatitudinem abſtulit ejuſdem Pater & Author? Roſas horreſcunt aliqui; zibethum, muſcum & ſuccinum marinum alii;

tantundem de eſculentis & liquoribus pro ferre licet, quòd ſuos Antipathetas habeant. Scilicet horum deliciorum gratia in medio quodam, vulgato quidem & pleriſque caro, ſed non neceſſario, ſedet, & adverſa poteſt eſſe diſpoſitioni quæ ratiocinii deliquium non ſecum trahat: Ea autem diſpoſitio quæ Beatitudinis adverſatur appetitui, cum Ratione ſeu naturâ Hominis nullo modo conſiſtit.

7. Verùm, hoc quoque inſpiciendum eſt cui voluptatum progeniei majores vires indiderit natura. Cùm enim Beatitas ſit totius Vitæ & actionis Domina, palam eſt hoc alieniſſimè ab ipſius Indole ſe habere quod minorem ſortitum eſt movendæ voluntatis poteſtatem. Quare, cùm natura humana, ſicut cæteræ materiales, ex potentiâ in actum ſeu ex imperfectâ in perfectam proficiat, manifeſtum eſt & ipſam imperfectiorem eſſe in principiis, & quæ vim in illam cum imperfecta eſt poſſident, etiam ipſa debiliora iis eſſe quæ poſtmodùm in perfectam potentiâ prædita ſunt: Palam eſt autem Infantium & Adoleſcentium motiva eſſe Voluptuoſa, Virorum verò & Senum quæ ad ſcientias & honores ſpectant. Paris rationis eſt, quod Voluptatum & motus & incentiva *communia* ſunt & cum belluis

luis participata, Scientiæ & Honores *propria* hominis; cùm itaque communia ſint materia ſpecialium, & præviæ quædam præparationes, evidens eſt excellentiam & præcipuam vim in iis expectandam eſſe quæ Hominum ſunt *propria*.

8. Ipſos quoque effectus ſciſcitemur. Neque inficiandum eſt & Amoris & Doloris ingentia extare monumenta, tum quoad proſecutionis diuturnitatem, tum quoad violentiam actionum: Attamen, ſi componamus ambitionum tædia, & vigilias, & cautelas, & præſtolationes, & deſperationes; longè & violentiores & obnixiores apparebunt, & magis tum quotidianas, tum univerſales. Quid dicam de ſcientiarum Voluptate, & Virtutis? hujus exercitium eſſe propoſitam ſeriò mortem, ut in *Regulis, Deciis, Codris*: Illi conſecratum eſſe ſolenniter ævum ipſum, quàm longum eſt, & in ipsâ morte diſcendi deſiderium non finiri. Collatâ itaque cum violentiâ diuturnitate, manifeſtum eſt majores eſſe Virtutis Effectus & voluptatum ſuperiorum quàm cænoſarum. Multa poſſent adjici de frequentiâ peregrinationum ſtudiorum ſeu ſcientiæ causâ (peregrinos enim Amoris causâ vel finxit Poëtica, vel vix ſingulæ ætates viderant) His adjice labo-

res Religionis cauſâ ſuſceptos, ſive in bellis, ſive in cultu Idolorum. Sed ſatius eſt ea ſectari quorum evidentia ipsâ vi rationis conſtat.

9. Cùm itaque ex ipsâ notione Beatitatis clarum ſit eam eſſe hujuſmodi bonum quod rapiat ipſam voluntatem & reſiſtentiâ ipſius valentius ſit, quanta eſt ſtupiditas eam in iis collocare quæ ipſimet Magiſtri fatentur eſſe moderanda; imò, quæ ipſa Voluntatem non moveant, ſed quibus Voluntas ipſam ſemet applicare debeat ut voluptatem in iis perſentiſcat? Notum *eſt* axioma illud Paraſiticum, ut *cogitemus quæ voramus*, alioqui ſcilicet perit edendi & potandi lepos. Notæ ſunt querelæ quiritantium aſcititias voluptates non ſapere quando animus alibi eſt; ut illius, qui cùm in abſentiâ Amicæ conduxiſſet aliena doloris ſolatia, conqueritur *Lanuvii ad portas, Heu mihi! ſolus eram.* Palam eſt itaque Voluptuarios hos in contemptis & viliſſimis rebus Beatitudinem collocaviſſe. Unde & ipſi hujuſmodi voluptatum aſſeclæ fere viliſſimi hominum audiant, utpote vitiis exprobrabilibus inquinati; è diverſo, Ambitioſi, Famæ appetentes & Curioſorum venatores ab ipſo genere humano ſuſpiciendi exiſtimantur, illuſtriore duntaxat

xat ipſius parte eorum errorem diſcernere valente.

TRUTINATIO SECUNDA.

Beatitudinem non conſiſtere in ſolâ Virtute.

1. STоicorum ex adverſo nos avocat ab hâc contemplatione clamor; ut quid illi tanto promittant faſtu exploremus. Beatam, inquiunt, vitam in ſolâ Virtute eſſe conſtitutam nos prodimus; Virtutem eſſe ſolum & unicum Bonum; eâ habitâ, omnia haberi quæ deſiderari poſſint. Et huc uſque non magnificè tantùm ſed etiam verè dictum eſt.

2. Quoniam enim ratio Virtutis omnes actiones noſtras complectitur, quorum nulla rectè non agi debeat, clarum eſt omnium rerum uſum vel fruitionem rectè nomine Virtutis appellari. Sic itaque, ſive quis divitias, ſive voluptates, ſive honorem & potentiam appetat vel fruatur, Virtus eſt totum quod appetit & quo fruitur. Cùm itaque nihil quiſquam appetat niſi ad fruendum vel utendum, non inconvenienter dicetur ſolam Virtutem appetere; &,

quocunque rectè utitur vel fruitur, Virtute uti & frui. Verùm, an propterea Beatus dici debeat ulteriùs inveſtigandum eſt. Concedi itaque poteſt, ſiqua ſit in hâc vitâ Beatitas, illam in Virtute poſitam, & quodammodò in ſolâ; quia, in quocunque ſita eſt, ſive in Voluptate, ſive in Scientiâ, vel Potentiâ, non dubitabit Epicureus quin in his, ſeu harum uſu ſapiente & ex Virtute, ſita ſit. Sed ulteriùs deſideratur, an ſpecialis materia Virtutis ad Beatitudinem ſit requiſita; quam, præter Stoicos, omnes flagitant.

3. Hi autem objectum Deſiderii volunt eſſe ſolum Honeſtum; hoc eſt, quod ex ſeſe laudem mereatur, etſi nullam voluptatem, nullam utilitatem ſecum conducat. Ad hoc primò offenditur: Cur enim Honeſtatem quæ eſt in ipsâ Voluptate & Utilitate oporteat averſari? Nulláne eſt Virtus corpus curare, quod Temperantiam ſolemus appellare? quæ non tam verſatur in exceſſu prohibendo, quàm in idoneo ſumptu applicando. Si cibus corpori eſt congruus, Virtus eum efflagitat: Si meliùs maſticatur, tranſmittitur, digeritur, quia lenocinatur palato, hoc ipſum lenocinium amplexari imperabit Ratio, amplectetur Virtus. Nulláne in augendâ familiâ, in con-

conſulendo proli,ut rectè educetur,ut commodè poſt Parentum deportationem inter ſuperſtites vivat, quæ ſine lucello expediri non poſſunt? Nónne itaque ipſum lucrum & Utilitatem nobis commendabit Virtus?

4. Verùm, implicat quæſtionem, non explicat reſponſio Stoicorum. Cùm enim quæſtio ſit de Summo Bono ſeu Ultimo Fine, ſeu quid ſit illud ad quod dirigendæ ſunt actiones totius vitæ? reſpondent illi, eſſe Virtutem. Quid autem eſt Virtus? Certè non poſſunt (ſi methodi tenaces ſunt) aliud dicere,quàm eſſe actionem,quæ,omnibus penſatis,optima ſit ad ultimum Naturæ Finem ſeu Summum Bonum conſequendum. Nihil itaque explicant; ſed, cum interrogantur in quo ſitum ſit Summum Bonum, vel reſpondent, in agendo verſus conſecutionem Summi Boni; vel ſi (quod videntur intendere) Virtus ſit Summum Bonum, reſpondent Summum Bonum in Summo Bono eſſe conſtitutum: Hoc enim, quid ſit Virtus? æque vel magis implicatum eſt,quàm in quo ſit poſitum Summum Bonum. Certè enim Actio ſapiens & ex Ratione facta, Virtus eſt. Ratio autem actionem ad aliquem finem exteriorem, & conſequendum per actionem, dirigit. Virtus itaque plerumque ad finem, non ſuus finis eſt.

5. Ad-

5. Addo his, Virtutem non eſſe aliquid quod ex ſeſe fixum ratum ſit, ſed in ſingulis perſonis & actionibus variari, ut nunquam prorſus idem agendum ſit, ſed in ſingulis eventibus per Prudentiam judicandum quid oporteat agi, quid negligi. Et, quantum nobis inveſtigare conceſſum eſt, nemo hominum unquam actionem aliquam perfectè & ſecundum ſcientiam egit, niſi qui comprehenſionem univerſalem Naturæ habuit Chriſtus Dominus: cæterorum actiones aut in ſemetipſis imperfectæ fuerunt, vel certè quoad ipſos; ut ipſi non poſſent comprehendere ſe optimum quod factu erat reâpſe effeciſſe. Impoſſibilis itaque prorſus eſt Beatitudo quæ in Virtute conſiſtit. Et hæc de Virtute vera ſunt, ſi ſpectetur ut de ſe deſiderabilis: Sin autem, ut per quam ad aliud tendatur, tum ſufficit Virtuti illa perfectio quæ ſatis eſt effectui conſequendo.

6. Proximum eſt, quòd ipſum nomen *Boni* vel non intelligant, vel æquivocè utantur. Cùm enim dicatur Voluntas Bona quia appetit Bonum, palàm eſt rationem Boni priùs in Rebus inveniendam eſſe quàm in Voluntate: Et ſic, in Rebus eam quærunt reliqui Philoſophi; Stoici ad hanc quæſtionem, Quid quærendo vel acqui-

rendo

rendo habetur Beatitudo? hoc eſt, quid oportet quærere & deſiderare? reſpondent, oportet rectè quærere & deſiderare. Virtus enim non eſt aliud quàm volitio Boni vel quæſitio ejus quod oportet. Inſcitiſſimè itaque reſpondent, vel magis non reſpondent, quæſito.

7. Attamen, Bonum, (inquiunt) eſt quod Honeſtum, & Honeſtum quod ex ſeſe laudem meretur. Peto, cujus aut quorum laudem? Vulgi? Profitetur eam contemnere Stoicus. Sapientium? Difficile eſt omnes Sapientes convenire in Judicio de quâlibet actione. Epicurei (niſi lapidari metuant) *Regulum* inſanum dicent, & ſtultos *Decios*. Pauca videmus undequaque probari in eâdem natione: Quid fiet ſi diverſorum morum Sapientes adhibeantur? Deinde, qui ſunt Sapientes, aut quorum ſuffragiis eligendi? Hæc itaque Regula plena tenebrarum eſt; &, ut ſuccinctè loquar, laudant plerique quæ ſibi emolumento ſunt. Lex itaque Honeſti Stoico noſtro eſt, ut faciat ea quæ concivibus ſint commoda; hoc eſt, per quæ licebit eis luxuriari & bacchanalia vivere, dum ipſe Curios ſimulat, & eadem, voce tenus, deteſtatur.

8. Itaque colligis reâpſe plerumque vaniſſi-

niſſimum fuiſſe hominum genus,& in Laude Beatitudinis naturam poſuiſſe & inani titillatione. Cùm enim non aliud habeant Bonitatis indicativum quàm Laudem, clarum eſt ad Laudem in deligendis actionibus ſuis reſpexiſſe, & Laudem feciſſe eis amabilem actionem quam prætulerunt alteri. Quòd verò hanc interiùs ſeveriſſimè contempſerint, cum lex actionis & totus exterior modus ad eam conformatus fuerit, ---- *credat Iudæus apella*, *Non ego* ---- Quod enim in Animo eſt, neceſſum eſt in Actione ſplendere; ſed in Actione (ſi regulam ſuam ſequantur) ad Laudem adæquatè reſpectum eſt, & per conſequens nihil ei difforme in illâ poteſt relucere. Non itaque aliud in Animo fuit.

9. Et, ſi hiſtoriam conſulamus, quid in iis illuſtre eſt niſi libertatem, potentiam, divitiarum copiam, & gloriam ſuis civitatibus comparaviſſe? Quæ tamen ipſimet ex bonis rejiciebant; &, quod deterius eſt, in iis acquirendis ſuis populis, qui minùs iis uti ſciebant, Virtutem & Bonitatem collocabant. Verùm enimverò inſinuemus illis quam non ſuſpicabantur veritatem; putà, non eſſe poſitam Virtutem in Laudabilitate, cùm è diverſo Virtus omninò non ſit laudabilis: Laudari enim non poteſt quod non

non cognoſcitur, neq; Virtus cognoſci poteſt. *Nemo* enim *ſcit quid ſit in Homine niſi Spiritus Hominis qui in ipſo eſt*. Laudantur itaque ſimulachra Virtutum, & exteriores ipſius vel demonſtrationes vel ſimulationes: Unde & non rarò fallunt quæ de Virtute & Sanctitate feruntur Judicia, dum Satanas interiùs fingit ſe Angelum lucis. Vana itaque eſt tota Stoicorum hypotheſis, ex Laudabilitate Bonitatem manifeſtante.

10. Attamen cedamus Stoicos voluiſſe illud *Honeſtum* dicere quod Rationi conforme eſt. Primò, nihil reſpondent: Hoc enim in quæſtione erat, quid ſit illud quod Ratio petit, & pro Ultimo appetit? Rurſus, Ratio, quicquid petit, vel accipit illud per ſe congruere ſubjecto cui appetit, vel propter aliud: Et, ſi quicquam vult propter aliud, neceſſe eſt ut priùs aliquid propter ſe velit. Eſt itaque aliquid quod virtuosè petitur propter ſe, & quod non ſit Virtus, cùm ſit Objectum virtutis. Falſum eſt itaq; primum Per-ſe-volitum eſſe Virtutem. Cùm itaque Beatitudo vel ſit unum Per-ſe-primò-volitum, vel ex pluribus per-ſe-volitis conflatum, clarum eſt non in Virtute poſitam eſſe Beatitudinem.

11. Aliud

11. Aliud Stoicorum deliquium eſt, quòd non explicant in quâ Virtute collocata ſit Beatitas. Cùm enim Supremum Bonum non ex alio æſtimãdum ſit ſed ex ſeſe, vel quicquid eſt virtutis ad Beatitudinem Stoicam congerendum eſt, vel aſſignanda quæ & quanta ſit neceſſaria. Adjice, non Habitu virtutis ſed in Actu & exercitio locandam eſſe Felicitatem? alioqui & dormienti & vel ſtipiti tribuemus Beatitatem, & ipſis exprobrabitur quicquid adverſus Indolentiam Epicuri accumulant ipſi Stoici. Et nihil evidentius quàm non eſſe in ſummo, neque Summum Boni, Beatitudinem, ſi in Habitu ſita eſt; poſtquam Habitus propter Actum, & Actus Habitu potior ſit. Pronunciet itaque Stoicus in Universâ virtute poſitam eſſe Beatitudinem; non è veſtigio convincitur eſſe impoſſibilis?

12. Virtus ſiquidem plerumque non uno actu ſed pluribus acquiritur, & petit exercitationem cõtinuatam; Aliquarũ autem virtutum exercitia ſunt incompoſſibilia; ut, Magnificentia non poteſt in paupertate exerceri, Patientia in proſperis, Fortitudo ſine periculis; & ipſa præcipua, quæ in periculo Mortis non evitando ſe prodit, ſæpè non niſi ſemel occurit: ipſa certè obitio non repetitur, ut in habitum & perfectam vir-

virtutem proficere poſſit. Præterea, ſi in Virtutis exercitio Beatitas excellit, quærenda erit ſummarum Virtutum materia, ut Equulei, cataſtæ; dolores nephritici & podagrici arceſſendi erunt: Exilia ſimiliter & injuſtæ ſententiæ, & infamiæ conquirendæ & emercandæ erunt, quæ tamen poſthabenda, &, ſi non omninò, certè præ contrariis repudianda & fugienda eſſe agnoſcunt ipſi Stoici. Quoniam itaque omnibus viribus quærenda eſt Beatitudo, certè non in Virtute thronum ſuum firmavit.

TRUTINATIO
TERTIA.

An Virtus ſit ſolum Bonum, & quando incipiat Beata Vita?

1. EUndémne dicam, an novum Stoicorum errorem quòd ſolam Virtutem appellare velint Bonam, cætera quæ homines ea appellatione dignantur è catalogo Bonorum delentes: In quo adverſus Logicæ Methodum & principia Hermenias peccant; quorum eſt ſcopus & Officium, quid Homines explicare intendant per vocum mediationem indagare, non adverſus men-

mentem humani generis immutare vocum ſignificationes, & ad unum aliquod determinare, quod ii, penes quos eſt poteſtas Vocum, ad plura extenderunt. Et hoc non imperitiâ (ſagaces enim erant Logicarum regularum inveſtigatores) ſed ſuperbiâ, ut faſtum & nomen ſibi conciliarent, actitabant. Oportebat itaque Voces acceptaviſſe, ſenſa non confudiſſe.

2. Sed hoc intueamur, an cætera non ſint bona, & ſpecialiter Voluptas Senſitiva, quam tantopere contemnunt, in illo ipſo ſenſu, ſeu ſub illâ definitione Boni quam ipſi tradunt. Quid enim ſonat iis Vocabulum Boni? num aliud quam quod *ſecundum naturam* eſt? ſi aliud dicant, ſeſe explicent. Ego ſiquidem non aliud ex dictis illorum capio. Natura modò Hominis, quid notat? Credo reſponſuros Rationem. Tum Ratio in quo poſita eſt, niſi in diſcretione Veri à Falſo, quo modo ab Homine exercetur? Homo autem Perſona eſt Verũ à Falſo non ſine inſtrumentalitate corporis ſegregans. Eſt itaque Natura in Homine principium Veritatem elucidandi, ex Corpore & Animâ conſtans: Et quicquid huic Veritatis principio conforme eſt, Naturæ conforme ſeu ſecundùm naturam eſt: Sed palam eſt Voluptatem & quæ alia rejicit è Bonis Stoicus

eſſe

eſſe conformia Homini ſecundùm corpus: Manifeſtum eſt itaque eſſe bona in illâ Boni acceptione quam ipſi ſibi Stoici fingunt & aſſumunt. Sed volunt Stoici Hominem eſſe ſolam Animam, cujus organum ſit corpus ſed nulla pars; quod non ſolum imperitè (in quod inquirere alterius eſt loci) dictitant, ſed etiam inconſtanter; cùm ipſam Animam Corpus quoddam, ſeu Ignem ſive igneum autument, cui neceſſe eſt neceſſaria actioni & ſubſiſtentiæ ipſius eſſe conformia.

3. Sed neque celebris illa cavillatio acceptanda eſt, dolorem & cætera quæ vel Corporis vel Fortunæ eſſe mala ab aliis cenſentur, bonis contrariis poſtferenda & oppoſita iis præferenda, ſed neque bona eſſe hæc, aut illa mala. Si enim præhabenda aſſeras, qnid hoc ſignificat niſi prævolenda vel præeligenda? Quod autem volumus vel eligimus, non aliter quàm magis boni nomine volumus aut eligimus. Si itaque præferenda ſunt aliqua, magis bona ſunt; &, quia Malum non niſi privationem Boni ſonat, oppoſita, vel abſolutè vel eorum reſpectu, Mala ſunt. Sed tricantur Stoici, &, quaſi faſcinum aliquod nomina Boni & Mali ſequeretur, ea omnibus viribus depellunt, æquivalentia admittunt. Hoc ita-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

itaque ab iis flagitandum, quid ſit illud Myſterii in his vocibus clauſum propter quod eas vulgare adeò exhorreſcant? Quicquid enim ipſi in ſuis Archivis faciant, certè populus hæc quæ ipſi negant ejuſmodi, eſſe Bona & Mala liberrimè indigitant.

4. Eloquere palam: Præfers jucunditatem dolori, indolentiam pœnis, divitias penuriæ? Præfero, inquit. Cur itaque præfers? ſeu quòd conducibiliora ſint ad alia aliqua, vel propter hoc quod in ſe ſunt? Quiſpiam fortaſſis commodiora hæc Virtuti putabit: Sed obſtat quod Poëta ϛοικῶς gloriatur

—— Serpens, ſitis, ardor, arenæ,
Dulcia virtuti; gaudet Patientia duris.
Lætius eſt quoties magno ſibi conſtat Honeſtum.

Præferendum itaque Stoico eſt quicquid inſignioris eſt virtutis materia; ut celeberrimus eorum notavit ex illo verſu

Ardet Aprum aut fuluum deſcendere monte Leonem.

Sin agnoſcat Stoicus eſſe in ipſis præferendis dignitatem propriam ſeu perfectionem propter quam mereantur anteferri oppoſito, nihil aliud Epicurus petit, & tota in voce eſt digladiatio. Sed dimittamus hæc: ne-

neceſſe eſt enim vanis & ventoſis hominibus umbras rerum Æſopici Canis more, dimiſsâ verâ prædâ, ſectari & iis deludi.

5. Aliud eſt quod te velim Zeno, Stoæ Pater. Quando incipit illa quam vocas Beatam Vitam? Statímne cũ Scholam tuam ingreſſus me tuæ diſciplinæ dedidero, dum adhuc laboro & adverſus inolitas ſive opiniones ſive deſideria decerto? Longe ſit (inquit;) nihil horum Beatam Vitam incurſat; ſed, ex adverſo, pura & certa Animi tranquillitas quæ in equuleum & pyras aſcendat. Heu me! Quanto rectiùs Epicurus qui præſentibus frui jubeat, cujus beatam Vitam è veſtigio incipio, & per partes uſque ad mortem ago? Hæc ſaltem *Vita* eſt, tu mihi oſtentas Beatam Vitam quæ neque *Vita* ſit. Quis enim ante decrepitam ſenectutem cupiditatum improbitate liber eſt? Certaminis immunis? Imò Victoriæ certus? Quot enim & quantò majora pericula occurrere nata ſunt quàm quæ hactenus ſenſimus? Polliceris ergò Beatam vitam, ſed neque Vitam, nedum Beatam, præſtas: Cum deſinam vivere inceptura eſt tua Beatitudo. Quid ſi interea mors occupet? Quid mihi profuerit tua diſciplina? Nónne te planum & circulatorem meritiſſimè clamem? indigniſſimè feram tuis irretitum me eſſe fal-

fallaciis ad Vitæ præmia & ſuavitatem perdendam. Audi, Audi, Mortalium falſiſſime & fallaciſſime. Iucunditatem Egregiam,glorioſam, plenam deliciis Animi, dignam nobilibus periculis & doloribus ſtipulatus es; Cum præmium peto, totam vitam vepretis & tribulis conſitam exhibes; In fumos abeunt præclaræ pollicitationes.

6. Reſponſat Stoicus. Si Epicurus placet quia quæ in procinctu ſunt adoriri delectamenta permittit, ſint autem delinimenta Animi majora quam Senſuum irritamenta, cur me conviciis inceſſis? Nam hæc certè in ſingulis actionibus virtuoſis, quas ego præſcribo, guſtas nobiliùs, quam in Epicuri Hortis. Parúmne eſt Naturæ adeò elevatæ, quàm eſt Anima, ſatisfeciſſe? conformem eſſe in exteriori opere tantæ & tam abſconditæ Luci & ſplendori? Parum, hujus ipſius dignitatis ſibi conſcium eſſe, & μακρὰ βαδίζειν? Parum, videre ſocium genus infra te ad ludicra converti & ſiliquis paſci? Paréſne his flores in Hortis Epicureis naſcuntur, Porcorum magis ſtabulis quàm Virtutum Viridariis? Adjice nunc incogitabilis quam ſperandam propono Felicitatis majeſtatem, & i comparatum nobiſcum Epicureos.

7. Non

7. Non inficias eam quædam horum ſimulacra apud Stoicos reperiri, & in verâ virtute cuncta, ſed hoc in fronte cauſor; Cur non hanc vitam promittit diſcipulis, bonam fortaſſis, ſed non Beatam, cùm laborioſa ſit? Cur in hoc inſiſtit quod Vitarum ſit jucundiſſima & dulciſſima? Cur magis laboribus exercitam & pænis confertam depingit? Deinde hæc vita nónne purè Inſtrumentalis eſt, purè Viâ ad eam quam Beatam & felicem fingit? Reverâ itaque tota vitæ Stoicæ effectio & res ad illam ſperatam in quâ Beatitudinem collocat machinatio quædam eſt. Hoc eſt, Utilis & non per ſe appetendæ ſed propter aliud limitibus comprehenditur. Vel itaq; jubet nos delectari in virtutum actibus tanquam in his qui ultimò ſperandi ſunt, vel tanquam mediis. Si velut in inſtrumentalibus, cùm Finem non exhibeat, mutila & defectuoſa eſt & capite multata ipſius ratiocinatio. Si tanquam in Fine & poſtremo votorum, Inprimis Magna illa nomina *Curtii*, *Decii*, *Reguli*, in fatuorum ſunt claſſes redigendi, qui vel nullum vel breviſſimũ Conſcientiæ magnorum factorum ſenſum expectare potuerunt. Cæteri, cùm nihil de grandi illo Sapientiæ Idolo quod erexerunt Stoici cogitaverint; in

mediis hæſerunt, & pro Fine & ſupremo deſideriorum habuerunt, quod Viæ duntaxat & diverſorii meritum habebat.

TRUTINATIO QUARTA.

An ad Apathiam perveniri poſſit, & an Virtus ſit in noſtrâ poteſtate?

1. AT enim tum Beata Vita incipiet, authore Stoico, quando ad ἀπαθείας gradum per exercitationem Virtutum perductus erit Animus. Arbitrantur enim Stoici Rationis adverſus ſenſitivos motus pugnam in adeò perfectam erumpere poſſe Victoriam, ut Ratio omnes appetitûs inferioris inſultus prævenire valeat, & perfectâ pace etiam in ſequiori parte perfrui. Neque vident inflati homines ſe Naturam ipſam deſtructum ire. Non cogitant ipſam Animam non niſi per prævias carnis mutationes in Embryon eſſe introductam: Non ſenſus ad hoc nobis datos ut per illorum ictus Anima ſcientiæ & cognitionis impreſſiones ſuſcipiat; Neque alium eſſe quàm per motus phantaſiæ ad intelligen-

tiam

tiam aditum; Non, ex ipſius naturæ ſtructurâ eandem eſſe continuationem motûs à cerebro ad cor, ſeu à motibus animalibus ad motus vitales in homine & cæteris Animalibus, neque poſſe hanc concatenationem interpolari abſque ipſo animalitatis interitu, cùm in illâ hæc conſiſtat: Non, Animal non futurum hominem, ſed Angelum corpore compeditum ſi Anima ex ſeſe & ſine adminiculo carnis res ſuas gereret, & actus ſuos efficeret, & corpus gubernaret, & motus ſenſitivos dirigeret.

2. Convertant pauliſper oculos mentis in ſemetipſos in interiori pugnæ diſcrimine, & videbunt illîc rationes rationibus opponi: Rationes autem vocibus quibuſdam internis eſſe veſtitas vel illis conflati, hoc eſt, phantaſmata phantaſmatibus, corporea corporeis oppugnari. Inſtent ulteriùs experienturque fluxus & refluxus quoſdam ſpirituum prout hæc vel illa pars ſuperior evadit. Percipient cor etiam ardens in novis veritatum coruſcationibus (ſicut eorum quibus aperiebantur Scripturæ) & non tantummodo dum carnales vices regnant. Si itaque Natura, ſi ipſa Ratio & Anima non utatur telis niſi carne & ſanguine involutis, quæ ſpes eſt dum Natura ſu-

ra ſupereſt, dum Ratio in carne dimicat, hoc efficiendi ut Senſus non præveniant Rationem cùm neque vigilare queat Ratio niſi à Senſu ſuſcitetur.

3. Facit tamen exercitium per multam ſubactionem Spirituum, ut phantaſmata quibus Rationi uſus eſt multa & ſuccincta ſint, & vehementer impellere ſpiritus vitales nata. Et ſic fit ut operatio ſequatur Rationis monita, & non animalem citationem, ex majori vel minori parte; non tamen ſolum Rationis monitum, cùm ipſa Ratio intra Animalem motum comprehendatur, neque habeat principium agendi niſi ab & per Animalitatem; & duntaxat variare motum ipſius Animalis nata ſit; non novum motum miſcendo, ſed ipſum Animalem aliâ & aliâ ſuſceptionis qualitate variando: ut ipſe ſemper ſit qui fluat, ſed quaſi per novos canales. Unde actiones omnes ſunt Animales, ſed aliæ quàm in aliis Animalibus, & ad alia tendentes, & ad longè alia in exitu è corpore tandem pervenientes.

4. Virtutis proinde efficacia in eo ſpectanda eſt, ut, cum ſenſus quicquam agibilium ſuggerunt, quamprimùm mens non eſt aliis occupata, per ſubſidiaria phantaſmata illum motum ſpirituum vitalium circa cor operetur, qui, ſecundùm Judicia rationis in animâ & per animam fixa, progre-

dia-

diatur. Imò, ſi dum aliis cogitationibus occupata mens non ſatis reſpectabat & interea ſequior aliquis motus inchoabatur, ille motus, ut qui oppoſitus & alienus à conſuetis foret, quaſi per vellicationẽ aut punctionem, Rationẽ admoneat vigilantiæ & corrigendi defectum. Et ſic per exercitationẽ leviora evadunt certamina & pauciores defectus, ſed nunquam ſecuritas & pax omnimoda. Et hæcquidem exemplis ſive illuſtrare ſive munire in promptu foret, niſi magis ad exercitationis ſpiritalis Authores quàm ad Ethices ſcriptorem pertineret latior & ad praxim accommodatior diſcurſus de hujuſmodi rationis itinere & progreſſu. Nobis ſatis eſto oſtendiſſe Stoicos principium illud ſupremum deſideratæ felicitatis quod univerſam humanam vitam actuoſiſſimè pervadere natum eſt in inani ideâ & inutili bombo vocis, de re prorſus impoſſibili & non aſſequendâ, collocaviſſe; & Sectatores, ad ingentia promiſſa hiantes, eliſis ad umbram faucibus luſos dimiſiſſe. Unde eſt illa Tragica exclamatio à Bruto ex Euripide uſurpata, *Ego te Virtus rem exiſtimâram, tu autem merus es ſonus.*

5. Verùm enimverò cauſam tantùm non proderemus, ſi etiam quid Philoſophi nomine *Beatitudinis* ſignarent paucis non

perſtringeremus. Et Epicurei itaque & Stoici duas conditiones addiderunt Beatitati, inſignes valdè & verè deſideratas. Altera eſt, quòd ſit in noſtrâ poteſtate eam acquirere; altera, quod deperdi non poſſit. Utinam tam ſolidè offerrent quàm gloriosè promittunt. Arbitrantur itaque cætera quidem à Deo poſtulari ; Virtutem verò, vel eam voluptatem quæ neceſſaria eſt Beatitudini, in ſingulorum eſſe poteſtate. Credíne tandem poteſt horum dogmatum Authores ſemel aut in Naturam, aut in ſuammet ſententiam, oculos conjeciſſe? Utrique ipſam Animam corpoream eſſe aſſerunt, & à circumſidentibus corporibus pati: Unde itaque cogitare poterant tantam vim ineſſe Animæ ut ſine Corporibus poſſet ad Sapientiam pervenire, vel certè hæc ipſa corpora in ſuâ poteſtate habere? Sed eſto (quod reipsâ eſt). Anima ſupra corporum vim elata; tamen, totâ teſte Naturâ, à corporibus patitur, & ad corporum percuſſiones melior evadit vel deterior.

6. In pleriſque agimur, non agimus, ait Stoicorum Princeps, experimentis ductus. Quomodò itaque non ab arbitrio Agentis pendemus in iis in quibus agimur? Neque refert ſi dicatur Sapientem agere

agere non agi; quærimus enim de eo qui nondum eſt Sapiens, utrum in ſuâ poteſtate habeat ipſam Sapientiam. Quare, quoniam non naſcimur Sapientes, palàm eſt ab externo principio & Rectore ſic nos, quodammodò ſine nobis, gubernari oportere, ut ad Sapientiam perveniamus. Si enim ex aliquâ parte ignorantiæ & animalibus concupiſcentiis obnoxii ſimus, niſi præcidantur irritamenta, niſi lumen non quæſitum, aliunde quaſi per rimam ſeſe inſinuet, obſordeſcimus in luto noſtro, neque poteſtatem nos erigendi invenimus. Reſpectemus Scientias, quando labore & quàm diuturnâ diſciplinâ ad eas opus eſt; & tamen Sapientiæ ſtudium, Phyſicen & Metaphyſicam, (niſi per Fidem ſupplementum fiat) quaſi ſubſidiarias ad Virtutem requirunt. Quiſquis enim Naturæ & ſui Finem & Principium ignorat, quomodo ex iis regere ſe poterit? Vide propterea & Epicureos & Stoicos multa de Diis, de Naturâ, de ejuſdem Opifice commentantes, ut Religionem vel tollant, vel ſtatuant. Si itaque hæ Scientiæ ſine ope externâ haberi non valeant, quomodò, quæ ab iis pendet, Virtutis & Sapientiæ Aſcetica, à nobis pendet?

7. Adminicula virtutum expende, Pa-

rentes, Magiſtros, ſodales, exempla, occaſiones, libros, materiam, &, ſuper omnia fortunatam horum omnium compoſitionem; nónne demens eſt qui hæc in hominis neque cogitabundi quidem de his arbitrio poſita arbitretur, cùm neque de iis ſomniare, niſi à moderatore rerum præveniatur, ſit ei conceſſum? At urgent ferociter; Quiſquis vult aliquid boni agere, poteſt; eſt itaque in poteſtate hominis virtutem colere, atque adeò Beatum evadere. Et non vident ſe quæſtionem implicare. Quid eſt enim hoc, *ſi vult*, *poteſt*: Imò ſi *vult*, jam *non poteſt*, ſed agit; quandoquidem Virtus non eſt aliud quàm *benè velle*. Quod urgent itaque eſt, hominem ſi rectè agat poſſe rectè agere, quod nemo ad eos diſputat. Quæſtio eſt, antequam velint, antequam cogitent, ſitne in ipſis velle & cogitare? ſine hoc enim non eſt in eorum poteſtate eſſe vel Beatos vel Virtuoſos. Hoc Ariſtoteles, hoc aſcetica actio philoſophantium, hoc experientia omnium difficillimum eſſe confirmant.

8. Neque regeri poteſt, eos qui jam orare poſſunt de his cogitare & hæc velle, & perinde in ſuâ poteſtate ea habere: deluduntur enim æquivocatione vocularum *Cogitationis* & *Voluntatis*. Sicut enim aliud eſt noſſe eſſe Artem Rhetorices vel Scien-

tiam

tiam Metaphyſices, aliud ipſam artem & ſcientiam callere ; ſic aliud eſt velle cras volitionem aliquam in circumſtantiis nondum notis habere, aliud cum qualitas adverſantium inſultuum nos premit tum illam exercere. Quin &, in ipſis circumſtantiis, aliud eſt quaſi ſupernatans lumen & debilem quendam circa agenda motum perſentire, aliud vivam & actuoſam cupiditatem adhibere.

9°. Reſidua conditio huic in impoſſibilitate nihil cedit. Quæſo enim te, Stoice, Sapiens tuus ſine corpore, ſine phantaſmatis cogitat? Quî pote, cum nihil in illo præter corporum complexionem & illam quidem diſſolubilem ſomnies? Sin hæc tuo Sapienti ſint neceſſaria, unde eſt ut aër, ut alimenta , ut venena circa hæc poteſtatem ſuam perdiderint, aut quid reſpondere potes niſi per pertinacem tergiverſationem? Et, ſi hæc poſſunt, oblivio, importunitas incurſantium vel negotiorum vel malorum, ſuam vim non exercebunt? Quæ eſt hæc ſingendi licentia ſine ullâ veritatis umbrâ.

10. Tandem, ſi cætera fallant, nũ & ipſam Mortem evitabunt? aut eſt aliquid mali in perditione Beatitudinis per Oblivionem, quod non idem vigeat in Morte ? Si eſſe

Beatum tantum Boni eſt quantum fingunt hi Philoſophi, nónne tantundem eſt Mali orbum eo futurum? Sed excipiunt, neque hominem fore, unde miſerum non fore. Egregiam verò fugam! Non fore miſerum, quia deterius quid miſeriâ eventurum ſit; Non futurum illi malè, quia neque tantillum Boni ei ſit ſuperfuturum quo malè eſſe poſſit. Interea, quid vivus videnſque qui ex eo culmine Felicitatis ſe cogitat quaſi flumine in abyſſum nihilitatis deferri? Si Beatitatem, ſi exiſtentiam, ſi ſemetipſum amat, proculdubiò odio ei erit ipſa Beatitudo, per quam factum eſt ut ſciret quantum eſſet perditurus.

II. Hæc ut ſuſtentarent auſi ſunt venditare, ſi Homo unico momento fuerit Beatus æquè Beatum eſſe ac ſi per totam æternitatem Beatitate circumfluat: quia nempè ejuſdem rationis eſt Beatitudo in horâ & in æternitate. Ergóne, ſi in hyemali frigore caleas per horam, reliquo diei non deſiderabis calorem niſi forte majorem? Si Eſſe & vitam ſemel accepiſti, non intereſt an duret? Acutos homines adeò deſipere ut non intelligant aliam eſſe rei qualitatem, aliam quantitatem! Qualitatem Beatitudinis Virtute & Sapientiâ æſtimari, Quantitatem duratione? Mente ſaltem

com-

comprehendant hodie Beatum & nocte non exiſtentem, cras verò rurſus cum Beatitudine redivivum; Num negabunt bis Beatum? Si bis Beatus eſt, ſemel & ſemel & duos dies Beatus non erit duplo beatior eo qui unico die Beatitate ſit perfruitus? Adeò non pudet vaniſſimos homines, inanium vocularum cauſâ, prima hominum cogitata & axiomata violare & impudentiſſimè nugari.

TRUTINATIO QUINTA.

An Peripateticorum ſententia ſit prioribus præferenda?

1. TErtia erat Peripateticorum ſententia, eum Beatum eſſe qui maximis ſecundum naturam Bonis frueretur. Hunc non abſoluebant à Fortunæ ictibus, ſed Beatitatem tamen auferri negabant ante mortem; quia potiſſima, videlicet Animæ, Bona Fortunam contemnebant; imò, in amicis & hæredibus etiam ultra mortem protelabant. Unde advertere eſt, conveniſſe in hoc Philoſophos, quòd Bea-

tum eſſe ſignificaret iis potiri quæ Summa in hâc vitâ forent; ſed Stoicos Ideam quandam Beati ſibi confinxiſſe, qualis neque eſſet neque *eſſe poſſet*, vocum bombis & aëreis cogitationibus delectatos; & ſic ad veræ Beatitudinis notionem propiùs acceſſiſſe; ſed inficetiſſimè in hâc umbratili vitâ & miſeriâ eam non tam quæſiviſſe quàm intruſiſſe: Epicureos in rebus quæ *erant* Beatitatem quæſiviſſe, ſed in quibus neque erat neque eſſe poſſet; & prætérquam quòd ad cohoneſtanda ſua Dogmata aëream Sapientis ſpeciem etiam ipſi adoraverint, contraria & vulpes (quod ajunt) conjungere pertendiſſe; dum ex unâ parte affectum circa Voluptates, tanquam Bonorum Suprema, figi juberent; ex aliâ verò, earundem imperium & moderationem Rationi committerent. Sed quo principio, quâ lege Voluptates coerceret Ratio, cùm primum deſiderandum ipſæ forent? Neceſſarium certè foret ut ipſæ ſibi limitem & modum ſtatuerent, ipſæ ſeſe non eſſe facerent, & ſibi adverſarentur.

2. Peripatetici tandem, ut Homines, & contemplandæ Naturæ dediti, & ſcientes Definitiones nihil aliud eſſe quàm explicationes vocum quibus innoteſcat

quid

quid homines per eas ſignificare moliantur, in hoc intenti fuerunt, ut, quid hanc Beatitudinis vocem uſurpantes ſibi vellent, inquirerent: & cùm, etſi varia diverſi bona æſtimarent, omnes tamen in eorum poſſeſſione quæ ipſi bona judicarent poſitam felicitatem ſtatuerint, & in eo convenirent ut illud Bonum ducerent quod Appetenti, hoc eſt Naturæ, conſentaneum foret, ipſi quoque de quâ homines loquerentur Felicitatem in Summis Naturæ Bonis collocârunt. Quæ autem Summa forent, ipſi ex ſuâ non vulgi exiſtimatione penſitârunt. Non itaque veram Beatitudinem, quam Theologi quærunt, ipſi inveſtigabant; ſed eam quæ in hâc vitâ ex propriis ipſius Bonis haberi poteſt, & quam Vulgus mirabatur.

3. Hi itaque inter Philoſophos (me Judice!) ſoli homines, Duce Ariſtotele, ſic colligebant. Inter humana Bona, Corporis commoda Fortunæ ſubſidiis præſtant; Corporeis, quæ propria ſunt Animæ. In Animâ dux eſt Voluntatis Intellectus. In Intellectu infimo & indigo (cujuſmodi noſter eſt) potiora ſunt Bona quibus ditamur Ipſi, quàm quibus Inferiora locupletamus; hoc eſt Speculanda præſtant

Faciendis; quare & Contemplativa poteſtas Activæ, & Contemplatio Actioni. Inter Comtemplanda verò nihil par eſt Primo Enti: Beatitudo igitur (quoniam Actus potior eſt Potentiâ) collocata eſt in Actuali Contemplatione Entis Primi. Hactenùs feliciter.

4. Verùm, cùm Actum Contemplationis rarum eſſe neque perpetuum viderent, revoluti ſunt ad humana, & quæ à vulgo æſtimari cernebant, ut potentiam, amicos, divitias; &, verbo, ad ea quæ plurimi mirantur; quæ omnia ad Beatitudinem conferre, & ingentium Animorum materiam actioni eſſe datam, ipſi fatebantur. Non enim Beatitatem quaſi ab Homine & inſitâ ipſius vi profectam cogitabant, ſed tanquam à Numine, rerum Naturam ordine & methodo componente, & ſingulis apta accommodante, expectabant. Hæc, ſine oſtentatione incogitabilis cujuſdam Boni (quod in aliis ſectis irridebant) Beatitudinem eſſe ad quam collimandum nobis foret, profitebantur; quaſi cum gemitu addentes, *qualis in hominibus inveniri poteſt.*

5. Errorem in hâc ſententiâ fruſtrà quæſivero, quandoquidem non pronunciet niſi de hâc vitâ, & in illâ quicquid eſt Boni

Boni comprehendat. Beatitudinis Imaginem tantum abeſt ut gloriabundè efferat, ut ex adverſo excuſet illius vocis ad rem à nomine adeò deficientem applicationem, & [*humanæ*] quaſi abalienantem particulam adjiciat. Evitavit quoque foveam in quam ſeſe cæteri præcipites dederunt; aſſerentes Beatitudinem ſemel habitam non poſſe deperdi. Verè enim Beatitudo quam Vulgus attribuere vult iis quos Beatos vocat, tolli omninò non poteſt. Et ratio eſt, quia non eſt qualitas unius alicujus partis vitæ, ſed integræ. Et ſicut pulchritudo & ſanitas non dicitur ſimpliciter, niſi ubi ſingula & omnia membra ſunt rectè diſpoſita, ſic & Beatitudo non attribuitur homini niſi ſingulæ & omnes vitæ ipſius partes, & aliquanta etiam fortaſſis conſequentia ad Vitam, congruum habuerint ordinem & virorem. Sicut itaque Fabula non eſt bona niſi uſque ad *Plaudite* ſit bona, & poſtmodùm non poteſt perdere bonitatem ſuam; Sic Vita hominis non eſt Beata niſi etiam congruam Mortem acceperit, poſt quam nullus eſt Fortunæ locus circa Hominem. Rationabilis itaque fuit Solonis ſententia quam expreſſit Poëta ---- *Dicique Beatus Ante obitum nemo ſupremaque funera debet.* Non quòd Beatitu-
do

do ſit in morte, vel tantùm, vel præcipuè; (eſt enim, ut diximus, totius vitæ qualitas, non alicujus partis;) ſed quia, donec finita ſit ultima Scena, ſubeſt locus & potentia Fortunæ ad opprimendum ſubjectum Felicitatis.

6. Verùm, inhumanum foret duram Stagiritæ ſortem non cum gemitu agnoſcere; quòd, cum mentem eò uſque elevaviſſet ut videret veram Beatitudinem in Contemplatione Dei poſitam eſſe, cùm illam in hâc vitâ imperfectam & nomine Beatitudinis indignam agnoſceret, poſtquam fundamenta pro Animæ à corpore exemptione firma ultra cæteros Philoſophos ſubſtruxit, in ipſo portu naufragaverit: ſive incredulitate circumſtantis Mundi, ſeu conſuetudine ſine experimentis & ultra illa nihil Philoſophandi victus, non eſt auſus ad æternæ Beatitudinis, in conſpectu ipſius Divinitatis agnitæ, Spem, oculos animoſque attollere, ſed cæcitatem cordis ad æternitatis infelicitatem ſecum detulit.

7. Conſequum erat, adverſus omnes, de Beatitatis impoſſibilitate in hâc rerum humanarum fragilitate & nequitiâ, diſputationem texuiſſe. Sed Philoſophiam ipſam in Peripato confitentem habemus; cætero-

rum

rum autem adeò prodigioſa vomentium magis quam proponentium ſatis erit dicta percenſere, ut ipſa ſuos Authores vanitatis & mendacii coarguant.

8. Quæ itaque Epicurei & Stoici de ſuâ Beatitate vel Sapientiâ gloriantur hujuſmodi ferè ſunt. Eſſe Ultimũ ad quod omnia referantur, & (quod inde fit) eſſe omnium Bonorum collectione ſaturatam: Si enim quicquam Boni non ſit ipſius pars, ad ejuſmodi Bonum & deſideria referri poſſe & convenire. Sequitur Beatitudini addi nihil poſſe, neque augeri: Si enim poſſet, & ad hujuſmodi augmentum conandum foret, & minor Beatitudo gradus & acceſſio foret ad majorem, & ad eam ordinata. Apertius eſt nihil de eâ detrahi poſſe, quod & metum in Felicitatem inferret & laborem, & metæ Terminique rationem ab eâ tolleret. Unde conſit lædi non poſſe Beatum; & tandem, neque tempore ſeu duratione majorem evadere hanc ſortem, neque intereſſe unóne ſolo temporis puncto an totam ejuſdem Univerſitatem hoc Bono perfruaris.

9. Et extra naturam Corporum exiſtimare durationem indiviſibiliter æternam, auſcultationem mereatur. Sed ubi omnia tẽpore, ſucceſſione, magnitudine, partibuſque metimur (quod in humanis actionibus

ſolenne eſt) negare duas partes ſive actiones & impreſſiones eſſe majorem quàm ſit una, non eſt Philoſophari ſed deſipere. Par eſt, non poſſe lædi Beatum : Quid enim ſibi volunt? An mori & interfici non poſſe? non veneno aliquo ſenſibus abalienari? non ebrietate (non dico criminoſâ, ſed) fortuitâ devinciri? denique ſaltem non ſomno interrumpi ſemel inchoatum Beatitudinis uſum? Canant hæc puſiis & pupis; Inter vitæ humanæ conſultos non niſi ſannas & auriculas albas ſperent, pro talis Sapientiæ præmio.

10. At ſi lædi potis eſt Beatus, jam & de Beatitudine, ajunt, detractum erit, & Beatus alius alio beatior : Fateor, ſed item aſſero quòd in humanis rebus vitari nullo pacto queat. Quid enim? In prudentem cadere poteſt Sapientiæ & Scientiæ fines poſitos eſſe, ut nihil ultra comprehendi ſive in Naturâ, ſive in æternis & Primo Ente valeat? Heu quantum abſumus ab iis quæ nos circumſtant pervidendis, ut nihil credamus ultra Lunam noſtrâ cognitione dignam latere! Sicut Geometrica & numeros ſemper nova parere, & ipsâ quaſi exhauſtione fæcundari comperimus; ſic & Metaphyſicam & de Intelligentiis Primóque à-ſe-Exiſtente cognitionem in miros ebullire

&

& rivos & flumina, modò non deſit methodus & induſtria, non eſt dubitandi occaſio. Non itaque eſt poſſibile etiam ipſius Sapientiæ perfectam eſſe apud nos abundantiam, quantò minùs cæterorum Bonorum quæ ab uno haberi non poſſunt niſi aliis deſint. Tandem morbi & dolores horréntne Sapientem magis quam ignarum? aut illi parcunt, neque Contemplationis difficultatem vel impotentiam inferunt?

11. Fatui itaque ſunt iſti Dii tui, Philoſophia Gentilis; ſive Stoicos admiraris in meteorâ ſuâ à malis humanis abſtractione vaniſſimè ſeſe deprædicantes; ſive Epicureos ſub mole ſuæ carnis fatiſcentes & grandia ſomniantes. Et Epicurùs quidem, etſi túrpiſſimè, conſequenter tamen Sapientem ſeſe venditabat: miſerrimi Stoici, poſt ingentia promiſſa, neminem unquam apparuiſſe qualem ſe quemque futurùm ſperare jubebant, cum verecundiâ fatebantur.

TRU-

TRUTINATIO

SEXTA.

Naturane ductu an Vitio, Philoſophi erraverint?

1. NUnc operæpretium eſt, quomodò ex ipſo Naturæ ductu conſenſerint hi Philoſophi in veritatem, ſuiſque affectibus ſeducti à vero ſcopo aberraverint, contemplari. Palàm eſt itaque Epicureos propoſuiſſe ſibi Voluptatem tanquam Bonorum omnium Supremum, vel magis complexivum. Neque in hoc poſſunt erraviſſe, cùm Natura actionibus Voluptatem addiderit, quibus bonæ à poſthabendis diſtinguerentur. Itaque, totâ naturâ Actionis cum Hominis ingenio comparatâ, ea dicetur Bona quæ cum Voluptate eſt; ea Mala, quæ cum Dolore. Sed & , diverſa actionum genera conferendo, præſtat illa claſſis quæ majorem voluptatem nata eſt creare. Hoc itaque in totâ vitâ, hoc in ſingulis actionibus ſpectandum eſt, quâ viâ major Voluptas acquiri poſſit; hoc cavendum, nè minor Voluptas majori

jori præponatur. Hoc niſi ita ſit, malè ordinata eſt Natura, quæ majores illecebras minori Bono adjunxit. Huc uſque itaque ſoli Philoſophi audiunt Epicurei.

2. Sed in eo peccaverunt quòd, in ſordibus inferioris portionis volutati, quæ Voluptas major potiórque foret inquirere non ſuſtinuerunt; *Et quod ſtelliferum tranſabiit Polum Tellure demerſi petant.* Senſuum itaque arbitrium præferentes Rationi, in parva, periculis doloribuſque plena, ſeſe abjecerunt vitæ præmia. Atque, utinam vel ipſos Senſus fideliter fuiſſent aſſecuti, & titillantis intra pectus plectri harmoniam auſcultaviſſent, non adeò ſuillis contumeliis ſeſe proſtituiſſent; Illîc Honoris, qui Virtutis comes eſt, monita percepiſſent.

3. Et hoc quidem videntur ſuppleviſſe Stoici, qui toti poſt Honeſti ſpeciem quaſi è Vitâ communi evolaverunt. Verè enim Rationis formam adamaverant; ſed, cùm eam in ſeſe intueri non poſſent, in Vulgi ſententiâ quaſi pro Junone nubes ſunt amplexati. Toti itaque Famam ſuſpirabant, & nobiliori (ut videbatur) principio fulti, in magis aëream & futilem deſcivere nequitiam. Verùm, ſi recte inſpiciatur res, quoniam Ra-

Ratio quærit quid ſit Bonum, & Bono Natura conjunxit Voluptatem, tantundem eſt Bonum Rationis ſeu Honeſtum ſectari & majores Voluptates inquirere. Et proculdubiò potentiores & blandiores ſunt Voluptates quæ ex conſcientiâ rectè factorum, & famâ, & potentiâ naſcuntur, quàm quæ ex limo ſenſuum allinuntur, ut patet ex eorundum effectis.

4. Diviſerunt itaque ſibi Voluptates hæ duæ Sectæ, ſecundum bifiſſam Naturæ propenſionem ipſæmet diſterminatæ; nominibus, non rebus, diviſis, ſi earum praxim diſſecemus: Inveniemus enim omnes Voluptates ab utriſque, etſi diverſimodè, excultas. Verùm Error utrorumque fuit, non attendiſſe Voluptates à Naturâ ad Actionem perficiendam in hâc vitâ eſſe datas, & Actionem ad Terminum aliquem & Bonum acquirendum; quod, cùm Actio non niſi cum vitâ finiatur, ex neceſſitate nonniſi per mortem erat acquirendum. Et hoc de omni Voluptate hujus vitæ verum eſt, ſed magis de Voluptate quæ ſequitur Virtutem; quæ, ut propior Fini, ſic apertiùs quòd tendendum fuerit ad Voluptatem puram & Incorpoream demonſtrabat, & ſontiores faciebat ſuos admiratores.

5. Con-

5. Conjunctas itaque etiam voce tenus acceptavit Peripateticus, proponens ſibi quæ ſecundum Naturam ſunt, ſeu omnia quæ Voluptatem creant, pro Beativis. Unde eſt illorum dictum, *Stultum eſt quærere quare quis velit delectari.* Et meritò ſanè; Delectari enim vel non eſt aliud quàm ſcire ſibi benè eſſe, vel certè affectus cum tali conſcientiâ connexus & ab eâ fluens; ſcire autem non eſt aliud quàm eſſe ipſum Cognitum, & Delectari de Bono habito eſt habere vel eſſe ipſum Bonum animaſticè, & ſpiritualiter, & modo Subſtantiis Incorporeis proprio. Quiſquis itaque Bonum ſectatur abſque eo quòd velit ſcire ſe illud habere & de eo delectari, vult, velut materialia (ſicut Gemmæ & ligna) pretioſus eſſe.

6. Diſtinguere autem inter Voluptatem & Poſſeſſionem Boni eam afferentis, eſt ſubtiliùs quàm Moralem Philoſophum deceat ſpeculari; qui eò duntaxat proſpicit ut actiones ſanè & conſtanter regat, quæ à tam tenuibus filis non pendent. Neque enim eſt aliud Voluptas ſpiritalis quàm ea diſpoſitio Animæ ad actionem, quæ ex compoſitione Scientiæ cum præſenti animæ diſpoſitione conſurgit. Materialis autem Voluptas, quæ conſiſtit in cer-

to motu ſpirituum circa cor, ex apprehenſionibus ſeu phantaſmatis eam animi diſpoſitionem cauſantibus oriundo, eſt objectum illud cujus percuſſio facit ut ſciamus nobis benè eſſe; & dicitur Voluptas, quia eſt cauſa & inſtrumentum Voluptatis; ſicut manducatio pinguium & potatio dulcium Voluptates appellantur.

7. Et ſic evidenter concluſum eſt, quantumcunque vocibus digladiati ſint hi Philoſophi, omnes tamen & eandem ſententiam intellectu tenuiſſe & ipsâ vitâ excoluiſſe, ut omnia hujus vitæ commoda, & ſola, ſectarentur. Sed Epicurei magis ea quæ Senſus offerebant; Stoici magis quæ homines Populo commendabat; Peripatetici quælibet indifferenter, prout quiſque hoc illi præferebat?

8. Explicatis Philoſophorum ſententiis, hoc evidentiſſimè tenetur, eos non ultra hujus vitæ limites conſiderationem ſuam extendiſſe; & verum, quod in futuram reſervatum eſt, Bonum, vel non omninò agnoviſſe, vel non ſic ut omnes ſpes & deſideria ſua ad illud deſtinanda & collineanda exiſtimaverint.

9. Et, ſi operas eorum Humanâ Naturâ, qualis poſt Adami lapſum extat, dignas reputemus, & præcipuas quas illa edidit,

pa-

palàm quoque eſt Naturæ conatus citra veri Boni, quod ſcopus & meta ſit cunctarum noſtrarum actionum, agnitionem ſubſtitiſſe. Et, quoniam nihil evidentius eſt quàm actiones noſtras ſine aliquo Extremo Bono non poſſe principiationem & Eſſe acquirere, & per conſequens ſingulos ad aliquem finem ultimò referri; pari evidentiâ conſtabit, omnes & ſingulas horum Philoſophorum, & eorum quibus illi facem prætulerunt, & omnium qui ſolos Naturæ conatus adhibuerunt, actiones, à Fine non-vero & Bono non-Summo pependiſſe, atque adeò Idololatricas fuiſſe; has honorum & vanitatis, illas eſcarum aut abdominis, omnes nugarum; quibus Divinos honores, aut Supremi Finis ſervitutem detulerunt.

TRUTINATIO SEPTIMA.

In quo poſita ſit vera Beatitudo?

1. POſt nudatam & diſcoopertam Philoſophorum vanitatem, Veritatis ingredienda eſt ſemita, quam explicando magis quàm examinando oſtendemus. Nam in Metaphyſicâ demonſtratum eſt ve-

ram Dei viſionem eſſe ipſam Spirituum Beatitatem; & in Theologicis latiùs ipſius natura & qualitas deducta eſt. Attamen, cum ſit primum atque adeò præcipuum Actionis humanæ Principium, in Ethicorum Doctrinâ nullâ ratione excuſari poteſt aliqualis de illa commentatio.

2. Meminerit igitur Lector Animalitatem in Senſûs & Motûs principiatione conſiſtere, atque infimam ſenſationem eſſe in Tactu ſimul cum Homine natam; quæ, ubi ex ergaſtulo materni uteri elapſus eſt infans, in Viſionem & Auditum exurgit. Hæc omnia gradus imperfectos & acceſſionem quandam ad Scientiam integrare conſpicimus; &, ſicut in validiora membra, ſic etiam in vegetiores ſenſus exurgere Animal. Jam Puer, æquitatem quandam videt, & injuriam cavet, & dolet. Adoleſcens ſtudiorum eſt capax, Grammatices, Logices, Rhetorices. Juvenis Naturæ progreſſum notandi, & Phyſicarum ſcientiarum, experimentorumque, ſub Magiſtro: Conſtantem ætatem Morum & Actionis Humanæ decor & congruitas, ſedatis Juventæ fervoribus veſtit, & quodammodò illuſtri Rationis lumine perfundit. Poſtmodùm, etſi languente jam corpore, ſummis Contemplationibus veneranda Senectus vegetatur;

tatur; & Sapientiæ ſummarúmque rerum Scientiæ conſulta, Magiſterio & Conſilio cæterorum majora negotia regit & gubernat.

3. Tum, Naturâ quaſi nos manu ducente, Morti (velut ad cognitionis culmen, ſupra Scholæ Corporeorum diſciplinas, evecti) altiora erudiendi tradimur. Ubi jam moras corporeas prætergreſſa Anima, uno ictu Infinitatem Scibilium tranſvolat, & in iis omnibus eorum Fontem videt & concupiſcit. Neque fruſtrà; cùm non Conſtantia tantùm Entium Authoris ad opera ſua uſque ad ultimum perfectionis apicem perducenda, & adeò catenatam cauſarũ & motuum ad deſtinatum finem ſeriem non deſtituendam, verùm ipſa quoque formalis efficacia ſupereffluentis & illimitatæ Bonitatis adaptatæ & fameſcenti Creaturæ deeſſe nullo modo ſuſtineat. Neque ultrà licet de plenitudine Beatitatis in tali Animâ ambigere, quam Forma ipſa Sapientiæ redundare cogit, neque patitur ignaram eſſe ſui Boni; &, quod ex eo ſequitur, omnibus lætitiis & jubilationibus obruit uſque & abſorbet. Nihilominùs non ita dimittendus eſt Lector ut non mediocrem ei tanti convivii guſtum prælibemus.

4. Penſet itaque tantæ Felicitatis avi-

da Mens, quomodò ſoluta corpore Anima, non Senſus, non Cor vel Cerebrum ſecum deferat, ſed puro Intellectu & nudâ Voluntate deinceps conſtet, & operetur. Unde conficitur, non aliâ inescari poſſe voluptate quàm illâ quæ Cognitionis, & ipſius Univerſitatis rerum per cognitionem Animæ inhærentis, poſſeſſione allabitur. Quam nè exiguam æſtimes, reflecte in Delicias Materiales oculum, & vide quòd non ſint aliud quàm Perceptiones & Notitiæ quædam quòd corpori benè ſit: Unde advertes, quicquid in iis eſt mellis, introrſus in receſſu Animæ latere & exerceri. Hinc collige, neque has ipſas Voluptates, quarum memoriæ non intereunt, deeſſe abſtractæ Menti; ſed, in eminentiorem gradum, qui totam cujuſlibet ſenſûs delectationem, cum omnibus quæ intercidere poſſint augmenti cauſis, complectatur, manere tranſlatam; attamen, ut vilem & nihili diſparere cùm ad ingentem illam Lucem, quâ affluentem ſibi totius Entis Amplitudinem uno aſpectu ambit & circumplectitur Anima, comparatur.

5. Hîc te erige ad ipſam Columnam & Baſim Univerſi, ſeu Entium; & vide quòd, ex virtute primæ cauſationis, nihil citra Viſionem ipſius cognoſcatur verè & pro digni-

gni-

gnitate exiſtere, quia non videtur *quare* exiſtat, ſeu vis illa quæ facit quicquam exiſtere. Quare intùitio Primæ Cauſæ cæteras notitias humani captûs innovat & inſtaurat, & ex ſtatu τῶ *An ſit*, in gradum τῶ *Propter quid ſit*, transfert & exaltat. Præterquam quòd ipſa, in & ex ſemetipsâ, dos ſit Animæ quæ nullis Angelorum Hominúmve linguis poteſt explicari. Vides ergo toti Animæ adæquatè ſatis & abundè fieri hâc Beatitate quam Chriſtiana pollicetur Diſciplina. Vide hoc gradu excellentiæ Spirituum, ſuâ ingenitâ nobilitate, ſine materiâ ſubſiſtentium felicitati æquatum ex luto & ſtercore erepentem ſcarabæum. Vide hoc dono collatam Animæ illam Eminentiam quæ omnem Honorem mereatur, omnem Potentiam contineat, Celebritatem totius Intellectualis Naturæ (cui nota eſt toti,) ſit conſecuta. Et quid tandem eſt quod humana vota proſicere natum eſt quod huic Creaturæ deeſſe queat?

6. Supereſt Indefectibilitas tanti Boni, ipsâ participatione Æternitatis ſancita; quæ, quantumvis accidentali vinculo Beato illigata, ſuum tamen retinet & impertit ſubjecto ingenium. Adjice partium Compoſiti fixiſſimam indo-

lem; quarum Anima, cùm ad hoc ipſum formata & creata ſit, totâ ſe Potentiæ & Capacitatis & Materiæ neceſſitantis habitudinem induta eſt. Altera ipſius Bonitatis & exundationis Entitativæ ſit Eſſentia; unde explicatæ Potentialitati ſi deforet, ſemetipſum negaret & ſibimet deficeret. Unum addo, & decedo ſeceſſui & tranquillæ Lectoris cogitationi. Hæc Bona, non ſucceſſu temporis aut acquiri aut perpetuari; ſed, uno ſic ictu obtineri, ut idem ille ſit ipſius in æternitatem protelatio. Cùm enim nihil partium in elevatis ſupra motum & materiam Intellectibus expectari poſſit, nulla quoque Succeſſio intervenire, quæ ſine partibus non exiſtit, apprehendenda eſt. Habet itaque in ſe ex primâ naſciturâ unde nunquam non ſit, & communi abſtractorum lege, & privilegio donorum ſibi propriorum. Tota itaque *ſimul* eſt, & *plena perfectáque omnium Bonorum Poſſeſſio.*

TRU-

TRUTINATIO OCTAVA.

In quo conſiſtat ratio Virtutis.

1. QUandoquidem ſecundum Philoſophorum placita & ipſius Naturæ ductum, Extremum, ſeu (ut hodiè loquuntur,) Ultimus Finis is eſt qui per ſe ipſe appetitur, cætera autem quæcunque fiunt ad eum referri habeant, & ipſius causâ deſiderari; nihil evidentius eſt quàm totam Hominis vitam, & omnes ipſius partes, & ſingulas denique actiones, oportere, vel immediatè vel mediatè, in Deum referri. Quod, quàm conforme ſit fabricæ Humanæ Mentis inde æſtimari poteſt quòd nata ſit omnis conſulta actio ex Univerſorum nos circundantium inſpectione proficiſci: Unde neceſſum eſt in rectè ordinato Homine, eam vel ex actuali Ultimi Finis intuitione, vel certè ex virtuali, hoc eſt alicujus jam ad eundem directi, originem ducere. Nihil itaque eſt in toto uſu & actione noſtrâ, vel tam leve, vel tam remotum à Beatitate, quæ non ab eâ ortum & legem accipiat, aut accipere debeat. Et, ſi

quidem Felicitas in aliquâ collectione Bonorum conſtitiſſet, eorum ſingula de ſe affectum ciere idonea fuiſſent; Nunc, quoniam unicus eſt, ſed æternus, fruitionis actus, unicum ejuſdem Objectum, ipſum nempe ſolum per-ſe-Bonum & propter-ſe-æſtimandum nobis proponitur. Quocirca palam eſt, homini rectè diſpoſito hoc primum eſſe, ut fixam habeat intra ſe hanc perſuaſionem, toto vitæ ſuæ actu ad illud Unum Bonum collimare, ad illud omnes vitæ ſuæ rationes inſtituere; ad hoc, ſingulis motibus Animi ſui, & actionibus ab iis pendentibus, omni vi conniti.

2. Quoniam autem totius Ethicæ Doctrinæ Caput & Baſis eſt hoc Principium, non erit grave Lectori ſi altiùs ipſius radicem inveſtigemus & articulatiùs proponamus. Cùm itaque nihil notius ſit quam Voluntatem ſemper Bonum ſectari, idque non niſi cognitum; confectum eſt, in omni Actione Humanâ Bonum aliquod notum ſpectari. Rurſus, cùm Bonum aliter dicatur de eo quod ipſum imbutum eſt virtute pelliciendi Voluntatem, aliter de illo quod efficit nobis aliud quod in Voluntatem efficaciam habet; palàm fit poſterioris generis Bona verè non eſſe Bona, ſed dici Bona quia ſunt Bonorum nobis Cauſæ, & permo-

vere

vere appetitum per Effectum, & non quia placent per hoc quod ſunt. Quare, ſi plura Bona hujuſmodi coordinata ſint ſub uno aliquo Per-ſe-&-propter-ſe-Bono, clarum eſt in virtute illius Primi Boni omnia flectere appetitum; & ſublato ipſo, nihil poſſe.

3. Gradum promoveamus; & ſint plura Bona, quæ ſingula ex ſeſe habent vim impellendi appetitum; Sitque inter ea Unum tantæ eminentiæ, ut cætera nihil proſint niſi Ipſum habeatur; Ipſum verò, ſi ſolum habeatur, nihil referat an cætera peſſum iverint: Nónne manifeſtum eſt cætera, etſi Bonorum nomen tueantur ſi ſingulatim ſpectentur, tamen, in compoſitione cum hoc exorti Bono, vim illam perdere. Imò ſi quo modo acquiſitioni illius officiant, Malorum rationem ſubire? Unde conſequum eſt, ut, etiamſi proficiant & neceſſaria ſint ad prædam illius vaſti Boni faciendam; tamen, ſi per allectationem affectûs eundem reſpectu præcipui Boni minuant & partiantur, ſic prudenti homini illa eſſe amplexanda, ut, quantum Natura patitur, abſque diſpendio affectûs circa Primum exerceantur.

4. Conferamus hæc ad noſtram operam,

ram, & dicamus: Quandoquidem Æterna morituris ſine limite potiora ſunt; quandoquidem ſpiritualia materiatis tam immane ſuperſtent ut nulla horum magnitudo vel multitudo cum minimo illorum comparationem ſuſtineat; & ſciamus Finem nobis ultimò propoſitum, huiuſmodi & vaſtioribus differentiis, à quâlibet voluptatum hujus vitæ copiâ diſcedere; confectum eſt planiſſimè conſecutionem delectationum mortalium, niſi purè & integrè obtentioni Æternæ Felicitatis conſecrata ſit, Mali & Damni æſtimationem ſubire, & totam virium humanarum molem ad illius ſolius Boni acquiſitionem eſſe conferendam. Verùm, ſperare poteſt quiſquam ita poſſe cum mediocribus hujus vitæ delectationibus conciliari ſpem futuræ Eminentiæ, ut poſt has in immenſum illud Voluptatis pelagus aditus patere queat. Neque prorſus diffiteor, ſed interrogo: Quandoquidem quælibet affectio in ſupremum votorum jactata neceſſe ſit ſuam habeat vim ad demetendam æternitatis ditiſſimam ſegetem; &, quicquid Animi tui ſeu motuum ipſius conceſſeris marceſcenti Voluptatum meſſi, tantum detraxeris de ſolius veri Boni proſecutione, & nihil quod cum illo proportionem

pa-

Digitized by Google

patiatur Jucreris; interrogo (inquam) prudentiæne ſit & cum ratione geſtum, pro mellis hujus umbrâ, portionem Beatitudinis ſecuturam, & actionem per quam erat ſecutura, deſeruiſſe?

5. Ex his adjecto eam eſſe indolem humanæ volitionis vel potiùs anguſtiam, ut, quò ad plura ſe porrigit, eò ſit circa ſingula debilior, vides quid effectum ſit; vitioſum eſſe, putà, ſeu non faciendum, quemlibet actum hominis qui non integrè & totaliter ad propoſitum à Naturâ ſcopum deſtinatur, quantumcunque minimus & viliſſimus ſit: Quod in Scholaſticis vocibus ſic effertur, *Peccatum Veniale nullâ ex causâ eſſe admittendum.* Quod ipſum alio ex capite firmitatem ſortitur. Cùm enim quod eſt ſecundùm Rationem non ſit peccatum, non poteſt ſimul ſtare ut ſecundum Rationem ſit Agendum, hoc eſt, quolibet pretio vel mercede illo Actu dignum, ſi, non obſtante illa compenſatione, maneat Peccatum, hoc eſt, adverſum Rationi ut agatur.

6. Multò minùs cadit in hominem probum qui ſeriò ſuæ ſaluti conſulit, ut Æternitatem Felicitatis propter Alienũ Bonum periculo objiciat: Quid enim illi proderit, ſi cum jacturâ Animæ ſuæ totum collucretur Mundum? Quæ itaque nihil fructûs

conciliat Parenti Actio, ſtulta, & imprudens, & vitioſa, & pernicioſa eſt. Ex quibus rurſus inopinatum quiddam exilit, eximium nempe illud Platonis edictum, tanto plauſu uſque ad nos reboans, *Hominem non ſibi ſolummodò natum, ſed partim Patriæ, Parentibus & Amicis partim, imò toti Hominum generi*, non falſum ſolùm ſed & exitiale dogma eſſe; &, reâpſe, Hominem ſibi & ſuo duntaxat Bono eſſe à Naturâ addictum & deſtinatum. Si enim omnes ipſius actiones ad Summum Bonorum ſibimet lucrandum adæquatè & perfectè dirigendæ ſint, certè ex Naturæ intuitu nullam habet aliis reſervatam, nedum ipſe inter aliorum Bona & ſua à Naturâ diſtractus eſt. Hoc ex ipsâ Scientiæ ratione manifeſtum eſt: Cùm enim primò & per ſe ad ſui exiſtentiam Intellectu aptatus ſit, & ad alia cognoſcenda per connexionem illorum ad ſe, quis non concludat eſſe eundem Voluntatis ad amabilia callem.

7. Si dubitas, adhibe Naturam, adhibe Philoſophos, Epicureos ipſos & Stoicos, quorum utrique ex Belluis ad Homines amandorum ordinem traduxerunt. Prima itaque chara ſunt cibus & potus, & quæ à frigore aliiſve incommodis defendunt; quæ omnia palam eſt ſui amorem claudere in

ipſis

ipſis viſceribus affectuum. Proximè dilecta veniunt Parentes; &, verbo, cauſæ victûs & veſtitûs; Mox, ex quibus vel cum quibus quoquo modo delectatur; ut catelli, feles, colluſores: Denique, quantum ab his diſtat Juvenum Amicitia? Virorum adhuc patentior eſt à ſeipſo amato derivatio; cùm, non ſolùm communia ſtudia rerum, ſed etiam conſilium & auxilium ab Amicis expectetur. Quòd ſi ſemetipſum in affectibus ipſis qui ad alios & alia tendũt primò & potiſſimè diligat, quomodo non ad ſemetipſum ſolum natus eſt, & à Naturâ ad ſe excolendum ordinatus hominũ unuſquiſque?

8. Adjiciamus, cùm Homo ſit de ſeſe imperfectus, adverſus Naturam eſſe ut de aliis ſollicitus quaſi ex finali neceſſitate cogitetur: Potentiæ enim ad Actum in ſeſe concipiendum natus eſt uterus, non ad aliis erogandum, quod pleni & Perfecti opus eſt. Meminerimus denique Spirituum hoc eſſe ingenium, ut, quaſi diſſeptæ Reſpublicæ, vel magis Mundi ſint; Unuſquiſque totam Naturam Entis in ſe gerat, nullâ materiei communitate vinciantur, ſuis bonis contenti ſint; & Animam, hoc eſt Hominem ut ratione utentem, ex eorum cognatione originem & mores trahere; & ſe proinde adæquatè perficiendum & excolendum oportere exiſtimare.

IN-

INSTITUTIONUM ETHICARUM, *SIVE* STATERÆ MORUM, EXAMEN SECUNDUM, DE Iis quæ grata ſunt Homini ſecundum Corpus.

TRUTINATIO PRIMA. DE *Vita & Membrorum, maximè Senſuum, Æſtimatione.*

1. AD ſingulas vitæ particulas, ad univerſæ metam ſine errore collineandas, quoniam hoc per Appetitum ſeu Voluntatem in Actum redigitur, hoc proximè conandum eſt, ut pretia

Google

pretia concupitorum libremus, & cum Naturâ & inter ſeſe componamus: ad quod quantum dextrè jaculati fuerimus tantum benè morata erit actio; putà, ſi præamanda præeligamus, poſt habenda neglexerimus præ anteferendis. Complectitur autem hæc Conſideratio eas Virtutes quæ ſolent Temperantiæ & Fortitudinis vocabulis agnoſci. Acceptare enim minùs mala ut graviora evitentur, tantundem eſt ac bonorum potiorum privationem levioribus damnis magis horrere; neque hoc aliud eſt quàm nobiliora Bona ignobilioribus præadamare.

2. Verùm, quoniam Natura nobis & Corpore conflatur & Spiritu, & Corpori multa Bona externa neceſſaria & Spiritui aliqua gratiſſima ſunt, quadrivio ferendum eſt hoc Examen : Nam & Corpori per ſe grata, & quæ ad illa conferunt, inſpicienda ſunt : Dehinc, quæ Animo tum in ſe tum extra ſe lucent & blandiuntur. Et quæ ſupra explicata manent latum nobis ad Virtutum inveſtigationem aperiunt oſtium. Cùm enim hoc ſit officium Hominis ut, in omnibus & ſingulis actionibus, & Beatæ Æternitatis conſecutionem ob oculos habeat, & ex utilitate ad illam & operationem æſtimet & qualitates menſuramque ei figat,

gat, hoc planè Virtutis opus eſt has in ſingulis actioni humanæ ſubjectis materiis perſpicere & effingere. Palàm proinde eſt juxta varietatem Agendorum multiplicari Virtutum progeniem, & ex efficaciâ circa finem pretium & nobilitatem ſumere. Deſcenſus modò ad particularia ducens ſtatim ad bivium offendit. Cùm enim ex Animâ & Corpore conflatus ſit Homo, patet Actiones ipſius ex prævalentiâ alterutrius horum Principiorum genericis quibuſdam differentiis divaricari, prout earum materiæ magis Animæ vel Corporis ſubeunt impreſſiones; & viliora quidem eſſe appetibilia quæ gratiam à Corpore mutuantur, ſed etiam non rarò neceſſitate ſibi pretium facientia.

3. Verùm, utriſque ſaltem ordine præcedit ipſe Homo, ſive aggregatio & conjunctio ipſius Corporis & Animæ; ſine quâ nullus ad Beatitudinem conatus intelligi poteſt. Hanc familiari vocabulo Vitam appellamus; & de ipſius dignitate primus Diſputationi noſtræ cedendus eſt locus. Vita autem & ipſo Eſſe & Duratione cernitur: Et, ſi de ipsâ Exiſtentiâ quæritur, de Beatitudine quæretur. Quare infandiſſimum eſt Scelus optare ſe nunquam fuiſſe: Eſt ſiquidem ipſius Beatitatis nullam rationem habere;

bere; quæ, cùm in poſſeſſione ipſius Divinitatis & plenitudinis Boni conſiſtat, quid fingi poteſt æqualis facinoris quàm hanc totam refellere & deteſtari, quod facit qui ſibi illam non curat? Parùm his inferiores ſunt qui Æternam Mercedem (modò tamen eam agnoſcant) quiſquiliis humanorum Bonorum diſertè & conſciâ ſibi mente poſthabent.

4. Duratio vitæ ad augendam Beatitatem donata eſt, & ab ipſius Majeſtate dignitatẽ haurit. Unde hæc eſt prima deductio, quòd, quoniam nihil in hujus noſtræ peregrinationis jucundis ullam comparationem cum exiguiſſimo profectu veræ Beatitudinis ſuſtineat, palam fit non eſſe dimittendã Vitam niſi ipſius Beatitudinis ergô. Hanc autem ad illam projiciendam patet duobus modis poſſe inducere; quorũ alter eſt Hortationis, alter Coactionis. Cogit nos Beatitudo, quoties in eo ſitu poſiti ſumus ut vel pereundum ſit vel mortale quidpiam æternitati præferendum. Hæc tot ſummorum Virorum & Feminarũ conditio fuit, quot, nè ſacrificarent, nè polluerentur, nè illicita facerent, pœnis & morti ſe tradiderunt. Eadem eſt illorum neceſſitas, qui, nè juramentis vel aliâ profeſſione Hæreticorum ſocietate contaminentur, facultatum, liber-

libertatis vel aliorum commodorum jactu-ram adierunt. Hortamenta Beatæ Vitæ in eos vim habuere qui aſſumptis ſponte pœnis vel incommodis breviorem ſibi mortalis incolatûs modum poſuêre; ad æternitatem properantes per detrimentum ipſius medii ad eam comparandam dati. Hæc, ad legum deſerendæ vitæ interpretationem, non ad partium comprehenſarum enumerationem, exempla expreſſimus; quæ & multæ, & variis generibus, verùm ſub his ſemper Legibus diſſipatæ, ſuis locis occurrunt diligenti Animadverſori.

5. Deinceps, quoniam à ſimplicioribus & manifeſtatu facilioribus ad minùs explicabilia Diſciplinarum ingenium nos ducit: Primò, ad partes Hominis; deinde, per Corporea ad Animæ propria quærenda eſt ſemita. Sunt autem in Corpore membra ſenſûs expertia, & Senſus. Quorum, quia Senſus ſunt immediata Cognitionis (hoc eſt, Animæ, quatenus Rationalis Anima eſt) Inſtrumenta, cætera membra ad eos adjuvandos & conſervandos nata ſunt. Qnare cum Membrorum Bona ſint Inſtrumentalia, & inferiora ſunt Bonis Senſuum, & propterea & æſtimanda & tractanda; Bona porrò Membrorum ferè ad Valetudinem,

nem, vires, & decorem reducuntur; quorum Decor, cùm ſpecies tantúmmodo ſit, ſi ad Corpus referatur, Indicium duntaxat Bonorum Corporis eſt; ſi ad exteriora comparetur, ſuam Utilitatem habet, quæ magis ad Fortunam quàm ad Corpus pertinet.

6. Virium duæ quodammodò partes ſunt, Nervorum ſpecialiter dotes. Una Robur, & quodammodò Quantitatem Actionis reſpicit; altera, quæ Agilitas ſolet nominari, ejuſdem Modum, & ſuavitatem quandam, & dominium hominis in membra & actiones denotat. Et hæ quidem duæ Præſtantiam Uſui membrorum conciliant, Subſtantiam Valetudo; quæ, juxta Plantæ & Animalis in homine gradus, dupla eſt; alia, quæ potentem hominem reddunt ad ſui & ſpeciei Conſervationem; alia, quæ ad Motus Animales ſeu tranſlationem ſecundum locum.

7. His ita deductis, ad æſtimationem horum Bonorum progrediendum eſt; &, inprimis, notandum; quòd, cùm dubitatari nequeat quin Totum ſit Parte maius, ſic autem ſe habeant plura ex productis his Bonis ut unum ſine altero haberi non poſſit, palam reſtat ea Bona quæ prærequirunt alia, ſemper eſſe potiora: Reâpſe e-

nim

nim poſteriora includunt priora; &, quod ſequitur, rationem Totius habent; præterquam quòd etiam Finis quoquo modo excellentiam habeant: Unde quidam, qui nihil ultra hanc vitam odoratus eſt, auſus eſt canere,

Summum crede nefas animum præferre pudori,
Et propter Vitam vivendi perdere cauſas.

Ipſam etenim Vitam ſpecioſam & honeſtam, quæ non aliud quam talis vita eſt, dignatus eſt Cauſam ſeu Finem vivendi appellare. Aliud Comparationis Principium eſt, illa quæ purè rationem Inſtrumenti habent, ſi ſint unica & (quod inde naſcitur) neceſſaria, ſicut de ſe nihil æſtimabile continent, ſic totam Finis ſui gratiam induere & æquè cum ipſo Fine æſtimanda eſſe; cùm ipſis deſtitui ſit ipſo Bono per-ſe-concupito deſtitui, & illa habere ſit ipſum Bonum in poteſtate eſſe. Sin alia ſint quoque Inſtrumenta, ex cæterorum cum eo comparatione utilitas propoſiti Organi erit æſtimanda.

8. Verùm, ut gradum promoveamus. Ex præfatis claret Valetudinem, quatenùs ad motus membrorum vim confert, quanti ipſa membra æſtimandam eſſe; quia ſine Valetudine oneri magis ſunt quàm emolu-

molumento ipſa Membra. Integritas rurſus Membrorum, cum Corpora ſint, & Corpus Ens purè inſtrumentale, tantum æſtimanda eſt quantum Uſus. Uſus verò Membrorum (ſepoſitis accidentibus) ad Nutritionem ſeu Conſervationem Animalis inſtitutus eſt, & ex Utilitate ad ipſam dignitatem ſumit. Tanti itaq; faciendum eſt Membrum ex propriis quantum confert ad Conſervationem Animalis, & facilitat ciborum aut propagationis commoditatem. Virium & Agilitatis excellentia aliquale in hominibus Bonum eſt, ſed vix perpenſione dignum, niſi quà per accidens inſignia ſæpè præmia adit; ut Celeritas Cervi vitam tuetur, Robur Leonis eſcam ſibi conficit. Verùm, non ex hujuſmodi accidentalibus æſtimanda eſt in hominibus ipſa Qualitatis dignitas.

9. Senſus, ſaltem cæteri præter Tactum cui non eſt aſſignata propria habitatio, & Membra ſunt, & claret eſſe præcipua. Cùm enim Corpus Animæ cauſâ fabricatum ſit, & Animæ princeps operatio ſit Cognitio, Senſuum quoque functio ſit Animæ cognoſcenda inferre, clarum eſt illuſtriorem eſſe ordinem Senſuum ad ditandam & perficiendam Animam quàm reliquorum membrorum. Veruntamen ipſorum Senſuū

ſub

ſub hoc vocabulo tantum-non æquivoca eſt denominatio. Senſus enim Internus, ubicunque ille ſitus eſt, ſive in Speculo Lucido ſive alibi, formaliter quodammodò eſt ſuſceptivus Cognitionis; Externi efficienter duntaxat. Oculus enim impreſſionem illuminati ſic ſuſcipit, ut fortificatam refractione tranſmittat ad cerebri illam particulam quam Senſationis dote imbutam credimus; illîc ſuſcepta, jam ipſamet Cognitio eſt. Quare, prorſus alia ratio Senſitivi ſeu Senſûs eſt in ea Cerebri parte quam Senſum Interiorem dicimus, alia in Oculo cæteríſve Exterioribus, quorum eadem eſt ratio.

10. Patet ulteriùs, quòd, quoniam Homo ad Beatitudinem non niſi per Cognitionem (ſine quâ nulla eſt Volitio) progrediatur, Vita autem non niſi ad Beatitatem homini prodeſt, tam charum illi oporteat eſſe hoc Internum ſeu genuinæ ſenſationis Organum quàm ipſam Vitam; & plus lædi violatâ irrecuperabiliter Senſatione ſeu ſenſationis Subjecto quàm ſublatâ ipsâ vitâ: Reſtat enim telluris inutile pondus, ſibimetipſi & concivibus gravis, cum nullo ſuæ adeò moleſtæ moræ emolumento. Exteriorum Senſuum, vel potiùs Inſtrumentorum, Viſus & Auditus (etſi ipſi quoque ad

ad victui & generationi præparanda commoda egregiè miniſtrent) eminenter tamen præ reliquis aggerendo ſcibilium in Animam theſauro conducunt; &, propterea, Homini jure gratiſſimi ſunt, & quaſi famuli ad ſecreta Dominæ ſuæ admiſſi & gazarum conſcii. Cæterorum, Tactus ſuâ ſe neceſſitate commendat;nam, ſaluâ vitâ,omninò deficere non poteſt.

11. Quare Ordo Senſuum uſitatiſſimus etiam pretio eorum gradus aſſignat. Viſus, Contemplationi, tum Naturali, quæ Deo ex inſpectione Creaturarum inhiat; tum Artificiali, cujus Miniſtræ ſunt Lectio & Scriptio,præ cunctis inſervit. Auditus propter Auſcultationem & Diſputationem, quæ ineffabilia convehunt in Animam diſciplinarum augmenta, ſoli Oculorum ſervitio cedit. Odoratus quaſi Portitor cerebri eſt, ſaluti ipſius ſpecialiter conſulens; monendo qui grati, qui inimici hoſpites, regionem obſideant & aditum tentent. Guſtus quoque, præter Victûs ſalubris tentationem & experimentum, etiam ad Naturæ rerum interioris explicationem mirificè confert: quod ipſum quoque non leve eſt Odoratûs beneficium, ſunt enim apertiſſimè cognati hi Senſus. Verùm, hujuſmodi Scientia rariùs adhibetur ad Divi-

Divinitatis Meditationem. Tactus omnium minimè ad Sapientiam immediatè ſubſervit, & infimâ propterea ſede contenta eſt.

12. Senſuum adhuc non levis laus, ſed præcipuè Tactûs, reliqua eſt; putà, quod Vegetativæ partis operationes ab iis, ſi non omninò, certè ex magnâ parte regantur & dirigantur. Quomodò enim evidens eſt Reſpirationem à Voluntario motu adjuvavari, ſic, ſi penitiùs ſcrutemur, eandem totaliter ab eâ pendere non obſcurè deprehendemus. Videmus in deliquiis quàm intermortua ſit dum languet Tactus. Videmus inter ſomnum, ſi quid eidem obſtat, expergiſci Animal præ contentione Naturæ. Non poſſumus dubitare quin Cerebrum Tactu fruatur dum ſopitum videtur, quandoquidem Somnia leviſſimis contactibus illud agitent. Eſt itaque, quamdiu animatur Homo, vivus Cerebri Tactus: Si enim Cerebri uſu privatus eſt Homo, jam non eſt ſenſitivus, hoc eſt, Animal. Si autem Reſpiratio ſemper à Cerebro & Senſu cauſatur, conſequum eſt etiam illos motus, qui à reſpiratione pendent, omnes à Cerebro & Senſu proficiſci. Quare & Ingeſtionem & Egeſtionem veſcomur, & Concoctionem & Expulſionem è ven-

ventriculo; &, verbo, quicquid ope nervorum fit. Quod autem ſit aliquis à Naturâ inſtitutus in uſum Animalis motus qui à nervorum agitatione non deſcendat, nec dum mihi patet. Sive autem in univerſum motus Animalis à Senſu oriatur, ſive non, certè illuſtris ipſius portio, etiam ad Vegetativum gradum ſpectans, nativitatem ab eo trahit.

TRUTINATIO SECUNDA.

DE

Voluptate Senſuum in genere; & ſpecialiter de eâ quæ eſt ſecundùm Guſtum.

1. ET hæc quidem hoc propoſito deduximus, ut Voluptatum quas à Senſu agnominamus, & Finem & Pretium indagemus. Providens ſiquidem Architecta Naturæ Sapientia, Animal, ſine pulſu aliquo, ad actiones neceſſarias continuationi ipſius deſidiosè acceſſurum, ſtimulos excogitavit, alios dolorificos, alios ſuaves. Cúmque Conſervatio penderet ab

Digitized by Google

eo, ut & quæ vi cauſarum hoſticarum (ſive extrinſecùs incidentium, ſive ipſi, propter Principiorum ex quibus natum eſt, contrarietatem immanentium) deraſa vel debilitata forent, ſeu reſtituerentur ſeu confirmarentur; & alia, quæ vel perperàm ingeſta fuiſſent, vel utilibus adhærentia ſubrepſiſſent, expellerentur; Irritamenta quædam, quæ, commodâ affricatione ad organa ſenſationis, neruos ad admiſſionem propitiarum vel ejectionem nocivarum ſubſtantiarum cogeret, adinvenit; & alia, quæ ipſum implendi & deplendi corporis motum gratum redderet. Hunc actionum florem, Voluptatem vocant; adeò manifeſtæ in Appetitum Animalis efficaciæ, ut non dubitaverit Ariſtoteles pronunciare, Stultum eſſe quærere cur quis velit delectari; tanto tamen apud rigidos odio, ut omnibus eam conviciis proſcindant. Sed hi, ni fallor, Authori Naturæ injurii ſunt.

2. In tanto diſcrimine magnorum Virorum, noſtrum eſt ut, quo modo Voluptas ipſa ad Virtutem ſeſe habeat, exquiramus: Scilicet an Virtus aliqua Voluptatem per ſeſe eligere nata ſit. Et ex dictis indubitatum eſt Voluptatem non poſſe ſic appeti ut non propter aliud appetatur: Neque enim cum ratione Ultimi Finis toties & propoſitâ

tâ & examinatâ conſiſteret, aliud non propter illum appeti. Sed quæritur, utrum Voluptas intendi poſſit tanquam Medium ad hunc Ultimum Finem, vel tantummodò admittatur tanquam comes Actionis, ſine quâ Actio non poſſit perfici.

3. Et ſtatim ex ipsâ evolutione quæſtionis manet manifeſtum, eam tanquam Medium ad Supremum deſiderabile appeti oportere. Si enim Voluptas Aliquid eſt, maximè ſi Actio eſt, malè ordinata erit Natura, niſi, ex ipsâ vi ſedis ſuæ in rerum Naturâ, habeat Hominem ad Beatitatem promovere. Idem ex proximo fine ipſius Voluptatis ſeu ex effectu ipſius liquet. Cùm enim faciat operationem delectabilem & iteratu gratam, palámque ſit propterea Naturæ inditam, non minùs apertum eſt ad hoc inſtitutam eſſe, & ad hoc appetendam. Accedit, penetrabiliorem eſſe in nervos Objecti virtutem dum ciet Voluptatem; & per conſequens nervos, per quos Actiones naturales vel efficiuntur vel adjuvantur, magis in voluptate conniti. Qui itaque Voluptatem affectat, actionem perfectam quærit. Eſtque proinde Voluptas æque atque ipſa Actio quærenda. Tandem Voluptas vel eſt ipſum ſcire ſibi benè eſſe, ſeu (ut ſic loquamur,) ipſum anima-

liter benè eſſe, vel diſpoſitio Eſſentiæ conſequens hoc eſſe, & compoſita ex ipsâ & Eſſentiâ: Qui itaque refugiunt Voluptatem & ſolam amplexantur Actionem, nobiliorem & vitalem actionis dignitatem & eminentiam repudiant, & materiali mortuæque adhæreſcunt. Certum itaque eſto ipſam Voluptatem à Virtute cum debitâ mediocritate eſſe ſectandam.

4. Per ipſa tandem Morum latifundia, vaſto rerum humanarum æquore diffuſa, expatiari licet. In quibus quæ primò occurrit, cæterorum Finis & pretium, eſt ipſa Sanitas; hoc eſt, Vita ſana, & exercitio ſeu culturæ Animi humani opportuna, & ab iis regulanda. Non itaque Athletica Sanitas, vel nervorum robore, vel ſucculentâ corporis habitudine, vel pulchritudine, aut agilitate, aliâve gratiâ quæ corpore terminetur, præſtans, Homini, quatenùs Homo eſt, venit appetenda; ſed ea quæ Cerebri functionibus, & Scientiis excolendis, & vera Judicia in mentem demittendo maximè ſervit. Hæc eſt Senſuum Sanitas; quæ Membrorum ſanitatem ſuprà æſtimatam, ut materialem & inſtrumentalem partem, in ſeſe comprehendit. Talis Sanitas nimiùm haberi diuturna non poteſt. Longævitas itaque

itaque optanda eſt & conanda homini ex Finis & Ultimi ſui Boni præſcripto; cùm deſiderii futurorum bonorum imprimendi nullus ſit terminus niſi quam Naturæ neceſſitas figit, quando ultrà vivi non poteſt: Qualitas verò Sanitatis ea curanda eſt, quæ pacandæ & purificandæ phantaſiæ maximoperè eſt idonea. Sanitatis propria & genuina cauſa eſt cibi potûſque aſſumptio; proxima proinde circa ea verſanda eſt Quæſtio. Neque difficile eſt ex præaſſumptis inferre, eam oportere eſſe alimentorum & quantitatem & qualitatem, quæ ad Sanitatem ſuprà explicatam maximè confert.

5. Abſtrahendo itaque ab iis quæ per accidens comeſtionem & potationem comitantur, nulla cibi vel potionis ſpecies eſt vitiosè pretioſa vel delicata niſi quatenus vitiat Phantaſiam, phantaſmata unius lineæ & propaginis plus æquo accendens. De Quantitate par eſt ratio. Regulæ itaque Temperantiæ, quoad hæc, à Medicorum placitis, ſed maximè ex privatâ obſervatione & experientiâ, hauriri debent; quid gravet & conſtantem vitæ curſum interpolet, quid è diverſo juvet, & propoſitam contemplationem promoveat, advertendo.

Quicquid autem aliunde circa hæc variari poſſit, neceſſum eſt hanc Regulam conſtantem tueri, ut ille ſit cibi & potûs modus qui ſpirituali vitæ exercitationi, (ſi non hîc & nunc, certè) in univerſum convenit. Unde Temperantia exigit talem ſubjectionem paſſionis, ſeu concupiſcentiæ cibi & potûs, ad deſideria Beatitudinis, ut in quibuſdam circumſtantiis ab omni cibo potúque, juſſu Rationis, valeat Temperans abſtinere.

6. Sicut autem in univerſum generali Corporis ad Animæ miniſterium aptitudini conſulitur, ſic Temperantis eſt in ſingulis refectionibus æſtimare quid ſibi, ante ſequentem, ex hujus paſtûs efficaciâ ſit agendum; & hoc attendere, ut neque ad operationem ſuam vel defectu virium ſit imbecillis, neque copiâ ingeſtorum deſes & ineptus. Pretium igitur Alimenti ex fructu, hoc eſt, à commoditate quam facit ad Contemplationem vel Actionem, ſeu ex viribus quas ſufficit ad eas in præſenti æſtimanda eſt. Voluptatis verò æſtimatio, ex eo quod præbeat vires & excitationem ad ſumendum quod nobis in illum finem eſt conveniens. Et, qui ex hoc fine & methodo comedit melior eſt abſtinente, ex propriis utrumque penſando. Abſtinentia e-

nim

nim & Jejunium, citra accidentia (verbi gratiâ, Præceptum, vel Conſuetudinem, & alia hujuſmodi,) ex propriis librata ponderibus, neque bona ſunt neque mala; ſed, ſicut ipſi cibi, materia Temperantiæ, & ab ipsâ regulanda.

7. Ex his de ſpeciebus Temperantiæ circa alimenta facile eſt judicium ferre: Ex ipsâ enim dictorum facie & quotidianâ experientiâ in aliquibus cernimus vehementem appetitum multi cibi vel potûs; in aliis mediocris, ſed delicati. Unde propriæ Temperantiæ & Intemperantiæ ſpecies immediatè ſunt duæ. Et Vitia quidem etiam ſingulas denominationes acceperunt: *Ingluvies* ſiquidem cibi Quantitatem reſpicit, *Gula* Qualitatem. Ingluviem oſtendunt præoccupatio cibi antequam ventriculus ſit vacuus, aviditas in vorando & nimia oppletio: Gulam, cum condimenta vel etiam pretioſiores cibi quæruntur quàm comedentis conditio patitur. Effecta comitantia & hominem deturpantia ſunt ferè inclinatio aliqua in Venerem indecora, & Verboſitas, & facetiæ ſordidæ, & geſtitio ludicra, & apparens excrementorum exuberatio, & ad abſtractionem Mentis gravitas & deſidia. Dicuntur hæc Vitia *Puerilia*, quia Pueri & Puellæ, ex na-

tivo calore rapidè facilis digeſtionis alimenta vorante, plerumque ſunt avidi ciborum, præſertim fructuum & bellariorum, quia ſuavia ſunt nutritiva.

8. Speciale eſt in potione Vitium quod Ebrietas appellatur; ſed Gulæ vel Ingluviei filia, potiùs quàm ſpecies Intemperantiæ; Vinum enim, non Ebrietas vel Exceſſus Vini, concupiſcitur; & nimium ipſius deſiderium trahit Ebrietatem, tanquam effectum: Variantur autem Virtutes & Vitia per materias, non per effecta. Nomen tamen Sobrietatis ſonat affectum mediocrem potûs, & propterea inter virtutes collocanda eſt; cui adverſatur Ebrioſitas, non Ebrietas. Conſiſtit autem Ebrietas in eo quòd Homo ſit Beſtia Rationalis; hoc eſt, ut utatur Ratione ut Servâ Paſſionis, non ut imperante. In eo itaque conſiſtit hoc Vitium, non ut Homo perdat Rationem, ſed ut eâ abutatur. Turpitudo enim Ebrietatis eſt in defectuosâ Actione. Eſt etenim liquoris inebriativi vis in eo ſita quòd facilè convertatur in fumos & Spiritus calentes ſeu activos, qui juncti ſpiritibus quos in corde præcellere invenerint, eos augent & faciunt hominem inſigniter activum circa materiam ad quam per illos Spiritus propendet. Unde opplentur

tur adeò unius propaginis ſpiritibus vacua cerebri, ut alii Spiritus locum & vim agendi in animum non retineant: Et per conſequens non maneat homini poteſtas conferendi oppoſita, ſed agitur violenter in unam partem; & nonnunquam non ſolùm fertur in illam partem, ſed etiam adeò vehementer, ut ſemet ipſe à cupiti conſecutione impediat. Status itaque Ebrietatis eſt analogus & proportionatus ſtatui Paſſionis.

9. Ex his manet aperta ratio tot inordinatarum actionum quæ in ebriis videntur. Regulariter enim in quâ quemque actione occupat Ebrietas, eam auget & exaltat. Unde alium ſuperbire & magnificè loqui, alium furere, alium ineptire & geſticulationibus riſum movere, alium laſcivire ſæpè videmus: Alium amicitiæ & liberalitati, vel prodigalitati exponit; alium lachrymis, alium riſui deditum facit. Eſt autem Vitiorum & inhoneſtiſſimum, quia non manet poteſtas turpitudinem ſuam celandi; & periculoſiſſimum, quia non habet Ebrius quo caveat mala. Patet ex præfatis Ebrietatem in quodam medio conſiſtere; unde, qui uſque ad Somnum & ſtuporem bibunt, Gulâ vel Ingluvie, non Ebrietate,

peccant; &, tantundem eſt de iis quibus titubant pedes, & linguæ non eſt liber uſus; hi enim nimii potûs, non Ebrietatis effectus ſunt: Neque enim Homo per hæc fit Beſtia, cujus actio corporea integra eſt; ſed magis ad Plantam accedit, quæ motu alio quàm vegetationis deſtituitur. Ex oppoſito quoque non omnis exuberantia potûs vituperabilis eſt: Palàm enim eſt, quòd, cùm Ebrietas per exceſſum ſpirituum auferat Rationis imperium, donec ad illum gradum aſcenditur, Rationi imperanti copiam ſpirituum inſervire, & per conſequens præclariorem aliquando eſſe Rationis actionem: Et hoc ſolent familiariter vocare, *bibere uſque ad hilaritatem*; facit enim Potus converſationem gratiorem propter mobilitatem phantaſmatum.

TRUTINATIO

TERTIA.

DE

Voluptate Venereâ.

1. EX ingeſtione alimentorum quæ per cauſas materiales & phyſicas, hoc eſt,

eſt, errantes geritur, fit ut neceſſariò, non ſolùm eorum quæ ut inutilia ſecernuntur, ſed, etiam utilium in corpore redundantia naſcatur. Cavit enim Natura ut minùs nocens foret redundantia, quàm defectus; quia, cùm ex ſollicitudine ſecutura eſſet copia, etiam frequentius fuiſſet nocumentum, ac proinde majus. Neceſſe fuit conſequenter inſtituere media & irritativa ad ſuperflua rejicienda. Irritamenta verò vel ſunt per Pœnas & dolores, vel per Voluptates: Cum itaque ipſa ſuperflua, alia ad ulteriorem Naturæ uſum ſint applicabilia, alia noxia; & Utilia, Naturæ conſentanea, Noxia eidem adverſa; inſtituit ut hæc, ſtimulante pœnâ, proturbarentur per ampliores meatus, illa per anguſtiores cum jucundo ſenſu emitterentur. Quare patet Voluptates per ſe loquendo, ſeu comparatè ad quantitatem ejiciendorum, eſſe Pœnis diuturniores & majores; compreſſione efficiente & ſenſum acutiorem, & tranſitum lentiorem.

2. Sicut autem triplex eſt Concoctionis ſtatus, ſic & Ejectionis cum voluptate triplex motus. A Concoctione enim ventriculi ſequitur Tranſpiratio, quæ potiſſimè fit per Somnum. A Concoctione in nervis, venis, & arteriis, ea exudatio quæ fit

per exercitium. Tandem, ab eâ quæ fit in vaſis ſeminariis naſcitur Ejectio proletaria; quæ cæteris & vehementior eſt, & in mole magis conſpicuâ per eundem canaliculum expreſsâ, & (quod ex eo fit) majoris etiam Voluptatis; etſi ſuâ quoque delectatione imbutæ ſint cæteræ. Circa hæc omnia proinde quærenda eſt Temperantia. Palàm autem eſt maximè per ſe intentam eſſe voluptatem proletariam; tum quia eximiè utilis eſt operibus Naturæ, hoc eſt, multiplicationi Generis Humani, in quo ſitus eſt finis corporeæ hujus machinæ; tum quia ipſa ſeminis indoles magnum animi vigorem confert, ut ex Eunuchorum & effeminatorum mollitiâ conſtat; unde è re Naturæ eſt ut in corpore abundet: tum quòd gravia & corpori & animo ex ſuffocati ſeminis abundantiâ innaſcuntur damna. Propter hæc itaque appetenda eſt Voptas Venerea.

3. Et ſtatim apparet moderatio ei debita ex Univerſali Fine, ſeu Sanitate, hoc eſt, aptitudine ad Contemplationem. Et quoniam Voluptas hæc in ſecretione & rejectione poſita eſt, propterea Malum vitare magis ad Naturæ intentionem & ad Virtutem moderatricem ſpectat, quàm Bonum quod ex retentione ſequitur. Malum

lum autem præcipuum, hoc eſt magis importunum & Contemplationem impediẽs, eſt inflammatio quædam Cordis & perturbatio Phantaſiæ per cogitationes ad Venerem ſpectantes. Et plerumque, ſi hæ non redundent, ex nimietate ſeminis nullum malum homini adnaſcitur. Hoc itaque eſt propter quod hæc Voluptas ex præſcripto Naturæ aſſumenda eſt; non quòd alia motiva ſint mala, ſed quod hoc unicum ſit neceſſarium, & à Naturâ impoſitum.

4. Dices, Finem Naturæ eſſe Prolem, & per conſequens intentionem prolis eſſe rationem, vel ſolam, vel certè præcipuam, copulæ Animalis. Adde quòd turpe ſit Corpori & Appetitui Senſitivo vel ſatisfacere, vel certè ſubjici. Reſpondetur, Naturæ quidem & Dei finem præcipuum eſſe continuationem generis humani; ſcilicet quatenus Naturæ Artifex & Gubernator eſt; ſed nobis hanc provinciam non mandavit, & aliud ſæpenumerò eſt quod Deus ipſe vult, & aliud quod nos velle vult ut ipſe effectum ſibi propoſitum introducat: Et impræſentiarum ſingulis hominibus ſuæ vitæ & Contemplationis impedimenta removenda præſcripſit. Cùm itaque potiſſimum bonum quod in ordine ad privati vitam affert congreſſio ſexuum

ſit liberum eſſe moleſtiis phantaſiæ, ad hoc eſt. præcipuè & immediatè in hâc voluptate attendendum. Et habemus expreſſam Apoſtoli vocem ſæpiùs iteratam; ut, *melius eſt nubere quàm uri*; *Unuſquiſque habeat uxorem ſuam propter Incontinentiam: Redite in idipſum ne tentemini.* De deſiderio verò prolis neque ſyllabam.

5. Et certè deſiderium Prolis ad quid eſt? Propter delectationem dum parvuli ſunt, aut adjumentum cum majores? Palam eſt utrumque finem eſſe imperfectum, & indigere alio ordine ad Ultimum Bonum ut ipſa hæc deſideria licita ſint; & per conſequens eſſe ſejunctiora ab Ultimo Fine quàm ſit Voluptas prolifica. Cum enim utrumque non ſit aliud quàm temporarium ſolatium & aptum menti à Deo avocandæ, & pars *Tribulationis Carnis* quam minatur Apoſtolus Conjugibus, hæc ipſa intentio rectificanda eſt per medium aliquod vinculum ad Charitatem & deſiderium æternæ Beatitatis. Ultra hæc, ſi fixè intueamur quid deſideret, anceps quiddam eſt, æque ad Malum propendens atque ad Bonum. Si deformis naſcatur proles, ſi ægrota, ſi poſt graves educationis curas, vel quando pellaci loquacitate blanditur Parentum affectibus, vel quando inter coæ-

taneos

taneos apparens ſpem longam fructûs oſtentatione cœpit ſolari aut exaltare, præcoci abripiatur Fato, quid præter laborem & dolorem tantis votis retribuet? Graviora cogitemus; ſi ſtultus, ſi nepos, ſi impius evaſerit, ſi ingratus ſuis Genitoribus, maledictionem pro benedictione conquirat: Si reſte vel Gemoniis cum Parentum infamiâ mundo exceſſerit, num non irrita cecidiſſe vota conquerentur? Quis itaque prudens talia optata concipiet? vota edat? Graviora adhuc ſunt; ſi Patriæ Hoſtis ſpem familiæ everterit, & opes, & famam, & prognatos in ruinam traxerit, progignendorum truncum ſucciderit, radicem expurgaverit. Et quid horum eſt cui Parentes non exponant improvidæ de fecunditate preces? Ut nimiùm verè pronunciatum fuerit, *Steriles infortunio eſſe felices*.

6. Veruntamen, ſi expectata gaudiorum meſſis pericula compenſet, juſta apparebit natorum appetentia; & ex publicâ ſerie vitæ humanæ, quadrupla ſeſe offert merces deſideriorum: Blanditiæ parvulorum, Laus & Honor ex herbeſcente Adoleſcentia, poſtea Adjumenta, & tandem hominis & tribûs continuandæ Gloria. Adverſus quæ primùm ſe offert; Trium prio-

rum

rum gratiam eandem ab expoſito in plateis Infante æquo ſi non meliori jure expectari poſſe; hâc ſolâ differentiâ quòd affectuum non ſit par adhæſio; quod ſignificat neque tantam eſſe in malis ægritudinem, neque in ſollicitudine vexationem, neque in bonis pariter & malis Animi à verâ Felicitate diſtractionem. Quarta, umbra quædam Boni eſt, fallaci ſpecie à ſolidis nos avertens ſolatiis. Nunquid enim abſtracta Mens, ſive Summæ illigata Dulcedini, non hanc contemnet? Sive, ejuſdem deliquio conſternata, non eam ut malorum ſibi ſemen execrabitur? Sed imperturbatæ conſiderationi objecta, Quid boni Avo vel Tritavo apportat? Laudem non commeritam de virtute non ab ipſo profectâ, de quâ prudens profiteatur, --- *Non ea noſtra voco.* Vanus proinde eſt Conjugum ad prolem labor, & ex Ultimi Boni ratione penſanda circa liberos opera. Non tamen propterea levem educandorum liberorum gratiam facio, ſi Conjugibus non tantum ſit Animi robur ut ad puriora ſe applicare poſſint, vel ex fecunditate Naturæ imperium ad operas in liberos impendendas acceperint.

7. Quod autem dicatur inhoneſtum ſervire & ſatisfacere Appetitui Senſitivo, ex æqui-

æquivocatione erratur; ſicut enim paraſiticè propter Voluptatem comedere vel potare vituperabile eſt, ſed famem ſolari honeſtum, ut & cuilibet morbo corporis mederi; ſic etiam propter Voluptatem operari liberis vitioſum, ſed ad vitandam importunitatem Naturæ & moleſtiam cogitationum æquum & naturale eſt.

8. Ulteriùs, ipsâ Experientiâ compertum eſt delectationum quæ à *S*enſibus ſeu potiùs in Senſibus ſunt, eſſe maximam hanc quæ generationem comitatur. Sive enim Objectum ſpectemus, non eſt vile quidpiam, quale cibus & potus, ſed Viro ſuppar, Feminâ præſtantius. Sive Inſtrumentum ſeu primò motum, eſt Cerebrum ſeu Phantaſia, proprium Voluptatis ſuſceptivum & cauſativum. *S*ive agendi Modum, non in unum Membrum ſolùm ſed in totum Corpus vernum quendam fervorem ſuperfundi perſpicuum eſt; unde amplexus & mutua inhæſio conſequuntur. Adde Nervos, quibus Spiritus animales convehuntur, amplos & validos. Tandem cenſeri prolem perfectiorem & validiorem quæ cum majori Voluptate perficitur; Vnde fit illegitimos non rarò præſtantes evadere. Ex intentio-

tentione proinde Naturæ eſt ut voluptas in hâc actione ſit potiſſima.

9. Et quoniam in Homine Cerebrum in proportione ad Animal majus eſt quàm in cæteris Animalibus, ſit Homini voluptatem vel certè cauſas voluptatis majores eſſe quàm aliis animalibus: Nempe idcircò cætera Animalia ſtatutos habent generationum recurſus; Homini conſtans inclinatio à Naturâ inſtituta eſt, ut non interrupta foret Conjugum Societas ad Oeconomiæ & prolis adminiſtrationem adeò neceſſaria. Tandem, quòd vehemens ſit nervorum & ſpirituum animalium in generatione agitatio, præter evidentiam connixionis in Luxurioſis, ex notis deſiderii quæ in Infantes à Matribus præcipuè imprimuntur manet confirmatum. Hæ enim clarè à Phantaſiâ per nervos & Spiritus ſigillantur in Infantibus: Unde cùm in ipſo calore procreationis ſæpè imprimi contingant, manifeſtè concurſum ſpirituum indicant. Hinc, maximè in mulieribus vehementibus paſſionum fluctibus ſubjectis cauſantur hæ notæ, quæ eædem ex delectatione hâc maximè patiuntur.

10. Non tamen propterea Moderatio circa venerea præferenda eſt Temperantiæ circa Alimenta; Cùm enim Virtutis ratio

tio & excellentia ex ordine ad Supremum Bonorum deſumenda ſit; tantò Virtus aliqua eſt nobilior, quantò majorem efficaciam ad illud conſequendum exerit. Palàm autem eſt Moderationem Victûs & magis conſtantem, & conſtantioris impedimenti remotricem eſſe; quælibet enim immoderantia victûs ſtatim gravat hominem & à Contemplatione cogit abſtinere. Deinde Cibus per ſe operativus eſt Contemplationis; Venus tantummodò ut removens prohibens, nempe importunas phantaſias. Neque refert quòd Virginitas & Caſtitas in magnâ ſint hominum admiratione poſitæ, & valdè difficiles & arduæ; &, quod ſequitur, plus boni in ſeſe habere credendæ ſint quàm eæ quæ ſunt vulgo communes. Eſſe enim quidpiam arduum vel difficile eſt Bonitati effectûs accidentale; & eò uſque laudandus victoriæ labor donec præſtantia effectûs meretur conatum ſuperandæ difficultatis: quem certum eſt Caſtitatem (niſi fortè Conjugalem, quæ multis etiam temporalibus bonis redundat,) non aliter compenſare quàm per ordinem ad Contemplationem; quandoquidem Natura non foret benè ordinata ſi ſterilitas ex ſeſe præferretur fecunditati.

11. Bonum itaque Caſtitatis deſumendum

dum eſt ex ordine ad Contemplationem, & conſiſtit in libertate quam dat ſerviendi Ultimo Fini:in quâ conditione (ut dictum eſt) cedit Temperantiæ Alimentorum. Etſi enim Caſtitas cum addita eſt Temperantiæ multum elevet hominem ad Contemplationem, tamen ut condiſtincta eſt & ſingulatim ſunt comparabiles ad Ultimum Finem, ita cedit Temperantiæ circa victum, ut expoſitum eſt. Neque hominum æſtimatio multum curanda eſt, qui (ut in proverbio eſt) difficiles etiam nugas admirari non deſinunt. Quos itaq; delectat Caſtitas, Victûs Parſimonia tanquam ejuſdem Parens & Cuſtos, & quæ eandem ad fructum perducat & finem, pariter & magis attonitos teneat. Autumes Virtutum quæ circa paſſiones impenduntur, eas quæ fortiſſimas paſſiones comprimunt debere ceteris præferri. Cùm itaque jam declaratum ſit delectationem Veneream eſſe violentiſſimam, ſequitur Caſtitatem eſſe ex Temperantiis perfectiſſimam. Reſpondetur, virtutes conſiderari circa Deſideria delectationum tanquam Actiones ſeu Materiam, circa verò ipſas delectationes tanquam Objecta. Deſiderium autem eſcæ, videlicet Fames, eſt magis violenta quàm Concu-

cupiſcentia carnis, ut patet ex eo quòd eam tollat;& quòd adeò horrendi effectus, (quàm ſunt hominem vivum, vel etiam ſuas carnes & ipſa venena voràſſe) præ potentiâ Eſuriei patrata ſunt, quales nunquam ex Veneris cupidine nati eſſe prodantur. Imò canes & alia Animalia; & imprimis Amicos, caſto amore pro ſuis ſeſe morti objeciſſe (quòd maximum ferè eſt quod ex Concupiſcentiâ naſcitur) legimus & audimus.

12. Ex dictis præ manibus eſt Moderationis Regula. Si enim nullæ præterea circumſtantiæ premant, attendenda eſt tentationum moleſtia; quæ, ſi graviorem vitam & à Divinis rebus magis alienatam reddat quàm quæ mulieris contactum comitantur incommoda, ſubdenda eſt jugo Matrimonii cervix. Si, ex oppoſito, Tribulatio carnis oneroſior eſt, in libertatem ſeſe aſſerere mandat Suprema vitæ humanæ Dux & Regula. His conſilium dedit Gentium Magiſter, ſive Virginibus, ſive Viduis, ut maneant Deo devotæ. Et ſubſtantialis quidem Virtutis ratio in utriſque par eſt, nempe propoſitum perſeverandi uſque ad mortem in cælibatu: ſed materialis extenſionis hæc eſt varietas, ut univerſalitatem

ſeu

ſeu totalitatem vitæ in Virgine contineat; in Viduâ ejuſdem partem; etſi ejus quæ ſuperſit, totam; quæ proinde differentia in juvenibus non eſt magna.

13. Eſt eſt alia, ſed ambigua; quòd Virgo non ſit experta Voluptatem quam deſerit; Vidua è contra illam ſuſtinuerit. Verùm hujus conditionis anceps eſt vis ſecundùm Perſonarum indolem: In unâ enim expertorum gaudiorum memoria, iis in perpetuum carere arduum efficit; in aliis tantùndem agit experimenti defectus. Sed, in hoc plerumque excellit Viduitatis cauſa, quòd potens ſit ſuæ Voluntatis; cùm vitæ conjugalis experimentum habeat; Virginum, præſertim juvencularum, magis dubia eſt fides. Cùm enim quaſi ſecretæ à rebus humanis degant in Parentum ædibus, vix eſt unde quis ſibi perſuadeat quòd ſufficientem notitiam uſûs Humani habeant, ex quâ cum ratione ſe poſſint Matrimonii ſolatiis in integram ætatem abdicare. Patet itaque maturæ ætatis oportere Virginem eſſe, in cujus manu tanta de ſe diſpoſitio relinquenda eſt; neque ſecundum Annos ſed ſecundùm Judicii ſoliditatem æſtimandam eſſe hanc maturitatem; quamvis non minimè ab educatione uſque à puellari ætatulâ pendeat.

14. Sed

14. Sed ſubjicit nobis Apoſtoli accurata expreſſio occaſionem alterius dubitationis; Utrùm ſcilicet alia cauſa ſufficiat Virgini ſubtrahendi ſeſe Matrimonio, quàm ut ſeveriùs ſeſe ad æternitatem paret; adeò enim diſertè effert ſe hoc ſuadere ut habeant majorem libertatem ſerviendi Deo, ut videatur hæc eſſe unica exceptionis ratio. Et certè de Viduis fortiter premit, ad Timotheum ſcribens ut *adoleſcentiores viduas devitet*; & rurſus, *Volo Iuniores nubere &c.* Et clarè innuit cauſam, quia ſcilicet defectu occupationis evadebant *otioſæ*, *verboſæ*, & *curioſæ*, *circumcumeuntes domos & loquentes quæ non oportet.* Et addit experientiam, quòd *jam quædam converſæ erant retrò Satanam.* Cùm itaque eadem ſit ratio de Virginibus quæ de Viduis adoleſcentibus, eadem debet credi Apoſtoli de utriſque ſententia, modò Virgines extra Parentum ſint poſitæ poteſtatem.

15. Enimverò, ſi natura ſexûs reſpiciatur, clarum eſt quòd propria ſalutis femineæ via in generatione liberorum, ut Apoſtolus docet, ſit collocata: Unde Conſecratio, quâ totaliter Deo dedicantur, inter Heroicas actiones computanda manet: Heroicæ autem actiones & paucarum ſunt, &

non

non niſi ad magna aſpirantibus ſuſcipiendæ. Certè itaque viles cauſæ, ut, quia non poſſint vivere in pompâ quam ſibi debitam credunt, vel nè cogantur laborare manibus, & hujuſmodi aliæ, non ſatis ſunt ad amplexandam adeò egregiam ſortem. Non obſtant tamen dicta quin hæc utiliſſimè ducant ad vera incitamenta attendenda & menti admovenda, & ita per accidens ad effectum ipſum perducant.

16. In ipſo non minùs Matrimonio experientiæ aſſueſcendum eſt, & ex agnito in Contemplatione profectu metienda quantitas Voluptatis: Quod, cæteris circumſtantiis mente deductis faciendum intelligitur; in re enim multa alia conſideranda incidunt.

TRUTINATIO QUARTA.

DE

Aliis Voluptatibus ſecundùm Tactum.

1. CONjugali delectationi affinis eſt ea quæ in oſculis & contactibus potiſſimam antevertit vel ſequitur: Eſtque gradus

dus quidam & acceſſus, vel reliquiæ ſurgentis aut decedentis paſſionis. Dulcedo maximè conſiſtit in excitatione phantaſiæ, ex quâ ſequuntur in nervis prævii quidam motus, & præparatorii ad generationem & inclinationes ipſius: præterquam quòd ſint Amoris, quæ eſt dulcis paſſio & generationis parens, indices. Eſt nihilominùs radix quædam dulcedinis in ipſo exteriore contactu, quæ ad ſuſcitandos hos effectus inſtrumentaliter deſervit; quæ etiam, abſque ulteriori fine, ſolatium quoddam Animi, & moleſtiæ ægritudiniſque medicinam, & cordis dilatationem cauſat. Horum itaque moderatio clarè in hoc conſiſtit, ut eo fine & modo ad Veneream præmittantur, ut actionem perfectam & intentioni Naturæ congruam reddant. Aſt, eorum quæ hilaritatis occaſione exercentur, ab circumſtantiis & periculis æſtimanda eſt moderatio.

2. Hæret ad hanc Ludi contemplatio; Ludi, inquam, Naturalis, quem videmus & ab Animalibus & ab Hominibus, præſertim Adoleſcentibus celebrari; & poſitum in motibus quibuſdam localibus, modò ab unâ perſonâ ſolâ, modò à pluribus, aliquando cum contactu, aquando ſine illo, plerumque cum quâdam

victoriæ & excellentiæ affectatione, exhibitis. Nam & hi motus cum ingenti delectatione, & in hominibus cum riſu, in catellis quoque domeſticis gratâ quâdam commurmuratione; in cattis rerò domi, & in agris ab hædis, hinnulis, agnellis, mannis & aliis Animalium pullis cum eo habitu corporis qui delectationem teſtetur, peragi cernuntur. Et Voluptas horum motuum eſt tota Interna; ex eâ quæ honeſtum adoleſcentiæ amorem (hoc eſt, ex gratâ & amicâ converſatione originem ducentem,) & illâ quæ ſuæ excellentiæ agnitionem ex Victoriâ patefactam ſequitur, conſiſtens. Nam, non niſi inter Sodales & notos exercetur Ludus, vel certè hi præferuntur; & Victoria talis eſt ut non offendat benè diſpoſitos. Intentio autem Naturæ in his eſt diſcutere fumos vel humores graves, in membris, maximè verò in articulis, ex ciborum, in vaſibus ad eos circum corpus ferendos deſtinatis, concoctione reſiduos. Unde & per ſe moderatio in his petit, ut tantus & talis ſit Ludus qui Sanitati ad exercitia homini propoſita idoneæ conſervandæ deſerviat. Somnus ad eundem Finem à Naturâ inſtitutus eſt.

3. Somnus ſiquidem dicitur quædam oppreſ-

oppreſſio Senſuum ab humore, vel ab exercitio, vel ab alimentorum qualitate aut quantitate proveniens. Unde per antiperiſtaſim concentratus calor viſcerum fortiùs erumpit; & modò digerit ſimiles humores, modò per tranſudationem excernit. Hoc cum Voluptate fit, quæ in profundo Somno vel nulla eſt vel quaſi ſurda; ſed, in confiniis Somni & quaſi mediâ vigiliâ ſentitur lenis quidam vapor affricari membris cum grato ſenſu, & in eo viget Voluptas Somni. Sed vitium & Intemperantia Somni videtur magis ad Mollitiem quàm ad Concupiſcentiam reduci: Qui enim Somno cedunt, magis gravitati cedunt quàm Voluptate trahuntur. Sed interdum utrâque tentatione junctim vincimur. Moderatio Somni ab actionis ſecuturæ alacritate & perfectione in particulari metienda eſt; in univerſam vitam à regulis Medicorum & privatâ experientiâ eſt petenda. Et ſic de Voluptatibus ſecundum Guſtum & Tactum principia ſunt expoſita.

4. Supereſt tertius ſenſus Odoratûs; cujus vehementia magis in noxiis fugiendis quàm in appetentiâ placentium manifeſta eſt; & propterea Intemperantia hujus Voluptatis ſpeciale nomen non habet; neque

per ſe loquendo, ſepoſitis circumſtantis rarò incidentibus, inter homines admodùm vituperabile; non enim multùm impedit vel debilitat actionem humanam. Eſſe tamen etiam in hâc Voluptate Intemperantiam ex accidentibus perſpicuum eſt. Odorum prima intentio ad qualitatem cibi demonſtrandam directa eſt; Animalia muta præterea ad Venerea odore ducuntur: Eſt & hiſtoria de Feminâ quæ Amaſium odore venata ſit; ſed plerunque ---*Oculi ſunt in amore duces*. Utcumque, hæc odorum Contemplatio non ad hunc locum pertinet; In hujuſmodi enim Virtus & Vitium non habent locum, ſed in odoribus propter ſe præparatis. Putantur autem Cerebro eſſe commodi ſi cum moderatione capiantur; eſt itaque ex Medicinæ regulis petendus per ſe Odorum modus. Ad Contemplationis enim exercitium relata immediatè operatio, notandum ſive emolumentum ſive detrimentum, non affert.

5. Levis quoque & fermè imperceptibilis eſt delectatio quæ ex Viſu & Auditu hauritur; verbi gratiâ, ſpectatio virentium, vel ſoni lenis & ſuavis ſuſurri accommodata delinitio, quæ ipſa Senſuum Organa gratâ quâdam aſperſione perfundunt. Cæteræ enim horum Senſuum deliciæ magis ad Intelle-

tellectum referri, cùm in proportione immateriali reſideant, conſentaneum eſt.

6. Hactenùs de iis quæ propriè Senſationem comitari vel afficere dicuntur Voluptatibus, & quarum Intemperantiam maximè *exprobrabilem* docet & Philoſophus & Experientia, & de quibus Verecundia eſt. Habituale autem *Verecundiæ* principium, à Naturâ inſitum, dicitur *Pudor*, à quo *Pudicitia.* Unde, ſecundum Ethnicos, mulier dicebatur propriè *pudica* quæ timore exprobationis non ſeſe proſtituebat; quod vulgariter ſolet dici, *præ curâ honoris.* Pudor itaq; propriè eſt timor turpitudinis futuræ, Verecundia præſentis diſplicentia: Unde ipſa Erubeſcentia quâ ſanguis ad exteriora emittitur quiddam ſimile Iræ videtur habere: Timor autem ſanguinem ad interiora retrudit. Per Pudicitiam abſtinetur ab omni turpi Venereo, & per conſequens non ſolùm ab ipsâ operâ conjugali illicitâ, ſed etiam tum ab externis operibus, tum à Verbis & cogitationibus obſcænis; & ſic, ſecundum materiæ diverſitatem ſeu Qualitatem ſpecies ſortitur. Sicut, ex Quantitate materiei, diſpeſcitur in Conjugalem & eam quæ Virginali & Viduali communis eſt: valdè enim notabiliseſt differentia inter omnimo-

dam abſtinentiam & temperantiam in uſu.

7. Utrum autem non cognoviſſe actu Venereo Voluptatem ante propoſitum Continentiæ afferat differentiam per ſe, ſive reſolutio abſtinendi ante experimentum & poſt experimentum, propter diverſas difficultates, faciant notandas in uſum humanum differentias, Metaphyſica videtur quæſtio. Quia tamen oculis hominum ex facie judicantium Virginitas valdè præſtabilis præ Viduitate videtur, meritò hæc ſpecierum differentia conſtituenda eſt.

8. Ex deſiderio Voluptatis Venereæ & Pudore, ex uſu Naturæ conſequitur materialis quidam amor conjugalis; & utrimque, & magis ex parte Feminæ. Dum enim ſecretò datur opera Voluptati, fit ipſe Voluptatis Amor uni objecto affixus; & quantum Voluptas, tantum unica cauſa ipſius adamatur. Amor rurſus, ex eo quòd non vulgatur, in horas creſcit, accedentibus ex utrâque parte novis meritis. Aſſueta enim, perſonis rectè ſecundum naturam diſpoſitis euadunt ſemper dulciora; in tantum ut Naturæ vim habeant, hoc eſt, perfectæ determinationis. Sic cives, veſtes, domos, Urbes, regiones, vim quaſi Magicam

cam longo uſu in Incolas acquirere experimur; ut mutabundi langueant, & à caris abſtrahi non patiantur. Conſequuntur ex Matrimonio communia pignora, novum & perpetuum conſuetudinis mutuæ vinculum.

TRUTINATIO QUINTA.

DE

Matrimonio ex ſolâ Naturæ vi.

1. HActenùs de Voluptatibus Senſuum ſecundum ſe; ſed quia longum ſyrma accidentium poſt ſe trahunt non ſine majori ſcrutinio ſunt dimittendæ. Petendum, unicáne an plures Feminæ tangendæ ſint, hoc eſt, ſimul in poteſtate habendæ ad pacandum appetitum? Et ſtatim apparet, quòd, ſi purè quæ per ſe ſunt ſpectentur (quod in præſenti operâ nobis propoſitum eſt,) non ſint adhibendæ plures. Cùm enim finis cur tangenda ſit Femina ſit ad leniendas flammas Concupiſcentiæ, non ad eas ſatiandas ſeu propter Volupta-

tem tanquam Ultimum Finem, una autem Femina (modò ſit ſana & vegeta) ad hoc munus ſufficiat, ſit conſequens unicam habendam. Adde quòd, ſicut ciborum varietas irritat Gulam, ſic Feminarum Concupiſcentiam. Cùm itaq; irritatio Concupiſcentiæ ſit omninò vitanda, etiam pluralitas Feminarum per ſe loquendo noxia eſt. Ex quo ſit etiam ſucceſſionem plurium Feminarum ſeu Concubinarum eſſe deſugiendam, cùm non ad aliud exerceatur quàm ad irritandam cupidinem, de cujus pace & conſidentiâ gaudere deberemus.

2. Concluſum itaq; eſt hominem qui ex intentione Extremi Boni appetit mulierem, ex naturâ rei debere in propoſitũ Matrimonii, hoc eſt, indiſſolubilem vitæ ſocietatem, deſcendere. Sed non ex ſolâ electionis vi indiſſolubile eſt Matrimonii vinculum, ſed etiam ipſo Naturæ quaſi Jure, ſeu inſtinctu. Quod ut intelligatur advertendũ eſt, omni Animantium generi, ut vivere queant, ordinatos eſſe à Naturâ tales motus quibus pervenire poſſint ad ea quibus nutriantur & conſerventur & ipſa & ſoboles, quibus providere iis quaſi mandatum eſt. Et, ut hoc efficiatur, cor & Cerebrum eorũ ita fabricatum eſt, ut ad tales ſonos vel impulſus interiores, vel odores, aut viſa, tales

&

& tales ipſi motiones edant: Et hæc compoſitio cordis & Cerebri vocatur *Inſtinctus.* Homo verò, quia in principiis ſuis habet rationem ſubjectam carni, & utitur ratione ad conſervationem ſui, ita habet cor & cerebrum temperata, ut, mediante diſcurſu facili & pleriſque comprehenſibili, poſſit ad hæc ipſa pervenire: Et hæc inclinatio naturalis ſeu complexio corporis, quæ in cæteris Animalibus vocatur Inſtinctus, (quaſi impulſus alienus,) in Homine dicitur, ex inclinatione Naturæ & præparatione cordis, *Naturale*, ſeu faciendum; ex vi nempe illarum. Docet ſiquidē Ratio corpus ſic utendū vel ad ea opera applicandum ad quæ idoneum eſt & ex ipsâ fabricâ aptum: Sic itaque, cum experiamur Matrimonium ab ipſo Genere Humano, hoc eſt, ab omnibus hominibus qui neque per barbariem deficiunt ab humanâ Naturâ, neque per Rationis & Diſcurſûs excellentiam ſupra maſſam ipſam elevantur, univerſaliter coli; clarum eſt hoc à principio Naturæ ortum habere & ſecundùm inclinationem eſſe, & majorem vim habere quàm pura Electio, vel Contractus, præcisè ex vi ſuâ, poſſit conferre; Authore Naturæ firmum & facillimum Veritatis hujus agnoſcendæ fundamentum in ipſo corpore imprimente & continuè ſtimulante.

 3. Eo-

3. Eodem Jure tenetur Conjuges neque Conceptionem neque Partum impedire oportere; &,quod ſequitur, cùm in Matrimonium ſeſe addicunt,ipsâ operâ acceptare Sobolem educandam, & ad æternam Beatitudinem dirigendam, uſque ad annos emancipationis. Cùm enim prolem & creari & educari videamus, & communiter animantium generi innatum, & in noſtro etiam, ubi per barbariem non eſt à Naturâ defectus, parentum hoc menti eſſe inſitum, palàm eſt eodem Jure hæc omnia ex conjugio naſci quo ipſam inſeparabilitatem, & ipſam ad hæc eſſe præviam. Sed & ratio habet, earum rerum quæ non ſunt ex naturâ ſuâ Servæ (hoc eſt, quæ rationem Finis nullam ſibi determinatam habent, ſed eam expectant ab cognoſcentibus) nullam debere extra rationem ſui boni trahi, ſed uſum ſi quem ex iis habemus oportere talem eſſe ut conſiſtat cum eo quòd ad ſuum Finem ſimul dirigantur. Inſtrumenti enim ratio eſt ut per ſuam actionem principalis Agentis finem conſequatur: Conſervanda eſt itaque Inſtrumento ſua actio, quod non poteſt fieri abſque eo quòd in debitâ proportione ad Finem naturæ ſuæ continuetur. Si itaque, cùm Homo, etiam ſecundum corpus, ſit ordinatus ad

Bea-

Beatitudinem, & omnia membra ipſius ita ficta, ut (per ſe loquendo) actiones ad Beatificationem ipſius requiſitæ convenientiſſimè ab iis naſcantur in ſitu proprio & naturali diſpoſitione, per uſum ad quem hæc diſpoſitio formata eſt, ſit conceptionem & partum & educationem Filiorum eſſe per ſeſe intentam à Naturâ directrice actionum humanarum; &, per conſequens, ex vi Matrimonii acceptari & virtualiter intendi ex neceſſitate à contrahentibus.

4. Hærebis fortaſſis, quia, etſi manus vel pes ſit pars hominis, &, (quod legitimè infertur,) non ſit ex Rationis ductu temerè illa abjicere; tamen, ſi Ratio poſtulat, ad conſervationem totius Natura docet ea præcidere: Sic ergo, etiamſi uſus corporum ſit nobis factus & præſtitutus à Deo & Naturâ, licet tamen impedire vel abrumpere actionem ipſius propter majus bonum; dictante Ratione, & Naturâ non invitâ. Reſpondetur, nos hîc quærere quæ ſunt per ſe, & quid ex Naturâ rectè inſtitutâ ſequatur; Quid autem, vel quâ de causâ Leges Naturæ poſſint violari, cùm pendeat ex comparatione aliorum ad Naturam, ante ipſorum conſiderationem non poſſe definiri.

5. Verùm, ex dictis concludi poteſt,

ſuppoſito Matrimonio, acceptandam eſſe prolem ex vi Beatitudinis. Cùm enim ex ipsâ apprehenſione excellentiæ Beatitudinis fiat ut aliis eam deſiderare debeamus, validior erit hæc apprehenſio ut nobiſipſis eam optemus; poſito itaque quòd operam liberis dare velimus, conſequens eſt ut ipſam Beatitatem hâc actione ampliare optemus; & hoc in nobis ipſis, poſt quam proles materiariter pars noſtri eſt. Ex naturâ itaq; ipſius actionis Generationis, prout Humana eſt, fit ut Parentes in eâ laborent ipſum Beatitudinis fructũ in ſemetipſis propagare, quandoquidem ipſa actio ex ſeſe & per ſe ad hoc dirigitur; cum actio ſit ad creandum Hominem, & Homo ex Dei & Naturæ intentione ad Beatitudinem naſcatur. Patet itaque, ſuppoſito Matrimonio & uſu ipſius, per ſe eſſe ex ipsâ inclinatione ad Supremum Bonum ut intendatur Proles, & ipſa actio exerceatur quàm optimè in eum finem.

6. Non tamen ſequitur ipſum Matrimonium intendi principaliter propter hunc finem, ſaltem à conjugatis; quandoquidem in fine immediato principali actionis debeat eſſe major bonitas & connexio cum Ultimo Fine quàm in ipsâ Actione; palàm autem eſt actionem maritalem magis conjunctam eſſe Supremo Bono quàm

pro-

prolificationem;tum propter neceſſitatem, tum quia connexio actionis voluptuoſæ eſt ad Beatitudinem *propriam* Agentis, cùm connexio prolificationis ſit duntaxat ad Beatitudinem *alterius* Perſonæ,quæ ſynecdochicè duntaxat ſit perſona Agentis.

TRUTINATIO SEXTA.

DE *Conſanguinitate.*

1. MAnifeſtum rurſus eſt, ex eâdem Lege quâ Proli Beatitudinem optamus,propterea quòd pars quædam noſtri eſt,propagari eundem amorem ad Parentes quorum nos pars ſumus, & eos qui eorum partes ſunt, vel quorum ipſi partes ſunt; Ad Fratres itaque & Sorores, & eos, uno verbo, qui Conſanguinei ſolent exiſtimari. Petes,quouſque ſeſe extendat hæc Conſanguineorum affectio,abſtrahendo à Legibus humanis & ex præcisâ Naturæ vi? Reſpondetur, fundari extenſionem ipſius in communitate naturæ ſeu carnis, hoc eſt in illis accidentibus quæ individuum hominem conſtituunt & ab aliis ſeparant,

quæque propagentur in poſteros. Quare, eò uſque Conſanguinitas extendetur, quouſque viſibilis eſt & notabilis identitas harum qualitatum, & diſcerni poteſt origo & fons unde deſcenſum eſt. Conſiderando itaque quòd ſuppoſito Patrem & Matrem eſſe æquales in propagatione prolis, hoc eſt quòd ſemen Patris habeat efficaciam proportionatam ad optimè formandam materiam quam affundit Mater, quoniam Agens agendo repatitur, fit prolem ex dimidiâ parte ſingulorum eſſe, & ex mediâ rurſus parte alienam à ſingulis. Nepotibus itaque communicatur non niſi ſingulorum pars quarta, & abnepotibus octava ſingulorum; quæ, cùm ex ipſâ confuſione inter ſe perdant ſeſe dimidias, cum reliquis ſeptem commixtæ quodammodò diſparent. Quare, ex naturâ rei abnepotes jam vix ſunt ejuſdem ſanguinis.

2. Videtur hoc ipſum ad oculum in Æthiopum cum Albis conjunctione. Filii enim manifeſtè medii ſunt: Nepotes tincturam retinent; Abnepotes vix agnoſcuntur. Tantundem in Animalium etiam commixtione obſervatur. Sed præcîdit ambiguitatem quæ hominum genus moderatur Ratio, à ſenſu inſtructa & quodammodò in hâc materiâ gubernata. Nepotes ſiquidem

dem non rarò cum Avis vičtitant, hoc eſt, uſque ad conſtantem ætatem perveniunt ante Avorum obitum; iiſdem Abavos noviſſe miraculum ferè eſt. Ubi autem Viſus deficit, claudicat quoque Notitia. Abavorum itaque ex naturâ rei modica habetur & non penſanda ratio. Quare, evanuit moraliter & in ordine ad vitam & actionem Conſanguinitas ab iis, & de illis quaſi de alienis loquimur. Et hæc videtur ratio cur pœnarum modum in quartâ generatione ſtatuiſſe videtur antiquitùs Juſtitia Divina. Conſequens itaque fit, ad Avi & Aviæ Fratres, eorumque poſteros, deſcendere Conſanguinitatis nervos & eandem cognationis venam. Propter unitatem quoque Maris & Feminæ, etiam Affinitatis ductus, reſpectu Comparis & derivatorum à Compare, ſimiles ſortientur rivos.

3. Vis autem Amoris ex Conſanguinitate, præter ſimultaneam educationem & frequens beneficiorum utrimque commercium, quæ amorem & conſortiũ quoddam malorum & bonorum inter Conſanguineos procreant, etiam ex materiali ſanguinis & conſtitutionis corporum unitate originem trahit. Cùm enim Semen, quod hic Sanguinem appellamus, vim habeat materiam Feminæ ſibi, ſeu corpori cujus eſt,

eſt, aſſimilandi & quaſi aſſumendi in unitatem Suppoſiti, fit ex neceſſitate plerumque ſympathiam quandam & eorundem delectabilium affectum, etſi non univocè tamen cum proportione, inter eos qui de eodem ſanguine communicant, intercedere: Unde, in rectè diſpoſitis, Modi agendi unius grati ſunt alteri & amabiles. Et quoniam efficacia Patris in prolem regulariter potentior eſt, Amorem magis efferueſcere in communicantes de virili ſanguine quam de muliebri, & in eos magis qui verè eundem ſanguinem participant, quàm in eos qui Conſorti duntaxat Conſanguinei exiſtunt.

4. Per dicta æſtimare licet affectuum naturalium verſus hujuſmodi perſonas ordinem & proportionem. Palàm enim eſt, quòd quoniam radix cæterorum eſt affectus inter Conjuges, ille maximus eſt; ut judicavit ipſe Deus, docens Adamum poſteros ipſius derelicturos Patrem & Matrem ut adhærerent Uxoribus; quod etiam ad progationem humani generis neceſſarium eſt. Præterea, Conjugum Amor eſt quodammodò ex paritate & amicitiâ, & ex mutuâ neceſſitate. Tandem, carnem verè unam habent, cùm Vir ſuam carnem miſceat cum femineâ; & in tali mixtione vapores, in quibus

bus eſt indoles ſingularum naturarum, tranſeant in corpus alterius ut evidens eſt ex communicatione morborum & affectionum quarundam, & faciant novam congruentiæ radicem. Sunt quoque quaſi partes ejuſdem Vegetâbilis cùm integrent unum principium agendi ſimile Viro. Denique in prole communis utrique eſt eadem caro. Hic itaque eſt primus gradus fundans naturalem paſſionem.

5. Proximus eſt Parentum ad Liberos; qui rurſus fundatur in Unitate carnis communis, ut ſæpiùs dictum eſt, & aſſuetudine ſimul commiſerandi & benefaciendi iis; benefacere enim, quando benè impenſum exiſtimatur, auget amorem. Accedunt irritamenta, quæ ſuprà cōmemoravimus à prole in Parentem proficiſci. Tertiam Amoris ſedem occupant Parentes, eâdem quodammodò unitate colligati ad liberos quo Liberi erga ipſos: Sed hâc differentiâ, quod Pars tota eſt ſui Totius; Totum verò plura habet, &, quod ex eo fit, aliena. Sic itaque Parentes reſpiciunt Liberos ut adæquatè quidpiam ſui, Filii verò Parentes tanquam diviſos, & quorum Pars duntaxat eſt aliquid ſui. Prætereà, nunquam pares ſe eis exiſtimant, ſed eos tanquam Protectores reſpiciunt. Unde mixtus eſt Honor amori, & ſuam partem de affectione detrahit.

6. Succedunt Fratres & Sorores in primâ poſſeſſione ſanguinis potiùs ſimilis quàm ejuſdem, & habent ſuos gradus, ſecundum quod ſunt ex eodem utroque Parente, vel eodem Patre, vel tandem ſaltem utero communi; ſicut explicuimus Patris in prolem quàm Matris potentiorem eſſe actionem. In primis cognatis jam ſimilis duntaxat eſt ſanguis; & in remotioribus, quodammodò ex abundantiâ Bonitatis in amante extenditur ad ipſos Amor; deinde, quantum eſt ex naturâ, evaneſcit, & ex communione accidentali propagatur in longinquiores ſanguinis diviſiones. Veruntamen non eſt eadem Lex in gradibus Aſcenſionis & Deſcenſionis quæ in divaricatione ſanguinis: Patet enim majorem eſſe ſanguinis in directo quàm in laterali proceſſu unitatem. Sed minutiora ſunt quàm ut ſpecialiter tractari requirant.

7. Quoad hos itaque omnes, ex tacito quodam ſenſu humani generis, parcior eſt & verecundior Veneris uſus. Nam cùm per illum una fiat caro ex Mare & Feminâ, ſecundum Naturæ inclinationem debent ſupponi plures, & non priùs una. Cùm itaque Totius & Partis ratio unitatem quandam deſignet, neceſſe eſt eos qui hanc ad invicem relationem habent, non eſſe mari-

talis

talis conjunctionis propriiſſima ſubjecta. Et ex hâc ratione ſe ſurrigit alia; quæ eſt, materiam generationis, hoc eſt, Feminam, poſſe dupliciter peccare & ineptam eſſe Viro; per nimiam elongationem, & nimiam propinquitatem. Per priorem redditur actio Agentis difficilis & imperfecta, qualis eſt ſementis in terram frigidam ſparſæ: per poſteriorem aduſta & præcoqua, ſicut fructus videmus nimio caloris defectu acerbos; & ejuſdem nimiâ præcipitatione exiguos, ſiccos, & amarulentos evadere. Sic itaque ſi Mulier nimiùm conditioni Viri appropinquet, deſit oppoſitio ſeu figurabilitas illa quæ naturalis converſionis adaptationi debetur. Inde videtur naſci quòd Canes & Equi nòn admittantur ſæpiùs ad ſui gregis feminas; &, ſi contrà fiat, fætus vivacitatem & generoſitatem ſuam perdere notentur.

8. Tertiam rationem ex his oriundam propoſuit nobis Ariſtoteles, ſpeculatus amorem matrimonialem quantus in rectè diſpoſitis ſit, & inveniens eſſe (ut in pluribus) juſto potiùs majorem quàm defectivum, concluſit Matrimonium cum cognatis, qui jam ex ſanguinis & educationis communione alium priorem traxerunt, juſtas Rationis leges & moderationem omninò

ninò ſuperaturum, & ardore noxio & periculoſo Oeconomiæ leges peſſundaturum. Quartum habemus ex honore maſculo & pudore femineo impedimentum; quatenùs enim cognatorum ad cognatas ex amore curam & defenſionem cognoſcimus ſanguinis communione profluentem, eatenùs etiam cognatarum ad cognatos pudorem quendam & honorem, qui patrocinio & excellentiæ cum amore mixtæ reſpondet, ne quid vile & indignum circa eas appareat, ſed conforme honori ſibi præſtito, & expectationi è curâ conſentaneum, neceſſarium eſſe rependi. Magis itaque apud eos quàm apud ignotos de actu quem ipſa honeſtas ab erubeſcentiâ in primis aſſultibus excuſare non poteſt, verecundari mulieribus innatum eſt. Ex his itaque quatuor principiis difficultas & impedimentum connubiorum inter conſanguineos exurgit.

TRU-

TRUTINATIO
SEPTIMA.
DE
Intemperantiâ in Pudoris violatione.

1. POſt deductos naturalis circa Generationem affectionis modos, ipſa res ad Intemperantiæ circa Venerem evagationes ſpeculationem manuducit. Idcircò præmiſſo quòd contrarii actus ſint Virtutis & Vitii, Virtus autem ſit diſpoſitio Animi ad æternam Beatitatem ſeu ad Viſionem Dei, & actio ipſius diſponere affectus noſtros ad illam, neceſſarium ſit Vitii rationem in eo ſtatutam eſſe quòd malè diſponat Animum ad Viſionem Beatificam; hoc eſt, reddat eam ineptam & difficulter ad eam præparabilem; & ita ſit vitium vitio gravius quò deteriorem reddit Animum ad Finem & Bonum ſuum. Ex quo Stoicorum ille turpiſſimus Error, quo fortiter clamant omnia peccata eſſe paria, latiſſimè confunditur; Nemo enim qui Rationis quomodocunque capax eſt dubitare poteſt, quin exercitatione perſi-

perficiatur in quamlibet partem Animus: Uſu ſiquidem & meditatione Veri, fit æſtimativus rerum, juxta cujuſque meritum. Uſu rurſus, vel guſtûs vel tactûs delectationibus, adeò ineſcatur, ut nihil præterea dulce exiſtimare vel intelligere poſſit.

2. Sed replicant, Virtutem in Indiviſibili collocatam eſſe, quâ deſtituitur æquè qui difficulter revocatur ac qui faciliter; ac proinde æqualiter malus eſt. Verùm, Virtus in indiviſibili non conſiſtit; Clarum enim eſt, unum exercitatiorem & conſtantiorem alio eſſe circa Bonorum electionem; &, qui hoc auſit in dubium revocare, totam cauſarum vim, hoc eſt, Naturam Univerſam rejicit. Si enim una quævis recta operatio Virtutem in Animam nata ſit inducere, num cæteras æquales, & in ſubjectum meliùs diſpoſitum operantes, dicere poſſumus (ſalvâ ratione & mente) Nihil operari? Quanquam igitur falſum ſit Virtutem in indiviſibili eſſe collocatam, quia tamen primò-ineſſe-Virtutem in Indiviſibili collocare non ſit abſurdum, hoc dimittamus; & ſolummodò inſtemus, utrùm fateatur aliquem perversâ exercitatione à Virtute remotiorem & difficiliorem emendatu evadere. Et, ſi confitetur, claudendus eſt

diſpu-

diſputationis fluxus, aſſerendo hoc eſſe quod eſſe Vitioſiorem appellamus: Tu ſi aliud vis, defini voces quibus uteris, nobis enim nulla tecum eſt concertatio.

3. Huic autem veritati de Vitii ratione adjungamus aliam: Vitia (quoniam actionum humanarum principia ſunt) vel ex objectorum intrinſecâ ratione perpendi poſſe, vel ex iis quæ circum ea comitantur. Et comitivam ipſorum dividi in ea quæ, à Cauſis, vel eiſdem, vel certè plerumque hærentibus cum ipsâ vitii actione, conjunctionem ſuam ſortiuntur; & in ea quæ, per varietatem cauſarum occurrentium, abſentiæ & præſentiæ viciſſitudinem ſubeunt. Et horum quidem poſteriorum varietas nihil facit ad Vitii in ſeſe conſiderationem, cæterorum autem habenda eſt ratio. His explicatis, Intemperantiæ circa Venerea gradus ex ipsâ actione venamur; quæ, cùm ſit humana, aliam partem ſpiritualem habet, ſcilicet volitionem, aliam materialem; & hæc rurſus & prævias quaſdam præparationes, & ipſius actionis ſubſtantiam, quæ in ſeminis diſpenſatione poſita eſt; & in his tribus inquirenda eſt Intemperantiarum diviſio.

4. Frænum, quo Natura Violentiam paſſionis ſeu concupiſcentiæ Venereæ in calen-

calente Juvenum ætate abſque alio cultu cohibet, eſt quem ſupra explicuimus Pudor, cujus Actio eſt Verecundari; adeò fixus in quibuſdam fæminis, ut etiam reſpectu Maritorum eas parcas faciat, etſi cæteróqui Voluptatis ipſius appetentes: ſed erga alios, junctus rationi fidei maritalis, in multis fermè invictus & eventorum mirandorum Artifex. Hoc repagulum effringere, neceſſe eſt Intemperanti, ſive in ſe, ſive in Conſorte Voluptatis, ut fruatur voto. Hunc in ſemetipſo violare ipſa eſt Intemperantia, in alio verò ſpecialis Intemperantiæ gradus.

5. Et quoniam hoc maximè ex parte ſequioris ſexûs ſeſe tenet (etſi quandoque fortiorem etiam percellit) exponantur Maritata, Vidua, Virgo ſuis liminibus clauſæ, ſuo ſingulæ pudore obſeratæ; Eædem, non dico externo aliquo actu contaminatæ, ſed propoſito illo caſtimoniæ ſpoliatæ: nónne palàm eſt maritatam jam in procinctu eſſe ad omnia Oeconomiæ incommoda? Diſſidium à marito? Separatas fortunas? prolis jam natæ educationem perverſam? ulterioris prolis deſperationem? & omnium Matrimonii commoditatum ruinam? Viduam honore ſtatûs excidiſſe, & proſtibulo quaſi venditam? Virginem Paren-

rentum patrocinio, ſpe Mariti, & ſobolis, & honoratæ inter ſuos vitæ dejectam; mancipióq; pecunioſorum & aſotorum addictam. In univerſum, omnes, libertate & nobilitate Animi perditâ ſervas eſſe conſciorũ? Victor enim & Dominus eſt qui arcem Rationis, quâ ſecuræ exultabant, ſemel expugnavit.

6. Patens itaq; eſt tres eſſe Intemperantiæ exceſſus in violato femineo Pudore, qui non inveniuntur in totidem mulieribus ad conſortium Intemperantiæ jampridem animo præparatis; quarum minimus eſt in Viduis; quæ, jam ſtatum Maritalem prætergreſſæ ex ratione Viduitatis ſupponuntur. Sequens maritum habentium injuria; & ſupremus Virginei Floris corruptio; quæ cæteros duos ſuperat ſuccedentium incommodorum complexione, cùm commodorum utriuſque vitæ jacturam & deſperationem inferat.

7. Eſt prorſus ab his differens Pudoris ſpecies, cujus violationem vocat Sacer Legifer apertionem fontis ſanguinis muliebris, & morte punit; ſicut & Conſanguinitatis pleroſque gradus violatos; in omnibus Pudorem violatum mortis cauſam ſtatuens. Unde non poteſt dubitari quin Intemperantiæ novos gradus faciant & eos admodum perpendendos. Sed par-

tim de his dictum eſt, partim inferiùs dicendum occurrit. Virilis Pudor, ſicut rarò eam potentiam in Adoleſcentes quam in infirmiorem ſexum occupat, ſic neque facilè per violationem in tam gravia incommoda inciditur, & propterea minoris quidem conſiderationis eſt; verùm non adeò levis, ut non ſpecialem gravitatem lubricitati procurantis importet. Sex itaque diverſi ſunt notandi Intemperantiæ Venereæ gradus ex ſolius Pudoris violatione, abſque eo quòd alicujus exterioris ſenſationis virtus vel actio conſideretur.

TRUTINATIO
OCTAVA.
DE
Intemperantiis quæ circa Actum Generationis accidunt.

1: SUpereſt Materialis Actio; & primò ea pars quæ pertinet ad ipſam Subſtantiam Venereæ voluptatis; quæ vel perfecta eſt ſubſtantialiter, vel deficit ab ipsâ ſubſtantiâ generativi motûs. Si habet Subſtan-

ſtantiam, hoc eſt, ſi ejuſmodi ſit vt proles nata ſit ex eâ ſequi, ineptitudo Complicum vel eſt poſitiva, vel negativa tantùm; videlicet, quia vel eſt repugnantia aliqua propter quam actus maritalis inter has partes ſit Naturæ incongruus; vel nulla eſt hujuſmodi repugnantia, ſed deficit aliquid quod poſſit & deberet eſſe, ſed non adeſt propter repugnantiam perſonalem quam non tollunt: Hoc eſt, cùm Natura requirat individuam vitæ ſocietatem in iis qui operantur liberis, ex defectu voluntatis in Complicibus hæc non intervenit. Prima itaque & ſimpliciſſima Intemperantia circa venerea eſt quòd actus perficiatur citra hanc conditionem in Complicibus, & dicitur vulgari nomine *Simplex Fornicatio.*

2. Et vitioſitas Fornicationis ſtatim apparet eſſe duplex. Primò, univerſalis & inſuperabilis illa, quòd ſit ſine pacto mutui & inſeparabilis convictûs à Naturâ requiſiti: Altera, quòd Voluptatis amore fiat aut fieri poſſit. Credibile enim eſt non rarò uſu venire ut ad vitandam moleſtiam Carnis, quæ eſt vera ratio quam quiſque ſequi deberet, quæratur Voluptas. Videtur autem magis propriè eſſe Fornicatio, cum Voluptatis causâ agitur. Eſt autem in

Venere quadruplex delectatio : Prima, illa quæ in ipſo ſenſu exteriore per allapſum ſubſtantiæ convenientis & confricationem gratam ad nervos perficitur ; Secunda, quæ ex levatione corporis, ſuperfluo aggravante expulſo, conſequitur. Tertia propria eſt ſenſitivi appetitûs ; & ſequitur ex apprehenſione quòd fruitio talis objecti ſit bonum æſtimandum, & valdè conveniens perſonæ delectatæ : Quarta eſt delectatio quaſi Superbiæ de Victoriâ acquiſitâ, cum Conſors Voluptatis apparet quodammodò major perſonâ fruente. Harum, ſecunda eſt de Sanitate : Prima valdè materialis, & quodammodò Brutalis : Tertia, propria Fornicationis ; Quarta, gradus quidam accidentalis, elevans intrinſecam & propriam Fornicationis voluptatem.

3. Ex quibus colligitur quòd proprium Fornicationis vitium eſt proſecutio tertiæ voluptatis ultra naturales deſiderii limites : Longè autem prior eſt qui ob Voluptatem peccat, quàm qui ob Neceſſitatem. In primis enim videtur proſequi Voluptatem propter ſe, cùm prior non niſi propter actionem, ut perfecta ſit, quærat Voluptatem. Deinde, peior varietatem Feminarum ſequitur propter ſe ; poſterior non quærit varietatem niſi ex eo quòd conſuetam non habet. Prior nullum finem cupidi-

tatis habet, poſterior limitationem à Naturâ; quæ, cum non ampliùs moleſta eſt, ille quietus eſt. Tandem, poſterior violat quidem Naturæ Legem, ſed Univerſalis, cujus cura non eſt ipſi ſpecialiter commiſſa, & contra ſingulare ſibi Bonum nihil agit ex intrinſecis actionis ſuæ; licet ex accidente etiam Perſonæ malum, ſi proli non ſit proviſum, ſequatur: Sed prior Voluptatẽ captans propter Voluptatem, quæ ſunt verè ſibi bona negligit & pervertit. Duplex itaque eſt hoc Fornicationis Vitiũ; & poſterioris quidem Malum quodammodò materialiter tale, & nõ propriè Fornicationis; prioris verò malum ingens eſt, & de quò intelligi habent pleræq; quæ adverſus Fornicatores fulminantur minæ. Facit enim vitam admodùm infelicẽ ſuis amatoribus & proſecutoribus.

4. Proxima modò Vitioſitas eſt quando eſt poſitiva repugnantia; & hæc vel a Naturâ præcisè, vel a Naturâ ſuppoſitâ electione. Et quoniam inter has debilior eſt quæ ex electione procedit, proximus prẹfatis Intemperantiẹ gradus eſt Adulterii. Cùm enim ex vi Matrimonii Caro conjugalis facta ſit privata & non indifferens, neq; ſit in poteſtate partium dirimere pactum in totam vitam inſtitutũ, Caro non poteſt ex quolibet partiũ conſenſu fieri indifferens, ſed neceſſariò

eſt inepta alteri quàm Conſorti. Voluptas quàm Adulter, quatenùs talis, aucupatur, eſt illa quam explicat Proverbialis meretrix, quòd *aquæ furtivæ ſint dulciores*, & conſiſtit in ſpecie quâdam Victoriæ ſupra Cuſtodiam.

5. Gravius eſt hoc Vitium per ſe loquendo in Muliere quàm in Viro: Cùm enim Vir Agentis habeat rationem, Mulier Paſſivi, Paſſo autem dominetur Agens, Agens non ex naturâ ſuâ ſed circumſtantiis determinatur ad Paſſum. Paſſum autem ſupponitur ex vi Agentis comprehenſum & particulariſatum ſeu quaſi à fortiori ſuperatum & conſtrictum; veluti quando vacuum apprehenditur impletum, eo ipſo redditum eſt incapax alterius corporis. Et ſic Vir ex ratione Viri ſupponitur adæquatus Conjugi; hoc eſt, ſufficiens ad generandas tot proles quot ſuſcipiendarum Femina capax eſt: Non autem ſupponitur non poſſe plures, & propterea Polygamiam Sanctorum audivimus; ſed mulierum bonarum plures habuiſſe Viros ſimul aliquam, nunquam accepimus. Gravius eſt itaque ex ipsâ naturâ conſpirationis in actum Conjugalem in Feminâ quàm in Viro (hoc eſt, magis contrarium inſtituto Naturæ) Adulterium: Scilicet, quando mu-

mulier nupta eſt; ſi enim libera cedit Viro Conjugato, gravior eſt culpa Viri, quia carnem Uxori debitam alienet; mulier autem facit, quod, ex vi Naturæ puræ, non eſt illicitum, ſed ex ſuppoſitione facti.

6. Stupri ad Adulterium ea eſt differentia, quòd cum Stuprum ſit in Virginem in tutelâ Parentum exiſtentem, clarum autem ſit tutelam Parentum non ex purâ Electione ſed ex naturali progreſſu impoſitam Parentibus, gravior eſt ex hâc parte violatio Virginis quàm Maritatæ; hoc eſt, ſi ſit per Naturam & non per Adoptionem Filia; Adoptionis enim obligatio non eſt æqualis vinculo Matrimonii. Perſequitur autem Stuprator, ſicut Adulter, Victoriæ ſupra Cuſtodiam delectationem; & quidam Voluptatem Deflorationis æſtimant, etſi prudentiores eam adeò non æſtiment, ut eam averſentur & nullam exiſtiment, ſed magis pœnam. Verùm in iis quibus placet, ſicut novam Voluptatem ſic & novuum crimen habet; omnis enim Naturæ repugnans delectationis proſecutio, quia per ſe appetitur, novum gradum criminis imbibit & delectato imprimit.

7. Supereſt ea Deordinatio actûs idonei ad Generationem quæ ipſam Naturam

invadit, & dicitur Inceſtus; & planè excedit Adulterium, quia eſt contra inclinationem à Naturâ immediatè inditam; Stuprum verò, quia violat inclinationem ſtupratam protegendi, in ſemetipſo à Naturâ plantatam. Crimen enim Inceſtus in hoc ſitum eſt, quòd cum Generationis perfectio ſit in Educatione prolis conſummanda ex ipſo ductu Naturæ, & cura prolis naturalis ſit Parentibus, & per derivationem omnibus ſanguine conjunctis; gravius proinde ſit huic inclinationi obviari ab ipſomet in quo eſt, quàm in alieno, quod in Stupro contingit. Inceſtuoſus enim quam ab illicitâ Venere cohibere deberet, ipſe ad eam inducit. Majus itaque eſt hoc Vitium in curatore, quàm in perſonâ curatâ. Etſi etiam ex illâ parte gravitatem inſignem habet ex infractione naturalis Pudoris, cujus vim ſuprà expoſuimus; qui, cùm ſit etiam ipſe Naturalis, exaggerat malitiam ſupra ea debita quæ ex purâ electione contrahuntur. Accedit gravitati Vitii quod ſpeciale incentivum nullum habet quo ex parte excuſabilis reddi poſſet deformitas, cùm in aliis omnibus Voluptatis novus gradus prorîtet concupiſcentiam.

TRU-

TRUTINATIO NONA.

DE

Intemperantiis circa Subſtantiam Generationis.

1. HIc ad illas Intemperantias quæ Vitiant ipſum Actum generationis apertus erat tranſitus, niſi ſeſe objeciſſet medium, acceſſus ad menſtruatam in Sacris Literis morte plectendus; Vitium in eo excedens Inceſtum, quòd non ſolum abſque ſpeciali incentivo, ſed adverſus commune Voluntatis irritamentum committi videatur; ſed & Pudorem inſigni cum gravitate violet. Verùm, in tam obvio crimine & quod duntaxat in circumſtantiâ ipſius uſûs Matrimonialis peccat, quid tantam pœnam poſſit promereri hærere nos facit. Et ſtatim apparet plerumque in eâ conditione mulierem eſſe ineptam Conceptioni; quare ad Mollitiei, & generationis ſubſtantialem abuſum reducitur hæc Intemperantia. Rurſus, ſi contingat Conceptio, ſummum periculum eſt nè

morboſa evadat proles per ſeminis cum vitioſo humore commixtionem, adeò ut neceſſe ſit ferè Spiritus in virili ſemine latentes, dum ſe incorporant carnibus femineis, ſecum venenatiores ſpiritus fluorum deferre; & Feminæ & proli, niſi maturè eiiciantur, morbiditatem aliquam inferre. Tandem, cùm videamus nonnunquam fœdas in uteris feminarum conceptionum corruptiones, adeò ut in obſcænorum Animalium ſimulachra degenerent, pronum eſt conjicere ejuſmodi monſtra ex hujuſmodi Intemperantiâ originem trahere.

2. Non enim ſolâ copiâ, verumetiam venenatâ qualitate peccare hos humores certiſſimum eſt, ſi credimus Phyſicorum ſcriptis. Neque refert quod tempore geſtationis prolis non appareat hæc exundantia; non enim inde inferri poteſt ipſos eſſe prolis alimentum, ſed magis nullos eſſe redundantes qui maneant in corpore femineo donec corrumpantur; ſed, quamprimùm genitos & adhuc ſalubres, cedere in cibum Embryonis, & propterea nullos emitti; quod, ſi verum eſt, arguit Menſtrua eſſe noxia, ut quæ incocta ſint; Naturâ, propter defectum caloris, coactâ crudos retinere, hoc eſt, corruptioni obnoxios, donec multitudine opprimente & eorundem acri-

acrimoniâ compellatur ad emiſſionem. Quodlibet autem trium dictorum aggravet Intemperantiam Menſtruatæ, clarum eſt eſſe graviſſimum Intemperantiæ incommodum, & omnibus viribus fugiendum.

3. Integra adhuc eſt ea diſtributionis pars quæ Subſtantiam Generationis interimit: Perficitur autem vel in corpore alieno, vel in nullo & eſt pura effuſio ſeminis. Et hanc, ſi ſola Generationis natura ſpectetur, palàm eſt deteriorem eſſe quâlibet Intemperantiæ ſpecie quæ Subſtantiam tuetur, etſi ex ratione accidentium per ſe conjunctorum aliæ poſſint eſſe magis perverſæ. Cùm itaque clarum ſit Naturam hæc duo intendere, ut & proles generetur, & ut rectè & ſecundum Naturam educetur; &, poſtquàm proles extat, educatio ſit majoris momenti quàm productio, contingentiâ ſuppoſitâ nondum exiſtentis, palàm eſt Pudorem à Naturâ collatum ad rectam adminiſtrationem prolis majoris eſſe momenti quàm ſit propenſio ad Generationem. Inceſtus itaque inter gradus aſcendentes & deſcendentes per ſe gravior eſt Mollitiâ ſeu Immunditiâ quæ eſt in voluntariâ projectione virium à Naturâ ad generationem conceſſarum. Inceſtus au-

tem inter gradus Conſanguinitatis ex humanâ conſideratione æquales, cùm tantummodò ſit vitiatio Pudoris accidentaliter ad bonum partium concurrentis, in conſideratione Accidentium per ſe ſeu reſpectu Subſtantiæ locum non habet. Ex intrinſecis itaque ſpectata Mollicies gravior eſt Fornicatione, Adulterio, Stupro & Inceſtu inter æquales.

4. Plus veneni habet hoc Vitium in Mare quàm in Feminâ, qnantò ad generationem pretioſior eſt Virtus Maris tum nobilitate tum paucitate: cæteroqui de feminis proportionalis eſt malitia. Tribadum exercitium infame ad eandem nequitiam reducitur, ſed olet Sodomiam; quæ Molliciem excedit; & quòd cum majori voluptate perficiatur unde tenacior evadit, & quòd extendat ſe ad Conſortem; & tandem, quòd vilificet naturam patientis per uſum deterioris ſexûs; quæ omnia Tribadum nequitiæ conveniunt, quæ femineum ſexum non nobiliori ſed pari ſubjiciunt, & pro inferiori abutuntur.

5. Hæc omnia ſuperat Beſtialitas, ferinum prorſus non humanum exerramentum; in quo homo ſimul & Naturam humanam in ſe ferinam æſtimat, & ut tali abutitur; indignus qui unquam ad commercium humanum admittatur.

6. Hæc

6: Hæc Vitia quæ Subſtantiam Generationis Violant, ſpecialiter & quaſi Antonomaſticè dicuntur eſſe *contra Naturam.* Non quòd ipſe exterior actus adverſus Rationem,quæ eſt Hominis Natura, eſſe poſſit.Palàm ſiquidem eſt, quòd, cùm Corpus eſſentialiter ſit Inſtrumẽtum Rationis, Ratio non in eodem genere ſit ut poſſit habere oppoſitionem cum Corpore vel aliquâ diſpoſitioneCorporum.Corpora etenim rectè vel ſecùs diſpoſita ſunt, ſeu ad uſũ adhibita quia Ratio ſecundùm ſua principia, & conformiter vel difformiter ad illa, ea ſibi invicem applicuit,& non quia accepit ab ipſis quomodo diſponenda forent.Si enim principiis Rationis conſentaneum ſit facere ut gravia aſcendant, vel ignis aquam non deſtruat,hæc facit vel facere intendit,ſine ullâ injuriâ Corporum. Hinc unum Animal alit, aliud deſtruit, prout ipſi viſum eſt.

7. Sic, qui ipſa Ratio eſt,Deus,per miraculoſam operationem, quando ſic congruit inſtituto ſuo de gubernandâ Eccleſiâ, Solẽ ſtare facit,& Lunam & Elementa vires ſuas perdere. Dicuntur itaque *Contra Naturam* ſpecialiter eſſe hæc peccata,quia in Naturâ curſu directo& perfecto non poteſt incidere juſta occaſio Rationi diſpenſandi in ordine corporeæ diſpoſitionis,quam àNaturâ

ſeu Univerſali Lege & ſerie Cauſarum corpus humanum accepit; quòd tamen circa ipſam Vitam & Membra contingere quotidiana experientia docet. In uſu itaque Rationis quærenda eſt Malitia horum vitiorum, non in materiali diſpoſitione Membrorum vel Corporum; quæ ex ſeſe non poteſt non eſſe indifferens, ut ſunt omnes actiones naturales & materiales.

TRUTINATIO DECIMA.

DE

Impudicitiâ, & Comparatione Intemperantiarum.

1. HActenùs enumeratæ ſunt Luxuriæ ſpecies: Supereſt Impudicitia, quæ ſe habet quaſi Oſtium ad Luxuriam ad quam aditum facit. Luxuria enim exundantiam quandam & exuberantiam indebitam ſignificat, ſicut & Luxus; juxta illud Poëtæ; *Luxuriam ſegetum tenerâ depaſcit in herbâ.* Et per derivationem vocis videtur indicare virtutem & vim retentivam

eſſe

eſſe debilitatam; unde in membris *Luxatio* dicitur cum loco mota eſt juncturæ pars. Significat itaque effuſionem ad carnalem uſum defectu fræni Rationis. Impudicitia verò continet ſeſe in citerioribus Actioninibus; quæ, ut ſunt præviæ ad Luxuriam & præparativæ, ſic ad eam non pertingunt. Unde prima quæſtio incidit, num ſicut ex Naturæ inſtituto ad Generationem perfectè exequendam natæ ſunt, ſic non aliam iis indiderit Voluptatem quàm quæ ex actûs venerei ſpe affluit, an propriâ quâdam dulcedine ſint imbuta?

2. Et, quod eſt longinquiſſimè (fortaſſis & proximè) prævium ad Actum luxurioſum eſt Cogitatio de eo abſque intentione perficiendi, ſed delectationis quæ ex eâ ſequitur gratiâ exercita; de quâ ſubtiliſſimè definiverunt Ethici, malitiam ipſius pertinere ad ipſam malitiam Objecti. Cùm enim Animum eſſe Vitioſum non ſit aliud quàm affectum habere corruptum circa talem materiam, & clarum ſit hominem eſſe affectum ad ea in quibus delectatur, conſequens fit ſpontaneè propter delectationem cogitationis illam exercentem affectum eſſe, ſeu conſentire in hoc quòd appetitus ſuus ſit conformis Objecto delectationis, hoc eſt, conſentire Animum ſibi

ſibi corruptam eſſe circa hanc materiam.

3. Sed, quoniam Delectatio eſt affectus ſequens Cogitationem, & non ſicut Intentio alligata circumſtantiis quæ in ipsâ reali actione interveniunt, propterea Delectatio eſt bona vel mala ſecundùm circumſtantias in ipsâ cogitatione præſentes & delectantes, & non ſecundùm eas quæ materialiter rebus cogitatis inſunt ſed non ſunt de quibus eſt ipſa delectatio. Sicut qui delectatur cogitans de Arte quâ Fur extorſit pecunias quas illarum Dominus in os condiderat nè cleperentur, non propterea de furto ipſo gaudet ſed de ſtratagemate; & frequens eſt ut Animus vagans cogitet de inſperatis, velut quid facturus foret ſi eſſet Imperator Conſtantinopolitanus, & delectetur in hujuſmodi nugis nullatenùs intentis. Quare, etiam de obviis ſic poteſt cum delectatione commentari, ut nullam intentionem habeat ea exequendi, & de ſimilibus cogitationibus & delectationibus circa Voluptates obvias proceſſit hactenus diſputatio. Et quantumvis hæc cogitatio ſit admodùm remota à Luxuriæ actu quem non intendit, quia tamen Objectum eſt formaliter in cogitatione, & in mediis ad executionem effecti imperfectè duntaxat & participatè, evidens

dens ſit eſſe naturâ propinquiorem cæteris præviis.

4. Quæ plerúmque in amantibus ludibundè eveniunt, ſecundum ſenſuum diverſitatem accipiuntur; Aſpectus, Auditus, Complexus, Oſcula, Tactus; neque deſunt qui Odoratum ſuam habere Voluptatem venditant. Et in Aſpectu, nemo eſt qui non fateatur formoſam cum delectatione aſpici, abſque concubialis Voluptatis auxilio. Quid gratiosè incedentem & ſaltantem mirari? nónne hæc delectationem præbent alteram quàm Thalamus, à quo eas nox abſcondit? Unde disertè Servator noſter *Viſui* adjecit *uſque ad concupiſcentiam*, hoc enim valet, ni fallor, *ad concupiſcendum eam*. Unde licet ſuſpicari de delectatione inferiori conſultò tacuiſſe. Sed ſolent quæſtionem movere lubrici quidam oculorum mutui ictus. Sed pro foribus eſt remedium; ſi enim hujuſmodi luſus oculorum vis ex intentione paciſcendæ Venereæ Voluptatis proficiſci, deciſa eſt cauſa: Sin molles tantummodò & irritativos Converſationis, ibidem ſumus: Cur enim & hos non ſua commendabit gratia, etſi non ſine vitio? Adjice modò vel cantantem, vel gratiosè ſive jocantem ſive diſcurrentē, ſtatímne his delectari idem erit quod Veneri indulgere! Succedant

dant Oſcula, non ſororia, ſed longa & humida, ut deſcribunt Poëtæ; & amplexus ſtricti corpore ad corpus afflicto, quòd etiam inter amicos uſu venire in inſperato poſt abſentiam reditu experimur; ſed viris & feminabus non niſi per magnam familiaritatem uſurpatis; poſſúmúſve ambigere quin ſuum mel habeant abſque ulteriori progreſſu hi affectus & ſuaviationes? Tandem hæc inducent ut de contactibus etiam obſcænis par aliquid credamus. Clarum itaque eſt hominum experientiâ eſſe in omnibus his quod ex ſeſe placeat. Et, certè, ſi non foret, hæ actiones non ut ſuaves, ſed ut merè utiles adhiberentur; hoc eſt, non ex Appetitûs Senſitivi motu, ſed puræ Rationis.

5. Demùm ipſa Natura dictat, quòd cùm hi ſint gradus quidam & acceſſus naturales ad ſolidam Voluptatem, ſicut actiones Naturis creſcunt, ſic & ipſis illecebris augeri debeant. His conſtitutis, clarum eſt Intemperantiam circa hæc & inferiorem eſſe ipsâ Luxuriâ, & ſuos in ſeſe gradus habere. Exiſtimes impoſſibile eſſe continere ſe qui hæc frequentant quin ipſam quoque Luxuriam admittant; &, ex eo ſaltem capite, periculi causâ, ipſam & æquare & in ſpeciem ipſius tranſire.

Sed,

Sed, quicquid de eo ſit quod ex indole perſonarum & circumſtantiarum varietate judicandum reſtat, nobis de eo ſolùm ex lege propoſiti noſtri agendum eſt, quod ex vi Objecti, & per ſe quaſi inſeparabiliter conjunctis accidentibus, hæret ipſi actioni.

6. Intemperantiæ ſpecies inter ſe comparare & difficile eſt & non apparet tantæ operæ pretium; plerúmque enim per diverſas complexiones ſeſe mutuò ſuperant & ſuperantur. Verbi causâ; Ingluvies Gulam ſuperat, & nocumento Corporis, & averſione à Contemplatione per gravedinem & cruditates; Gula, per occupationem Mentis circa comedenda & eorum præparationem, vilior eſt Ingluvie. Ebrietas utramque vincit, & Intemperantiam circa feminas ex proprietate vitii proſtituentis hominem omni generi malæ gubernationis: Superatur à ſtudioſitate Fornicationis, Adulterii & Stupri, quibus multùm occupatur Animus per ſe eas Voluptates appetentis. Mollities vitiat ipſum Actum Generationis, cedit tamen affectui Inceſtûs, etſi utraque vitia ſint contra Naturam. Quamvis enim, quicquid eſt adverſus rectam rationem ſuo modo repugnat Rationi quæ eſt

Na-

nobis Natura , tamen , cùm Corpore & Spiritu conflati ſimus, hoc magis propriè *Contra Naturam* dicitur quod contra utramque ſeu totum hominem militat, Corpore ſuggerente & Ratione approbante Virtutem oppoſitam: In Corpore enim ex ſeſe neque bonum eſt neque malum , ſed compoſitio ipſius in nonnullis neceſſariis determinatè ordinatum eſt & ſervit bono; ut patet in ſexuum formatione quæ manifeſtè rectum uſum generationis quaſi depoſcit , & incongruum averſatur.

7. Tantundem facit Verecundia minoribus erga Majores implantata (laxior, &, quoad actiones prævias ad uſum Veneris, ſatis libera in Majoribus circa minores videtur) uſque adeò ut Chamum exilio & ſervitute damnatum legamus propter ſpectationem inhoneſtam Patris. Et hæc de Intemperantiâ per Exceſſum peccante dicta ſunto. Inſenſibilitas dicitur cum irrationaliter avertitur homo à congruâ Voluptate. Adverſus Temperantiam in veſcis peccant, qui noxia ſaluti præ avaritiâ vel ſocordiâ quærendi vorant. Item, qui ſimilibus ex cauſis non comedunt quæ ſufficiant ad penſa ab iis ſive corporalia ſive ſpiritualia exolvenda. Circa venerem deficiunt

ficiunt Conjuges qui metu penuriæ, vel ſollicitudinis, & curarum circa natos, non dant operam liberis: Et etiam, qui, cæteróquin appetentes Veneris, non ſe Matrimonio ſubjugant præ metu difficultatum quæ in illo occurrunt; hoc eſt, quicunque, alióquin idonei, ob aliam quàm Orationis cauſam abſtinent.

Digitized by Google

INSTITUTIONUM ETHICARUM, SIVE STATERÆ MORUM, EXAMEN TERTIUM,

DE Intrinſecis gratis Homini ſecundum Mentem.

TRUTINATIO PRIMA.

DE *Cognitione & Virtute.*

1. Corpori grata, ut vires tulerunt, diſcuſſimus; ſuperſunt quæ Homini, quatenus Mens eſt, placent. Et quoniam inde Mens eſt quia habet quo

quo ſit alia, & non ſuæ Quantitatis limitibus compreſſa ſit, hoc eſt, quòd *Cognoſcat*, palàm eſt Cognoſcere eſſe primum & per ſe Actum Hominis ut Mens eſt, &, quòd inde ſit, perfectionem Cognitionis eſſe perfectionem Hominis quatenùs Mens eſt. Quare, cùm perfectio Cognitionis in eo reſideat, ut Objectum ita ſit in Cognoſcente ſicut in ſemetipſo ſeu in rerum Naturâ exiſtit, & tunc dicamus Cognitionem eſſe *veram* quando eſt conformis Objecto, palàm eſſe Veritatem ſeu veram Cognitionem eſſe Primum Amabile hominis ſecundùm Animum ſeu Mentem. Rurſus, ſi Cognoſcere ſit eſſe ipſam rem cognitam, clarum eſt Cognitionem illam eſſe præſtantiorem cujus objecti Eſſe ſit nobilius; hoc eſt cujus Objectum eſt nobilius.

2. Cùm itaque tres aſſignent differentias verè dictarum Cognitionum Naturæ ſcrutatores, Metaphyſicam, Phyſicam & Mathematicam; & Metaphyſicæ appingant celſiſſimas rerum facies, Ens Primum, Incorporeas Mentes, & Corporum intima, quippe ipſas Eſſentias inviſibiles & ſolo Intellectu conſpicabiles; Hanc ex propriis ſuis rationibus excellentiſſimam & Homine digniſſimam eſſe abundè patet. Narrat Phyſica Cæli & Solis non vias duntaxat, ad

&

& compoſitiones & utilitates : Peragrat quoque Tellurem & rerum Commoditatis & Mixtiones, & ſervitutem Domino Corporearum rerum Homini ſuggerit & inculcat. Gratus in his paſtus cognoſcentem oblectat, verùm neutra harum rectè ſine Mathematicâ geritur vel acquiritur. Quoniam enim Eſſentiæ Corporum Quantitabus,& Figuris,& Numeris ſunt illigatæ, Operationes quoq; eorum ſint Motus & quodammodò ſtrictiùs iiſdem retibus compediti, Phyſicam abſque linearum & numerorum legibus in ſuas partes & motus diſcriminare velle, abſonum & non machinabilium eſt. Metaphyſicam etiam quatenus vel Eſſentias ex ſenſibilibus, elevat & quaſi diſtillat, vel ipſa corporea lineamenta de Spirituum rationibus detrahit, ſine aliquali Numerorum & Figurarum ſpeculatione vanum eſt tentare. Baſis itaque Scientiarum eſt Mathematica, & neceſſitate ſe commendat quantum ſplendore ſubſidet.

3. Aliquam ordinis occaſionem adducunt Logicarum Scriptores: Quòd, cùm ardua res ſit comprehenſo quantitate Intellectui à notis & conſuetudine divellere cogitationem, eam Phyſicæ à ſingularibus limitationibus liberam, Mathematicæ à ſen-

ſenſuum motricibus poteſtatibus depuratam, Metaphyſicæ ab ipsâ Quanti & Sectilitatis ſcoriâ defæcatam poſtulant. Sed, pace priùs flagitatâ, crediderim faciliorem eſſe Mathematicam, (ut vocant) abſtractionem quàm ſit Phÿſica; cum ipſis oculis Geometria, & ipſa Arithmetica, materiam ſpeculationis exponat, quod in Phyſicâ rarò & difficulter exhibetur. Congruunt itaque abſtractionum gradus cum naturali objectorum ordine; &, quæ propriè ſunt Phyſicæ ſpeculationes retruſiore degunt a ſenſibus cavædio quam Mathematicæ; quæ ſaltem in pari ſenſuum miniſterio ſubjiciuntur, & claritatem & facilitatem ab iis hauriunt. Meditatò injeci *proprietatis* vocabulum, neque enim diſſimulare licet inter Phyſicas & Mathematicas quaſdam medias intercedere; quas ſi Phyſicis annumeres, etiam hujuſmodi Phyſica à Senſibus auxilium mutuantur, ut in Opticis Acouſticiſque demonſtrationibus experimentum facere in promptu eſt; Sed qui per Figuras, Elementorum Sectiones, vel Mixtorum Compoſiturã, vel Senſoriorum Fabricas, vel in Senſationem profectus, & hujuſmodi propria ſpeculationis Naturæ, tentaverit, perditas deflebit operas.

4. Non abſimilis eſt, quoad Abſtra-

ctionis modum, Scientiæ Moralis & Dialecticæ, ad Metaphyſicam ſupernè, & infernè Phyſicam, comparatio: Cùm enim hæc per voces Actus internos Intellectûs, illa per actiones exteriores interiorem Animum componat, vides Phyſicam Abſtractionem ſubſervire ſpeculationi à materiâ ſecretæ.

5. At, non ſi Scientia ſit Primum Amabile, è veſtigio pronunciandum eſt eſſe ſolum vel præcipuum; quantumvis fortaſſis cætera quæcunque ſunt amabilia non niſi Scientiæ ſint, ſi verè ſunt amabilia. Tolle ab iis quæ ſenſui blandiuntur eſſe cognita, manebunt Utilia ſed Amorem non ciebunt. Verùm, non eſt neceſſe in præſens ſic loqui: Sed ea voco Scientiam, quæ, etſi aliis vocibus notentur, ſignant tamen gradum quendam Scientiæ: Et hæc ſunt quæ Virtutum appellatione ornamus. Quæ cunctæ, cùm ſint ſecundùm Rationem, & eatenùs Virtutes & Naturæ congruentes quatenus Rationem pro Regulâ & modo habent, vanum eſt quærere an ſint Menti propter ſe amabiles & conſentaneæ, cùm non ſint niſi ipſius Rationis germina, hoc eſt, actus Rationis in Voluntate; vel ordo Rationis in actionibus inferiorum potentiarum. Unde quid aliud intel-

telligi poſſunt quàm ipſa Scientia toto homine diffuſa; ſeu toti homini dominans & adæquatè potens ipſius? Virtus enim, propriè dicta, tota infra Animam cohibetur, & exundat in reliqua Hominis, in ſignificatione æquè atq; in Naturâ non eâdem ſed derivatâ. Nec tamen etiam hîc ſiſtit fœcunditatem amabilitatis ſuæ Scientia, ſed deſiderat eam in alios etiam propagare; juxta illud Satyræ, *Scire tuum nihil eſt niſi te ſcire hoc, ſciat alter.* Qui enim hoc reprehendit, nihilò ſeciùs de ſe prædicavit. *Non ego ---ſi quid tamen amplius exit, Laudari metuam, neque enim mihi cornea fibra eſt.* Hoc igitur idem quod Scientiam vocamus in Eſſe, in Perfectione, & Propagatione ſuâ conſideratum, per ſe Hominem (quatenus Spiritu vivit) allicit, nutrit, impinguátque Cætera, ſi qua ſint, utilitate movent non ſpecioſitate, niſi fortè corruptum præjudiciis & falſis viſis (ut Romani Philoſophi olim loquebantur) Animum.

6. Opponit ſeſe tantæ Univerſalitati Virtutum, quod non omnibus poſſint omnes Virtutes convenire, ut non cuilibet contingit eſſe Magnificum; & Regiæ ſunt quædam Virtutes, vel Pontificales, quæ ſolis in dignitate conſtitutis conſentaneæ ſunt. Nihilò tamen ſeciùs propoſita Ve-

ritas eſt proſequenda. Cum enim non ſolùm in ipſis nobis ſeſe offerant exercendæ Virtutes, ſed & aliorum exempla probanda veniant vel vituperanda, de quibus non aliter ſententiam ferre poſſumus quàm quo modo ipſi affecti ſumus, palàm eſt nos alienam Magnificentiam non rectè laudaturos niſi placeat nobis Magnificentia. Placere autem & approbari debet, quare & cognoſci & diligi quia conformis eſt Rationi. Sic Regum geſta, ſic Pontificum, ſic Fortitudinem ſponte tormenta & mortem ſubeuntium, etſi nosmetipſos impares adeò heroïcis actis fateamur, ſi prudentes, ſi boni ſimus, miramur & adoramus.

7. Notandum quoque eſt, *Virtutis* nomen non uno ſenſu accipi, hoc eſt, illo ſolo quem expreſſimus, ut Actio ad normam Rationis exacta dicatur *Virtus*; ſed latiori, quâ comprehendi poſſunt Operationes quæ reſpectu propriæ ſuæ potentiæ perfectæ ſunt, etſi deficiant in aliis circumſtantiis à directione rationis. Sic quinque Virtutes in ſolo Intellectu computantur; putà, Intellectus, Sapientia, Scientia, Ars & Prudentia; quæ omnes in uſu mutilatas eſſe ſæpè defectu Finis vel alterius circumſtantiæ reperimus; exceptâ parte

parte aliquâ Prudentiæ, de quâ aliàs loqui opportunum erit. Clarum enim eſt Scientiam, verbi gratiâ, Phyſicam vel Geometriam, ad malum indifferenter æquè atque ad bonum applicari ab Agente, nos experiri. Aliud item ad virtutem comparationem præmittendum eſt, maximè ad Scientiæ diſquiſitionem; putà, in pleriſque Scientiis duos eſſe agendi modos; alium quo ad Scientiam pervenitur, alium, in Scientiæ jam poſſeſſæ uſu; hanc *Contemplationem* dicimus; illam vocat Ariſtoteles *Scientiam*, nos *Meditationem* vel *Studium* appellare conſuevimus. Neque cuiquam ſuggerendum eſt quòd ſit potior Contemplatio; Ipſum enim procedere ab Habitu & Agente perfecto nobilitatem ipſius de ſe commendat. Quando itaque de Scientiæ delectatione & congrnentiâ Naturæ loquimur, de voluptate Contemplationis agere præſumendum eſt.

TRUTINATIO SECUNDA.

DE *Scientiis & earum comparatione.*

1. NUnc quoniam conſtat non aliud eſſe Virtutes in actu quàm ipſam Rationem in reliquis actionibus ſepoſitâ ſpeculatione diffuſam, clarum de ſe eſt Scientiam virtutibus cæteris potiorem eſſe. Id dico, Scientiam, ſeu Contemplationem virtuoſam, hoc eſt, ad Rationis regulam exercitam, eſſe nobiliorem quâlibet aliâ virtuosâ operatione ab eâdem Scientiâ derivatâ. Eſto propoſitum opus Fortitudinis, verbi gratiâ; ut, cùm Regulo pro patriâ ſit per tormenta pereundum: Aio, Sententiam ipſam Mentis in Regulo præferendam eſſe robore affectûs inferioris, & decori actionis corporeæ conſtanter pœnas tolerantis. Quantumvis enim facilius ſit longè poſitum decóras cogitationes exercere, nihilominùs niſi in ipsâ actione ſit Fortitudo Mentis, quæ cauſa ſit honeſtè ſe per inferiores potentias gerendi, non eſt laûdabilis externa tolerantia, ſed vel naturalis corporis rectitudo, vel belluina ferocia.

2. Monent Philoſophi non in Intellectu, ſed Voluntate, quærendam eſſe hanc conſtantiam. De vocibus non litigo. Cùm enim non poſſint eſſe diſtinctæ Entitates in ſimplici Animâ Intellectûs & Voluntatis, non poteſt intelligi aliud eſſe Voluntas quàm præparatio quædam Animæ ad agendum ſecundùm rationem; Cùm itaq; Activum unumquodq; ſit ex eo quòd ſit actu, non poteſt Voluntas eſſe aliud quàm Anima prout actu, ſeu gravida principio ſeu eſſentiâ illius operationis quam dicitur *velle*; Quare, cùm per Cognitionem ſit actu & quaſi gravida formâ ipſius Actionis, clarum ſit Volitionem & Voluntatem non eſſe aliud in Animâ quàm gradum illum Intellectionis ex quo ſequitur actionem eſſe. Unde, de vocibus quæritur, cùm hoc anxiè diſputatur, Sítne Voluntatis an Intellectûs, velut Subjecti, Virtus.

3. Ab Ariſtotele habemus aliam & difficultatem & ſolutionem; quærit ſiquidem nobiliórne ſit Scientia Practica an Speculativa? Et ipſe quidem præfert Contemplationem, quia eſt operatio Optimæ partis Hominis, & actus maximè frequentabilis, & maximè jucundus, & maximè ſibi ſufficiens, hoc eſt paucioribus indigens quàm cæterarum virtutum exercitium; & ſola per

ſe amanda, cum non ad aliud dirigatur: Tranquilla quoque, quia extra ſe nihil appetit; Tandem, omni perfectione prædita, & Divina magis quàm humana. Hæc Philoſophus ut concluderet ex his Beatitudinem in Contemplatione eſſe poſitam. Egregiè ille quidem, qui ultra corporeos carceres non proſpexit; ſed inſufficienter nobis, quibus ad ulteriora conandum eſt, & hîc operandum ut ingentibus poſtmodum præmiis potiamur. Cum itaque Contemplatio noſtra non ſibi complacitura ſit, ſed ad illam liberam & ſupercœleſtem, gradum nobis factura, *Metaphyſicæ*, quæ *Sapientia* appellatur, litem intendit *Moralis*, cujus eſt vitam noſtram ad æternam dirigere.

4. Diſtinguendæ ſunt itaq; harum duarum poteſtates, ut potiorem præferamus. *Metaphyſica* igitur Entis Primi excellentiam demonſtrat, noſtram ad Ipſum proportionem docet, quodq; ad Ipſum ut Beatitatis Apicem collimandum ſit; quanta in poſſeſſione Jucunditas, quanta in multatione Infelicitas & Pœna; Multa præterea, ſed hæc ad Inſtitutum noſtrum. Suſcipit *Moralis*, & percurſis Amabilibus Generi noſtro, & motibus qui propter ipſa exercentur, vitam noſtram talem efficit, ut eo quod Metaphyſica oſtendit potiri valeamus.

mus. Certè Sapientiam Moralitatis Magiſtram agnoſcimus, cùm eam ſentiamus & quid ſit Ultimus Finis, & quòd omnibus viribus proſequendus ſit, aperire; Moralémque exequi quod Sapientia imperavit. Eſt itaque Sapientiæ virtus in quâ Moralis agit, & ſervitute ſuâ Hominem ad ingens illud unicumque Bonum perducit. Quare, quantumvis Moralis, quando aliunde principia ſua habet (ut à Fide Chriſtianâ) poteſtatem non levem in Metaphyſicam conſequatur, ut alias operationes Contemplationi præferat ſuo loco & methodo, non tamen cum eâ jugum ducit. Non enim inficiari audeat nobiliſſimam etiam ad ſuum effectum ſeu ad Beatitatem aſſequendam (fermè dixeram, inchoandam) eſſe Contemplationem; quare & ſibimet anteponendam eſſe; &, ſi rem attentius intueamur, etſi à Metaphyſicâ virtutem agendi hauriat, non renuit ipſa Metaphyſicæ interdùm officium imperandi cedere; cùm hoc ipſum Jus à Metaphyſicâ acceperit, ut actionibus humanis pretium ponat, & Leges figat. Neque abſque ratione ſit Sapientiæ gubernationem, in aliquibus, commodiorem eſſe quàm

 fidei,

fidei, ad hominem pro Naturæ bono regendum & corrigendum.

5. Eſto itaque Scientiarum ſeu Cognitionum per-ſe-appetibilium ſuprema, *Sapientia*: Eam ſequatur *Moralis*; Huic adhæreat *Phyſica*; quæ, etſi non, ſicut priores, ex conſilio & mente quaſi ſuâ ad Contemplationem futuræ vitæ nos arrigat, ſed magis illicio ſuo detinere contendat, tamen cum Moralis in eam Imperium accepit, propoſitâ rerum corporearum Mundi ſingularum opportunitate & ingenio, mirabilique cauſarum & effectorum ad Ultimum Finem hominibus dandum conſpiratione, incredibilem Animorum & motum, & in motu conſtantiam verſus ultimam vitæ noſtræ metam ciet & confirmat. Cum Scientiis Mediis ingreditur quoque *Matheſis*, & ſuas vices agit ad animas in cœleſtia comportandas. Sic diſpoſitæ ſunt Scientiæ, ſeu ſic in computatione Virtutum Intellectualium collocantur Sapientia & Scientia. Intellectus Principiorum utilitate quodammodò Princeps eſt, cùm cæteris evidentiam donet. Artes propter finem amabiles ſunt, ſicut & Scientiæ Practicæ Artium Architectæ; etſi Demonſtratio etiam in iis ſuam habeat illecebram.

6. Conſtituto Scientiarum in ordine ad Ulti-

Ultimum Finem Bono, quòd Metaphyſica Fidei obſcuritatem illuſtret, & in certamine adverſus inanes difficultates confirmet & corroboret, præſtétque alacrem & confidentem erga Æterna Bona Animi ingreſſum, Phyſica verò immenſos aperiat campos Divinarum Laudum; Diſcurſibus, Sapientiæ, Providentiæ & Bonitatis ingentes Theſauros perſcrutans; Utrique Mathematica ſupponat certa fundamina, & rigidum conſequentiarum nexum uſu ipſo erudiat: Manifeſtum quoque eſt Medium quod Studioſitas (vel latiniùs, Studioſus) in Scientiis perſequi & venari habeat. Etſi enim Contemplatio de ſe ſummam & maximè conſentaneam Naturæ Voluptatem offerat, (unde miſer Ariſtoteles Contemplativam Vitam Generi noſtro tanquam verè humanam, verè noſtram, caram efficere conatur) tamen niſi ad futuram vitam adprehendendam applicetur, cum vitâ evaneſcit, in ipsâ vitâ nonniſi ſub exitum blanditur, & in illis ipſis delicioſis ſed paucis annis raro interſpergitur, vitæ victûſque neceſſitatibus etiam excelſiſſimos Animos compedientibus, & deorſum trahentibus. Quare, nihil præmii tam prolixâ & tædio refertâ anteriori vitâ dignum illinc expectandum venit.

7. Conatur tamen Philoſophorum Coryphæus ſic gratum nobis reddere illud quantulumcunque vitæ humanæ Mel, Illud (inquit) unumquodque *eſſe* videtur quod Præcipuum in eo eſt: Scilicet, quia gradatim Natura perfectionem colligit, & quò magis communis eſt aliquis gradus eò plerumque imperfectior, & addita communi rationi differentia eximit quodammodo ex grege & proprium quiddam facit, & minùs communitatis & indeterminationis imperfectionem obolere; Quod autem ſupervenit, cùm perficiat id cui adjicitur, nobilius eſt: Quare, cùm idem ſit Nobilius & Specialius, ſeu proprium eſſe impertiens rei cui ineſt, clarum eſt, etſi plura ſint in eodem Ente, tamen ſi id quæritur in quo conſiſtat quod res ſit *Hæc*, ſeu à cæteris Aliud, habet hoc ab eo quod in ipsâ nobiliſſimum & maximè elevatum eſt. Ab hoc Principio deſcendit Philoſophus ad *propria*, & Hominem cæteris Animalibus Intellectu præſtare cernens, & inter Intellectûs actiones Contemplationem præcipuam, facile adductus eſt ut hanc potiſſimam & quaſi vitæ Beatæ principium ſui ſequacibus repræſentaret.

TRU-

TRUTINATIO
TERTIA.
DE
Vitiis circa cognitionem.

1. HÆc illecebra Curioſos facit, & prudenter evitanda eſt, nè nimiùm ineſcati ad futura conamen omittamus. Peccant itaque Curioſitate quicunque propter ſe Scientiam aucupantur, obliti ulteriùs eam dirigere; vanis Scientiis tempus impendentes, quod ſolidis debent. Refertur autem Scientia tribus viis; primò ut per ſe adjuvet, ſicut de Metaphyſicâ explicatum eſt; deinde, ut ad neceſſaria comparanda ſerviat, quæ potiſſima Mathematicarum laus eſt: hæ enim, cùm ad humanæ vitæ inſtrumenta ſint ſummi & incomparabilis pretii, etiam poſſeſſori ſuo natæ ſunt emolumenta inſignia conciliare: Tandem (quod omnibus commune eſt) ut Animum à Voluptatibus noxiis diſtineant. Tanti enim dulcoris eſt nova & inexpectata percipere,

vel (quod majus eſt) in ſuo animo concepta parturire, ut facilè Hominem paulò erectiorem à ſuperfluis auferat deſideriis.

Prætereunda non eſt hîc inſania illa celebris, & per rudiorem Generis Hũmani ſortem nimiùm quàm diffuſa, futurorum cognoſcendi. Quæ, primò, ipſo ſuo Bono propoſito futilis eſt & inanis. Quorſum enim ſcrutaris nondum exiſtentium profunda? Ut vites, & non eveniant per tuas cautelas? Sed ſi evitanda ſunt, neque futura ſunt. Sed fortaſſe, tua ſaltem futuris accommodare cogitas. Homuncio! Si quæ tu quæris futura non ſunt evitanda quia futura ſunt, nonne pari lege etiam quæ tu facturus es non evitanda ſunt quia ipſa quoque futura ſunt? Utquid ergo tibi aliiſq; moleſtus es de eo quod nihil te adjuvabit?

3. Sed quod vehementiùs inſipientiam horum Curionum infeſtat, eſt, quòd Inquiſitionem moliantur quæ ad Scientiam nullum aditum habet. Qui enim Divinatores conſulit, non aliud ulterius ſibi proponit quàm ut de propoſitâ quæſtione obſcurum reſponſum habeat, quod ipſe non videat, donec, jactâ jam aleâ fortunæ, ſeſe oppignoraverit. Conſulat Cræſus Delphos, alius Hammonem: Quid referunt? Ad ſummum apertam, plerumque difficilem & obſcuram

ſcuram Oraculi ſententiam cui fidere oporteat, non cujus veritatem videant priuſquam ſuo malo experiantur, vel certè ſe Fortunæ vicibus expoſuerint. Et hæc quidem diſertiſſima ſunt. Tenebricoſiora cætera quæ per Divinationes, Auguria, Aruſpicinam, *S*omniaque; denique per Sortes nunciantur. Non itaque Scire, ſed Credere incerto Authori, & ſe dubiis committere properant; & credunt nihilominùs mortalium ſtupidiſſimi ſeſe ſupra cæterorum verticem ſublimes per eminentem Scientiam ſiſtere; digno Curioſitatis præmio, ut omnium communi Oraculo, ſtultiſſimi & deceptiſſimi coronentur.

4. At, quibus retibus captantur? Omnibus hoc dolo utentibus una eſt experimentorum tutela, *Sæpè ſic accidit*; Addo ego, *& accidere neceſſe eſt*. Celebris eſt, & antiquis frequens, & hodiernis non inuſitata, Sortilegii ad futura prænoſcenda acceptatio; Cui talis ſors ceciderit, voti ſui erit compos; cui alia evadet, ſpei ſuæ impar. Si duæ duntaxat ſint ſortes, quis adeò ſtupidus eſt ut non videat ſortem toties vero quoties pravo ſe addicturam. Manifeſtum itaque eſt multoties eventurum ſicut ſortes prodidere, num propterea prudens quiſpiam ſortes de negotio ſuo conſulat?

lat? Sunto itaque plures ſortes, inter quas Unica conſulenti votum addicat; nónne iterum, etſi rariùs, tamen, pro ratione ſortium, nonnunquam reſpondebit eventus? Adjice huic Fortunæ benignitati, cæteros caſus ſileri, ſolos reſpondentes votis memorari; & eorũ quibus profuerunt teſtimonio, & omnium iis credulorũ voce, & affectibus ſperantiũ cumulatos; nunquid non intelligimus quâ famâ provocaturus ſit cupidum & credulum popellum Sortium Magiſter?

5. Quæ de Sortibus diximus, transfer ad alias Vaticiniorum ſpecies, Geomantiam, Hydromantiã, Chiromantiam, Necromantiam, Aſtromantiã, & cæteras ſeu Mantias, ſeu meliùs Manias vocites; & in ſingulis perpende reſponſorum numerum, per aliqualem induſtriam prophetantis ad perſonam interrogantem & quæſtionem reſtrictum, & invenies adeò in anguſtum redactum ut neceſſe ſit volenti nolenti toties rectè reſpondere ut nunquam deeſſe poſſit unde mira de ſemetipſo jactare queat. Hæc eò collimant, ut nullam his reſponſis, ex eo quòd ſæpiuſculè ſint votis accõmodata, firmitatem conciliari demonſtratum maneat.

6. Aliunde verò tota rimis fatiſcũt; cùm, ut ſuprà deduxi, in puris tenebris deliteſcant, fide plerúmque hominis aut levis aut vilis plenè ſubnixa. Levis, ut muſcipula il-

la Aſtrologica Genethliacorum, quæ tot & Magiſtros & credentes adeò miſerè demẽtat, cùm nullam omninò connexionem cauſarum cum effectis veriſimiliter prætexere valeant. Somniorum verò Fides primò à memoriâ ſopiti hominis, adde plerúmque violentæ alicui paſſioni mancipati, vel mulierculæ nativâ credulitate fingentis ſibi aliquid miraculi, pendet & proficiſcitur. Vilium pænè Circulatorum ſunt reliquæ prædictiones, & non rarò ſceleratorum, Dæmonem ipſum de familiaritate ſecum contractâ calumniantium. Quorum quàm exterminanda eſt profeſſio, quòd Chriſtianas Animas ſervituti Spirituum Infernalium, ſaltem mẽte tenus, addicere non exhorreſcunt; tàm vaniſſimus eſt dolus, nihil magnorum promiſſorum præſtare valentium.

7. Trepidant ad hujuſmodi dicta imbecillium pietatis cultorum mentes, neq; ſuſtinent in ambiguum cadere quæ quotidie de Tentationibus & mixtione Dæmoniacâ cũ ſpiritali vitâ ſibi inculcata retinent; Tot de Energumenis, tot de pactis, & pactorũ mediatione perfectis Strigum operâ maleficiis, de Incantatoribus quoq; qui Dæmonẽ vel animas ſuſcitare valeant: Hæc omnia ſibi evelli non magis quàm ipsã Fidẽ patiantur. Mirũ quomodò piis affectibus tam altè poſ-

poſſit inſidere, Deum plus Mali extra ordinem permittere quàm faciat Boni; Dæmonibus nocendi ampla diplomata ſignet, Angelis extra legem benefaciendi parcâ manu poteſtatem faciat, Neque enim credo quenquam de Spiritibus Tutoribus adeò licenter opinari, ut aſſerat eos benevolentiæ divinæ erga redemptos Chriſti ſanguine operabus ſuis deeſſe: Quid ergo quòd amplos Greges Diabolo communicantium ubique audiamus, Raros admodum qui Angelicis dignentur alloquiis? Nuſquam Congregationes ad Angelos, cum Sabbata Dæmoniacorum in os paſſim ingerantur? Veriſimilia effabor, ſi non vera. Mala miſeros mortales in ſui memoriam magis adigunt, quàm Bona; Illa à Diabolo habere originem teſtatur Catholica perſuaſio: Si quod ergò Malum à causâ non apparente incidit, ſtatim in omnis Mali radicem, Dæmonem, refunditur: Et plerumque anguſtæ animæ de proximo inveniunt Diabolo Miniſtrum, cujus ope Diabolus ipſis infeſtus fuerit. Hinc tot ſuſpecti, ut, ſi Inquiſitores acres fuerint, crimine per contagium ſerpente, per optimos quoſque uſque ad integra Cœnobia ſuſpicio permanare ſueverit: Neſcio enim quâ vi mala fama viſcoſior eſt bonâ.

8. Sed

8. Sed undecunque hoc ſit, ad inſtitutum revertamur, & parem Angelis & Dæmonibus in interiorem vitam ſollicitudinem eſſe credamus; De exteriori vitâ, quando miraculis locus eſt, Atris ad maleficia, Bonis ad beneficia promptitudinem non negemus indeficientem: Citra hunc articulum non facilè Circulatorum nugis credamus, qui lucri causâ (cum Bonitatis imaginem, præ vitæ nequitiâ, ſuſtineri non poſſint) ſumma ſcelera & Diaboli commercium ſibi imponunt, ut alienas exinaniant crumenas, Magiam & horrenda nomina crepantes, cum turpiſſimi & viliſſimi ſint homunciones & amplius nihil. Dedecoroſum eſt itaque Homini prudenti & forti vereri hujuſmodi deliramenta, & non vi vel dolo, quà via patet, irrumpere gurguſtia, & fœdare latebras, & in lucem protrahere fabulas cum ipſo Cuſtode earum & Cerbero, ut ſenſim è populo Chriſtiano evaneſcat pudendus ille ſuppoſititii Diaboli tremor, & indigna illa opinio de poteſtate in Chriſtianos homines, quæ eos à verâ pietate avertit, & fide in Chriſtum, & ſubjicit immundis tenebrarum Incolis. Neque nefas credas, aut te Cacodæmoni initiari, ſi tentes eorum domos, modò poteſtatem quam præfert fortè habeat Magus.

gus. Ades enim ut inimicêris & deſtruas regnum ipſius, Et, ſi Fide firmus ſis in opere non tam bono quàm Heroico, quid tibi moleſtus eſſe poteſt? Aut Miraculi caſus eſt, aut præſtigiator eſt Magus: Hunc itaque horrere ſtolidum eſt, in Deo per miraculum præſente non confidere modicam fidem arguit. Intrepidè itaque adoriendæ ſunt hujuſmodi præſtigiatorum officinæ.

9. Vulgatior eſt Tarditatis ad Scientias quàm nimiæ Appetentiæ lapſus: vulgatior & improbior. Ejus Servi, alii Scientias quærunt, ſed pravè; alii negligunt, vel etiam contemnunt. Pravè ſectantur qui tenentur cupiditate minoris Boni per eas obtinendi; Honorem aut Lucrum pro ulteriori Bono ſibi proponentes. Horum quantò vilius eſt pretium, tantò gravior in Scientias injuria. Tolerabiliores Stoici, qui Beatitudinem in Virtutibus, maximè in Politicis, collocantes, Scientiam ad illas referebant; ſtultè alios, & Idolum Reipublicæ, ſibi præponentes; cæteróqui nobilium præmiorum (ſi animus vocibus reſpondebat) captatores. Inferiori conſederunt loco Scientiarum deſertores, qui Voluptatibus, qui Fortunæ allectamentis ineſcati Scientias neglexerunt & vanas

re-

reputaverunt. Ubi itaque conſiſtent Oſores Veritatis, qui Scientias, tanquam ſeductrices à vero humani Generis fine, exterminandas exiſtimant? Et in duos ſe dividunt calles, alii deſperationem, alii inutilitatem cauſantes: Hos ducit ultrò ſe oculis ingerens ſpectabilium ſplendor; ut Belli Gloria, vel divitiarum Luxus: Illos occupati, per inanem diſciplinarum imaginem, regni Loquacitatis perdendi metus, & Scientiarum acquirendarum terret præſumptus labor. Utrique humanæ Naturæ ſunt teterrimi hoſtes; ſed priores quodammodò Barbari & inermes, à quibus ipſa ſe paulatim vindicat Natura; Poſteriores, proximis ipſi Scientiæ Naturæ donis, adverſus ipſammet & armati, & (quod ſequitur) inter Intemperantiæ limites vitioſiſſimi; à primo Naturæ Amabili averſi, & contrarii, ſumméque repugnantes.

TRU-

TRUTINATIO QUARTA.

DE

Veritate & Mendacio.

1. DE ipsâ Veritate ſatis. Ea cum ſe diffundit, ex Subjecti naturâ novas appellationes ſortitur; ſed univerſim eſt actio ab ipsâ Veritate, in Mente Agentis habitante, ſpeciem trahens; quali utentes dicuntur, *ſecundùm Conſcientiam agere.* Aſt actu, vel eſt formaliter ipſa Veritas, ut quando alium doceo quid ipſe ſentiam; vel imago quædam vel veſtigium veritatis quæ in mente eſt; ut, cùm figuram, quam mente concepi, lineis in cartâ exprimo; quæ non eſt Veritas, ſed conformis Veritati, ſeu res exterior menti ſimilis. Et quoniam Veritati charior eſt ea ſui propagatio quam vocant Univocam, ea primò tractanda eſt.

2. Amor Veri ſpectatur in Vocibus, Scriptis, nutibus, geſtibus, & quibuſcunque actionibus, quas aſſumit homo ad mentem ſuam alteri patefaciendam ut Veritatem

tem teneant. Neque cuiquam dubium eſſe poteſt quin ad Amatorem Veritatis ſpectet hæc conformia menti ſuæ perficere, ſi abſtractè ab incidentibus diſputemus. Cum enim *Falſum* dicitur, *Nihil* & *non-Ens* dicitur; neque quicquam magis diſſimile eſt Homini cujus Natura eſt Scientia & Cognitio, hoc eſt, Veritas, quam Falſitatem ab eo procedere: Certum nempe indicium eſt quòd Amor Veritatis, hoc eſt, ſuæ Naturæ, non ſit in eo potiſſimus; ſive, quòd ipſe ſibi diſſideat, & in ſeſe partes oppoſitas & contradicentes includat, quarum deterior regnet in meliorem. Perſpicuum proinde eſt Falſum voluntariè procedere ab Homine eſſe indecorum; niſi impediatur per Veritatis propalationem tanti momenti Bonum, ut nævum falſitatis, per compoſitionem cum ipſo, reddat amabilem. Oppones, quòd cum voces ex Naturæ inſtituto natæ ſint ſignificare Mentem, quando applicantur ad ſignificandum aliud quàm Mentem noſtram, præter Naturam ipſarum uſurpari; &, propterea, Mendacium eſſe intrinſecè malum, neque poſſe ullo Inconveniente aut Bono reddi excuſabile. Adjce, per voces falſas ex proprietate rerum propagari in audientem Falſi, Veritatis oppoſiti, corruptelam Huma-

Humanæ Naturæ maximè exoſam.

3. Reſpondetur, in mille inconvenientia incidi quando res Morales tractantur Metaphyſicè. Et, propterea, quicquid ſit de hoc an ſit intrinſecè malum quoad rationes Metaphyſicas, nihil morari Philoſophum Moralem, qui omnia ex Ultimo Bono metitur, & omnia Bona vel Mala dicit ſecundum ordinem quem ad illum Finem obtinent. Rurſus dicendum, quòd nihil cujus tota Eſſentia poteſt eſſe in rerum naturâ (extra voluntatem) poſſit eſſe per ſe & intrinſecè Malum in eo ſenſu quo Scholaſtici loquuntur, quia ſequeretur oppoſitum ei eſſe per-ſe-Bonum, & per conſequens Amabile citra ordinem ad Snpremum Bonum, quod deſtruit principia Ethicorum. Sed, reuertendo ad propoſitum opus, dicendum eſt, Malitiam quæ ponitur in improportione Vocum ad ſuum ſignificatum non eſſe niſi Malitiam Phyſicam, quam non repugnat juſtificari: Nihil enim eſſe magis naturaliter Malum quàm Mortem Animali, & tamen Homo non ſolùm liberè occîdit alia Animalia, ſed ſuam etiam vitam cùm ratione poteſt oppignorare. Sanctus Doctor comparat Mendacium ad bonum finem editum, Furto quod Eleemoſynæ cauſâ

ſâ ſit, quod propter neceſſitatem licitum evadit.

4. Prætereà, quid levius eſt Vocibus, aut magis in voluntatis humanæ arbitrio, ut litem pro earum indemnitate quis ſuſcipiat? Sed & eædem Voces, ſi cum interrogatione aut dubitatione, vel quocunque modo præterquam enunciativè efferantur, innocenter ſignificant aliud quam mentem noſtram. Evidens itaque eſt malitiam Mendacii nō conſiſtere in injuriâ factâ Vocibus per indebitam applicationem, ſed in injuriâ ſeu damno quod homo infert ſibi per ſimulationem, ſive per hoc quod exterior facies eſt diſſimilis interiori. Duo autem Mala ipſi ex hoc proveniunt. Inprimis enim, eſt quaſi Ægritudo & Infirmitas Veritatis non producere actum ſimilem ſibi; &, deinde, facit eum vilem & contemptum coram aliis, quaſi defectuoſum à naturâ Veritatis, hoc eſt, Hominis: Præter tertium inconveniens, quòd ipſi non fidatur; & ſic evadat impotens ad agendum inter Homines, quatenùs actio ex Fide & Veracitate pendet. Ex quibus patet Bonum acquirendum vel debere compenſare hæc incommoda, vel Mendacium in iis circumſtantiis proferri ut hæc incommoda non ſequantur: ſicut, cū Infantibus & Pueris interdū falſa dicuntur, ut eos

quietos & averſos à deſideriis præſentibus reddamus, non propterea cenſetur quis Mendax; & tantundem eſt de pluribus locutionibus jocoſis, ubi non niſi riſus honeſtus quæritur. Nemo enim ejuſmodi vocum abuſum in communi hominum vitâ Vitio, ſed Eutrapeliæ imputat.

5. Commercium quoque humanum, vel Fides, à quâ pendet Commercium, non læditur ſi homo nihil præter Juſtitiæ regulam, & rarò, & gravi duntaxat ex causâ, mentiatur. Sicut enim qui ſemel eſt inebriatus, vel per potentiam medicinæ ſanitatis ergô aſſumptæ, non propterea eſt Ebrioſus aut ebrioſi infamiam ſubit; ſic neque qui ſemel eſt mentitus, ob gravem & legitimam occaſionem, Mendacis ſubit notam & infamiam, ſed, qui levi de causâ, & propterea frequenter, mentitur. Sed & inde Commercium fidei & loquelæ non lædit, quòd non ſit conſiderabile quod facit, neque tranſeat in exemplum converſationi futuræ. Sed &, ſi qua læſio foret, tale nocumentum non eſt aliquid irreparabile ut faciat malum-per-ſe. Similiter ipſum Æſtimari mendacem eſt Malum tantummodò Fortunæ, quod meritò ſuſtinetur propter ingens Bonum. Et tandem, quòd homo per voces exteriores ſit diſ-

diſſimilis interiori ſuo Intellectui, ſi per Paſſionem & imbecillitatem fiat, malum eſt, quia eſt diſconuenientia irrationabilis; ſin autem ab animo per Rationem rectè diſpoſito fiat, non eſt cur non poſſit eſſe laudabilis; cùm Oppoſitio ſit ad Intellectum prout eſt Natura, Conformitas verò ad eundem prout Ratione gubernatur.

6. Et ſic videmus Stratagemata & Diſputationes Eriſticas cùm exercitii gratiâ fiunt, à nullo reprehendi, imò tantò plùs laudari quantò magis decipiunt; cùm ipſamet deceptio non ſit deceptio, ſed magis Veritatis propalatio. Neque refert quòd actiones in quibus eſt ſtratagema, non ſint Inſtitutæ ad eſſe Signa, ſed accipiuntur ab intuente pro Signis per errorem; Verba autem ſunt Inſtituta pro Signis, hoc enim non enervat Inſtantiam Diſputationis Eriſticæ quæ fit per Voces, & Comicarum repræſentationum uſum. Sed & ipſum Stratagema clarè deſtinatur ad hoc ut Hoſtis aliud putet quàm reverâ intenditur. Tandem Voces non habent hanc vim à Naturâ ſed ex Inſtitutione humanâ, quam non eſt videre cur non poſſit violari ratione magni boni; Cùm & ipſa Natura tum corporea, tum ſpiritualis,

prout eſt particularis, aliquando rationabiliter malo mactetur, ut dolore vel ignorantiâ, propter majus bonum.

7. Ex dictis clareſcit eorum Error, qui, neceſſitate victi, & Mendacii *Nomen* dedignantes, ſuppoſuernnt loco ipſius *Reſervationem*, (ut appellant) *Mentalem*. Inprimis enim rationem Mendacii non ſuſtulerunt ſed aggravaverunt; Dicunt enim continuandam eſſe orationem exteriorem cum interiori, cum quâ additâ ſit vera. Quo facto reddunt Mentem magis contrariam orationi quàm priùs erat; Diſertè enim & ex intentione addunt Menti aliquid quod non eſt in Voce, & jam vox ſit magis & ex magis formali intentione defectuoſa & oppoſita Menti. Videtur autem Error ex eo accidiſſe quòd putabant Veritatem requiſitam eſſe in ipsâ Mente, & ſic per hanc additionem Mentem conabantur Veram reddere: neque adverterunt duos eſſe quaſi actus in Mente, unum quo ſcimus & ſumus Objectum, & alium quaſi formatorem Vocum & Ideam earum; & Mentem dici eam quæ in priori actu poſita eſt, non in poſteriori. Per additionem itaque ad poſteriorem actum non aliud egerunt quàm ut Voces non ſolùm à priori actu, qui verè Mens eſt, ſed etiam à poſteriori diſſen-

diſſentiat. Sed præterea, volentes tollere malitiam Metaphyſicam aggravaverunt malitiam Moralem. Aſſerendo enim hanc fictionem non eſſe vitioſam, ſed magis artificioſam & laudabilem, faciunt non vitandam & frequentem: Unde Commercii humani Fidelitas, & Honeſtas Veriloquii, & ipſa naturalis propenſio ad Veritatem externam, prorſus ab illis peſſundantur. Et hæc de Veritate dicta ſunto. Veritas enim prout in promiſſis & pactis eſt, non tam Veritas quàm Conſtantia quædam eſt, ſi loquens intentionem perficiendi habuit cum loqueretur: Quod ſi non habuit, ad hunc quidem locum pertinet, ſed aggravatio eſt accidentalis ex qualitate materiei in quâ eſt Falſitas; & ſic non ſpectat propriè ad Veritatem, ſed ad Nocumenti Tractatum. Auguſtini in hoc dicto vererer fulmen, niſi alii Sancti pro me ægida ſupponerent.

8. Amor veri dicendi dicitur *Veracitas*. Videtur à Simplicitate hoc diſtingui, quòd Simplicitas non videatur ſtare cum cautelâ alieni doli, ſed nudè rem profari ſicut ſe habet; &, non tantùm ſola Vera explicare, ſed & omnia quæ occurrunt menti, quod ad Veracitatem non requiritur. Dicitur Veracitas potiùs ad

minus declinare; hoc eſt, Veracem inclinatum eſſe ut potiùs infra excellentiam facti, quod narrat, ſiſtat, quàm ut facto quicquam addat. Quod intelligendum eſt in dubio, dum anxius eſt quid in re fuerit; alioqui, ſi conſtet ipſi quid fuerit verum, ad Modeſtiam ſpectabit hæc remiſſio, non ad Veracitatem. Sed in dubio certus eſt Veri dum intra ſuos limites ſe continet; periclitatur verò nè in falſum impingat, ſi ad plus inclinet.

9. Oppoſitum Veritati ſeu Veracitati vitium, in Verbis dicitur *Mendacitas*; ſicut & in Scriptis: in cæteris inſtrumentalibus ad Mentem declarandum motibus vocatur *Simulatio*. Mendacium triplex plerumq; ſtatuitur, Pernicioſum, Officioſum, Jocoſum; ſed immeritò; Jocoſum enim non eſt in propriâ ſpecie Mendacii. Clarum ſiquidem eſtMendacium non tam in pronuntiatione Vocum quàm in Actione fallendi eſſe poſitum; non fallitur autem neque fallit qui perſuaſionem falſam ad tempus non conſiderabile introducit intendens veritatem in fine actionis, quod in Jocoſis accidit. Unde nemo Mendacii labem objicit Nutricibus quæ ad placandos Infantes dicùnt illis Matres ſtatim affuturas aut ſimilia, quæ ſtatim, qualia ſint, ſunt apparitura.

Pari

Pari modo de Simulatione momentaneâ eſt judicandum. Sed in utriſque hæc figenda eſt Lex; ubi à deceptâ parte non eſt expectanda Veritas, ibi neque Mendacium neque Simulationem intervenire;ut Calendis Aprilibus in quibuſdam locis ſolenne eſt & omnibus notum, morem eſſe incautis imponere, & quaſi conſenſu firmatum. Tales itaq;doli proMendaciis haberi non debent.

10. Eadem eſt Stratagematum Lex. Hoſtis enim ſubjacet hujuſmodi hoſtium dolis ex lege Belli, & fruſtrà de circumventione conqueritur. Eodem jure de cæremoniis Curialium & ſimulationibus quaſi honeſtatis gratiâ geſtis. Non ſic tamen de Chriſti ſimulatione abeundi à Diſcipulis in Emaunte loquendum, ſed quòd hanc actionem perfecerit ad eliciendum ab iis affectum hoſpitalitatis; verè receſſurus, ſi non conſecutus fuiſſet. Davidis ſimulatio coram Philiſtæis ad Stratagemata pertinet. Iacobi & Iudithæ actiones ſubſtantialiter bonæ fuerunt; an circumſtantiis perfectæ, non multùm laborandum; cùm etiam Sanctorum Veteris Teſtamenti multas imperfectiones legamus. In Lege Gratiæ habemus etiam exempla ſimulationum Sanctorum; ut, Ambroſii, Syneſii, Simoniſque cui cognomen *Salus*, hoc eſt, *S*tultus, quòd

ſeſe ſtultum fingeret; ſicut priores ſeſe Sacerdotio indignos probare ſatagebant. Quorum actiones an ex bonitate Finis licitæ evaſerint, ingens lis inter Theologos pendet.

TRUTINATIO
QUINTA.
DE
Derivatione Veritatis in operationes Hominis, & de Hiſtoriâ.

I. PRopagatio Veritatis in illas Hominis operationes quæ ad alios uſus, & non principaliter ad manifeſtationem Veritatis, diriguntur, duas quaſi partes ſeu paſſus habet: Alterum, quo in ipſo homine creatur Veritas; reliquum quo, in Homine jam exiſtens, in ſequentes operationes effunditur. Veritatem alicujus actionis eſſe in Homine eſt Hominem videre quid ſibi ſit optimum factu in circumſtantiis prementibus ſeu (ut loquuntur in Scholis) *hîc & nunc*. Veritatem autem ab Homine in ſuam actionem manare eſt, Homi-
nem

nem ſecundum Scientiam quam actu habet plenè & perfectè operari. Quoties itaque Homo & clarè perſpicit quid ſit ſibi agendum, & ex hâc Scientiâ, ſine mixtione alterius Principii oppoſiti Scientiæ, procedit in actum, toties actio in individuo perfecta eſt: ſi autem utrumlibet defuerit, imperfecta evadit.

2. Commemoremus hîc Actionum noſtrarum Regulam, nempe illam eſſe actionem bonam ſeu perfectam quæ ad Ultimum Bonorum nos promovet; & hanc numero actionem, quæ hîc & nunc hoc efficit; &, quod ex his conficitur, hanc actionem eſſe perfectiſſimam, ſi, circumſtantibus conſideratis, alia melior non potuerit exiſſe; Si qua autem rectiùs proceſſura fuiſſet, eatenùs vitioſam eſſe hanc quatenus ab illâ deficit. Sic ergo concluſum eſt, Veritatem in actionem particularem eſſe perfectè derivatam tantundem eſſe, quod actionem efficaciſſimam eſſe ad vitæ æternæ conſecutionem, ſeu eſſe conſummatæ Virtutis.

3. Quoniam autem Intellectus extendit ſeſe extra ſubjectum ſuum ex eo quòd ſit Alia, & faciat intelligentem Alia, naſcitur humanarum actionum ſeries geminata; Una, quâ verſatur Homo circa ſe; Alia,

Alia, quâ extendit ſeſe ad quælibet alia. Unus itaque ordo eſt motuum, quibus perficitur ipſe Homo; ſuppar ipſi ſecundus, quo perficit alia à ſe: Cumque Bonitas ſeu Perfectio Hominis (ut ſæpè dictum eſt) ſit Scientia, primus ordo Scientiam derivat in illas partes & motus ſui Subjecti qui manent in ipſo; Poſterior eandem exprimit in motus ab Homine in cæteras Naturæ partes. Dixiſſem, in Actiones, quibus acquirat in ſeſe Virtutem, & quibus eam didat in alios. Rurſus illæ, quibus in ſeſe acquirit virtutem, vel ſunt ipſa Virtutum Exercitia, vel Inſtrumentorum præparatio: Inſtrumenta verò, paruâ cum differentiâ, ſunt eadem quibus in ſe Virtutem imprimit, & quibus in alia. Palàm autem eſt ex naturâ rei magis affectum eſſe Hominem ad ea per quæ meliùs ſe habet, quàm ad ea quibus minùs benè; & ad utraque magis quàm ad ea quibus aliud ſe benè habet; per illud autem meliùs ſe habet, per quod magis applicatur ad Bonum ſuum Finale. Quare, ordo Virtutum, ſive Habitualium, ſive Actualium, eſt accipiendus juxta naturalem habitudinem Objectorum, quæ à Virtutibus deſiderantur ad Finem Supremum; maximè, cùm demonſtratum ſit in

Me-

Metaphyſicis, Viſionem Dei eſſe Finem Naturalem Hominis, & totam vitam non eſſe aliud quàm progreſſum verſus illum, ab ipsâ Naturâ ſic ordinatam & inſtitutã.

4. Quandoquidem Bona Animæ ſeu Amabilia Homini ſecundum Mentem quæruntur, clarum eſt, poſt Scientias & Virtutes, ea ſpectanda quæ reliqua ſunt in Mente, per quæ ipſa excellens eſt in ordine ad alia. Inter quæ primò eſt Hiſtoria, quæ non omninò degenerat à naturâ Scientiæ. Quippe quæ propter ipſam Cognitionem appetibilis eſt; &, in aliquibus, invictæ Veritatis, ſeu potiùs Certitudinis. Cùm enim interdum afferat adeò publicè nota ut Scriptor falli non potuerit, ſi eadem hujus generis à pluribus Scriptoribus eodem modo literis conſecrentur memoriæ, viris quibus ipſa opera meritum Fidei concilient, ſeverè intuenti Evidentiæ & non violabilis Certitudinis ſpecies apparebit. Habet itaque Hiſtoria aliquantulam à Scientiâ dignitatem.

5. Imitatur quoque Univerſalitatem, quatenus ingentes Humani Generis Converſiones declarat, ut Creationem, Reparationem poſt Diluvium, Imperiorum ſeu Monarchiarum Nativitates & Obitus, quæ quaſi in Exemplari rem integram huma-

nam exhibebant, poſterorum proponit oculis. Et ſicut Sol & Stellæ per hoc quòd ſint unicæ & ſervitutis generalis, in computum Univerſalium veniunt; ſic & hæ partes Hiſtoricorum, & per has propter Cognitionem æſtimabilis eſt Hiſtoria. Sed vera Hiſtoriæ laus eſt in Exemplis Virtutum & Vitiorum, cauſarum diſcordiæ, & mutationum magnarum ex parvis principiis exurgentium. Item in Stratagematum & obſervationum, tum bellicarum tum civilium, notitiâ; per quas monetur ea quæ rebus gerendis præſidet Prudentia, quid moliri debeat, quid cavere. Et, in his omnibus adeò levis eſt Veritatis exiſtimatio, ut modò poſſibilia & imitabilia ſint quæ narrantur, nihil interſit ubi vel quando, an unquam vel nunquam, reâpſe extiterint.

6. Unum eſt narrandorum genus, in quo Hiſtorici Fides flagitanda eſt, quando mira, ſive Naturę genimina, ſive Agentium ab alto nos ducentium opera commemorantur. Quæ quoniam eruditioni legentium ſerviunt quatenùs verè fuiſſe vel non fuiſſe perſuaſi fuerint, accuratione in Scriptore opus eſt, ut Famæ, vel Narrationi, vel ſuis oculis crediḍiſſe ſe explanet, nè in graves errores credulum Lectorem irretiat.

tiat. Ex his patet, quis ſit modus appetendæ Hiſtoriæ, ut nè nugas in eâ ſectemur; Vitium admodum frequens noviſſimorum ſæculorum, in quibus putidiuſculi Grammatici ſe Summos hominum venditabant & à curioſis exiſtimabantur, quòd ſcirent ubi Cæſar aut Brutus prandiſſent, aut non diſſimiles nugas. Neque defuerunt Viris cæteróqui gravibus ſui manes, præſertim in Chronographicis notis; In omnibus enim ſemper *Ne quid minus* obtinere debet. Sufficiat itaque Sapienti, ſeu Homini ut Homini, ſpectare Providentiam Divinam ſuis gradibus Genus noſtrum ad Chriſtum promoventem, & à Chriſto ad nos deducentem; Ulteriùs, quæ ad Prudentiam confirmandam cuique, juxta ſuam ſemitam, conducant; Cætera Voluptate metiri. Hæc qui negligunt, ſi ejuſmodi ſint ut culturæ Animi vacare poſſint, Incuriæ & Segnitiei condemnandi ſunt.

TRUTINATIO SEXTA.

DE

Artibus quæ dicuntur Liberales.

1. MErarum facultatum, & quæ totis ſe à Scientiis deficiunt, capitales ſunt Artes Logicæ; & ea quæ rigori Scientiæ ſervit, & ea quæ Inventioni ſeu perſuaſioni opinativæ ancillatur; Egregia Animi Bona; quorum laus in eo ſumma eſt ut Rationem imperfectam ſic inflectant, ut periclitari ſe meminerit, non certo gradu incedere exiſtimet; ad Veritatem viam muniant, profunda tentent, non ſe committant donec vadum invenerint. Harum leges ſi multo exercitio agilem animum confecerint, in actione humanâ ultra Humanum nitent, & apud plures apicem Scientiarum in ſe continere videntur; & poſſeſſores harum veris Scientiarum Dominis præferuntur, niſi Judices præſtantes invenerint. Inde nimio in has Facultates ardore facilè peccatur: Sunt qui eas totâ vitâ excolendas putent; Sunt qui

qui non alium Scientiæ fructum aucupentur.

2. Attamen magis conqueror negligentium tanta Bona deſidiam. Blandiuntur ſibi poſtrema ſæcula de uſu quodam Philoſophiæ & Theologiæ, neque ſolidâ Scientiâ fundato, neque his ſaltem Logicarum diſciplinis armato; ſed, quaſi trito à formicis calle utente; Quid hi vel illi, & præſertim plures, ſoleant dicere commemorantes, & ventosè jactantes, plauſum Eccleſiæ & Reipublicæ Magiſtrorum ambiunt & ſibi vendicant. Extra verò ſuos limites, quia Logicarum inexperti ſunt, nihil machinari queunt. In medio poſita eſt Logicarum virtus, ut quidlibet propoſitum inveſtigare potentes faciat, ſed non ad judicandum de rerum veritate temerarios.

3. Poſterior Logicarum Ars, Perſuadendi baſis eſt, quam *Oratoriæ* vel *Rhetoricæ* nomine intimamus. Iis veſtitur quæ Auditori gratam reddant dictionem, ut quæ commodis vel animo ipſius obſecundent vel dominentur. Inde dulcedo Orationis oblectans; inde Paſſionum imitatio perciens, & obſervatio ordinis in dicendis ad placandum vel alliciendum, ad inſtruendum & confirmandum, & tandem trahendum

dum & quaſi cogendum etiam reluctantem. Tanta eſt Animi & in loquente incitatio, & in non diſſimilem audientis affectum poteſtas. Tantus cùm ſit Eloquentiæ ornatus, tanta efficacia, tanta amabilitas, utinam de nimio erga ipſam affectu conqueri poſſem. Vitia ipſam circundant magna; ut, quòd nata ſit ad prava ingentes motus facere, quòd nata ſit ſemetipſam ſuas ob gratias commendare, & per-ſe quodammodò volitam efficere. Tanta eſt benè dicendi & tam patula Voluptas.

4. Et tamen quaſi deſertam video. Si cui à Naturâ radix eſt ſeriô & copioſe diſſerendi, ab eo aliquatenùs tenetur; ſed Ars & Exercitium prorſus diſparuit ex quo Rerum Publicarum negotia non tractantur apud plebem & cætus. Manet apud Eccleſiaſtas Eloquentiæ quædam umbra, ſed quoniam illis, ipſa de quibus agunt non altè inſederunt, quomodò de iis quæ Hominem deceat diſputationem ab hujuſmodi expectare quibimus? Semetipſos itaque, magis quàm ea de quibus loquuntur, commendatos Concioni cupiunt; & propterea, magis Flores quibus delectent, quàm nervos quibus conſtringant, ſectantur. Quod itaque hi amant, Grammatica eſt, non Rhetorica. Itaque neq; Sceleton

ton è Logicâ & Scientiis, neque Triſpaſta Paſſionum adhibent; ſed molles & diffluentes ſuaviloquentiæ carnes, & figurarum colores. Fortaſſis à Cauſidicis eam expectes; non ſuſtinent eam Juſtitiæ Leges, quæ, ut in Areopago, poſſunt ſine perturbationibus agi. Et hujuſmodi homines, cum Eloquentiam promittunt, fermè in eoſdem errores, quos in Eccleſiaſticis deflemus, incidunt.

5. Sicut Logica Rhetorices, ita ipſa Rhetorica Poëſeos Baſis videtur. Opus Poëtices eſt illuſtriores Rhetoricæ poteſtates, ſive nouâ dulcedine ſive ultra-humanâ celſitudine, exaltáre. Propterea Muſicam, hoc eſt, Metricam ſibi circumdat; & divina quædam, interdum Numina, interdum opera aſciſcit, & Thaumatopæiam ambit. Amabilitatem quæris? merus eſt lepos, Voluptas mera; ſed, non ſine ingenti Utilitate, ſi Rationis frænos audit, quod rarum eſt. Apud Antiquos & Modernos fermè Venerem olet. Eſt tamen amabilis, ſed magis in alio quam in ſemetipſo; in Juvene grata, in maturiore ætate Prudente indigna, niſi acri Sapientiæ ſale ſit intimè condîta. Qui eam contemnit, vel Deus eſt, vel Bellua; hoc eſt, vel motus inferioris Animæ non patitur, vel Rationis exors eſt.

Qui

Qui totum ſe ei dedit (niſi majoris emolumenti intuitu id agat) Mollis eſt & Vilis; non enim ſine ingenti affectuum motu ad Parnaſſum itur; qui, ſecundùm Concupiſcibilis & Iraſcibilis diviſionem, biceps eſt. Præceps eſt Amator qui eam potioribus vitæ officiis præfert; Lentus qui Utilitatem ipſius negligit, Voluptatem ipſius, cum vacat delectari, non carpit, ſi commodum ſit.

6. Ultima Facultatum ſubſervientium Scientiis eſt Grammatica; & ipſa egregia Animæ dos. Opus ipſius, Mentem humanam alteri homini clarè & nitidè exponere. Mediocritas ipſius, ut neceſſaria & utilia doceat, à malis & ſuperfluis abſtineat. Vera Grammatica, ſeu facilitas ſeſe in vernaculâ linguâ explicandi, eſt per ſeſe amabilis Homini; aliarum Linguarum cognitio ex Utilitate pretium habet, & ad hunc locum non attinet. Non quòd Vernacula Lingua aliquid proprii ſibi vendicet niſi fortè æſtimare eam velimus quòd accommodatior ſit organis locutionis ſecundum naturales Idiotiſmos natalis regionis, quaſi proportionata fabricæ corporum, ex quâ inclinatur tota Gens ad hujuſmodi Idiotiſmos. Sed Vernacula ſignatur, vel quia facilius eſt in eâ eſſe perfectum, vel quia ex

na-

naturâ rei maximè neceſſaria eſt, cùm ſolenne ſit inter Concives ſuos vivere.

7. Et hæc videntur eſſe omnes Qualitates quæ meritò Artes Liberales appellantur: Muſica enim, quæ citra Rationem, hoc eſt voces ſignificativas, hoc eſt ad aliud inſtituta quàm ad leniendum ingreſſum perſuaſionis alicujus in Animam, ſive alia quam quæ in Poëſi exercetur, eſt quidem opus Rationis, ſed par illis quæ à Mechanicis Artibus efficiuntur; ut, ab Arte Picturæ; Architecturæ &c. In quibus eædem proportiones delectant quæ in Muſicâ reperiuntur. Unde Amphitheatrum Romamum in cantilenâ & notis Muſicis eſſe relatum perhibetur. Neque vel Arithmetica, vel Geometria, vel Aſtronomia quæ Practicæ dicuntur, plus juris habent ad Artium Liberalium ſocietatem quàm magis negotioſæ Artes; verbi gratiâ Perſpicilia conficiendi vel torno laborandi, & ſimiles, quæ non gravem & difficilem laborem imponunt.

8. Dimiſſâ itaque Hiſtoriâ, quæ videtur eſſe quædam Scientia particularium, quæ tamen ex propriis dicitur Intellectum non perficere, quia particularis propoſitio ex vi ſuâ non excedat Subjectum ſuum, ex eo quòd non ſerviat cognitioni aliorum cùm ab

ab uno particulari non ſit conſequentia ad aliud, neque actionis ſubjectum eſt cùm jam præterierit; è diverſo autem, ex Univerſali Propoſitione & ſciantur omnia Particularia & Subjecta ſecundum quid, nempe illam rationem & ſequentia ad ipſam; &, quod ex hoc ſit, actio circa quodvis particularium poteſt inſtrui; Dimiſsâ inquam, Hiſtoriâ, quatuor manent Qualitates Hominem circa Mentem perficientes; Logica, quæ ad Veritatem in Incertis accedit, in ipſo Homine; Grammatica, quæ adjuvat & perficit Veritatis in alterum derivationem; Rhetorica, quæ fortioribus, & Poëtica quæ debilioribus pectoribus eam accommodat & inſerit.

9. Hæc omnia Intrinſeca eſſe hominis ſecundùm Mentem Bona, ipſummet perficientia, & quæque pro ſuis gradibus eum magis Hominem reddentia, adeò perſpicuum eſt ut ſufficiat monuiſſe; neque facile erit aliquod Bonum quod in his claſſibus non reperiatur, & tamen ſecundùm Mentem Hominem perficiat, reperire: Niſi quis de Arte ſcrupulum injiciat, quæ extra dubium eſt Qualitas ad Mentem pertinens, & eam perficiens, & potentem ad opera exteriora conſtituens, & Veritatis tenax;

nax; & propterea inter Virtutes numerata. Sed cæteris loco cedit, quia earum quarum explanata eſt natura, non ſolùm ipſa Potentia ſed etiam ipſe Effectus qnodammodò intra Hominem eſt. Homo enim & Homo loquens ſeu docens, non plura ſed una res, & ſunt, & videntur eſſe. Qualitas itaque quæ hominem docentem vel loquentem facit, effectum in ipſo Homine habet, & eſt etiam quoad effectum perfectio Hominis; Ars autem quæ domum vel cathedram bonam efficit: effectum non in Homine, ſedin Ente alio habet.

13. Neque refert Geometriam, Arithmeticam & Aſtronomiam practicas, Hominem rectè operantem facere; & Rhetoricam vel Poëticam, Orationem vel Odam bonam facere, quò minùs hæ inter Liberales Artes computentur, illæ abjiciantur ad Artes inferiores: Per accidens enim eſt Orationi vel Cantilenæ quòd ſcribantur & extent poſt actionem hominis. Sed neq; extant quidem; nam neque ſcriptis commiſſa Ode, neq; Oratio notis deformata vitã illam habent quæ ab ipsâ dictione iis tribuuntur; quare non univocè neq; eodem ſenſu Ode ſunt & Oratio quo vivæ, ſed quodammodò earum cadavera. Ex oppoſito Operationes

quæ

quæ à Geometriâ, Arithmeticâ, & Aſtronomiâ, tanquam Praxes, proficiſcuntur, ſunt merè propter Operata, & operata placent propter ſe, & non propter Operationem vel quicquam inſeparabile ab eâ; ſed, modò habeatur Operatum, negligitur Operatio. Artes itaque Illiberales propter Scientiam, vel potiùs Scientiæ à quibus immediatè dependent ſunt per-ſe-amabiles homini; Sed ipſa Operatio vel habilitas quæ in ipſis eſt ultra Scientiam, vel merè propter Utilitatem deſideratur, vel eſt bonum hominis ſecundum Corpus, quatenùs diſpoſitionem aliquam corpoream quæque ſit perfectio Corporis includit.

TRUTINATIO
SEPTIMA.
DE
Veritatis in alios extenſæ Voluptate.

1. DIctum eſt autem Veritatem, quæ eſt in Homine, non ſe continere intra ipſum Hominem, ſed propagari etiam

tiam in alios, quod per Artes quidem fit; quia Ordo ille quem Ars inducit in artefacta clarè eſt ſimilitudo & participatio illius veritatis quæ eſt in Scientiâ, à quâ immediatè procedunt & Ars & per eam artefacta. At quandoquidem ipſas Operationes Artis non eſſe per ſe gratas Menti declaratum eſt, videndum eſt annon ſint aliæ diffuſiones Veritatis quæ propter ſe & effecta ſua grata ſint Homini ſecundùm Animum. Quoniam itaque Alia præter ipſum Hominem operantem vel ſunt Homines vel Irrationalia, & Irrationalia ad Veritatem eodem modo ſe habent, quòd non ſint capacia illius in ſe, ſed duntaxat ordinis quem Ratio & Scientia natæ ſunt imprimere, quo modo artefactorum materiæ eam ſuſcipiunt; Homines verò, cum ſint ejuſdem naturæ cum ipſo Agente, duobus modis nati ſunt Rationis quæ eſt in Agente fieri participes; Uno modo, ut videant eaſdem Veritates, per actionem Agentis, quarum Magiſter eſt Agens; Alio modo, ut cognoſcant Veritates eſſe in Agente, ſic, ut, Agentem eſſe ſcientem, ſit ab iis cognitum. Et quandoquidem Homo, ex eo quòd Homo, non deſinit eſſe Animal vel Corpus, capax eſt Veritatis quæ eſt in mente Agentis tertio illo modo quo per Artes com-

communicatur: Sic ſuſcipit eam Veritatem quæ eſt in mente Medici, quando ab eo ſanatur.

2. Quovis autem horum trium modorum de ſe gratum eſt Homini Veritatem quam in ſe habet in alios propagatum ire: Quod enim diligitur propter ſe, ſejunctis aliis quæ impediunt, quò majus eſt eò gratius eſt diligenti. Quomodocunque verò extenditur, ſive formaliter ſeu participatè, ſemper majus eſt. Quare, ſecretis quæ quoquo modo obſtare poſſint, gratum eſt Homini Scientiam, propter ſemetipſam placentem, ſive univocè ſive æquivocè in alia extendere. Inferes, itaque Artem in materiam extendere per ſe delectabile eſt Homini, & per conſequens omnes erunt Liberales & homine libero dignæ. Reſpondeo, nuſquam ambigi, nihil quod Entis & Veri rationem habet Homine per Rationem incedente ex ſeſe indignum eſſe, neque non poſſe in aliquibus circumſtantiis eſſe faciendum. Sed, quia Homo non idem ad omnia valet, propterea diverſis Hominum gradibus diverſa aſſignata eſſe quaſi ex Naturæ ductu munia; Supremis omnium, Sui ſeu Mentis curam, propriam ſibi, & pro eâ quam præ ſe ferant vitæ ratione, habere: Inferioribus, ſic ſui curam non ne-

negligere, ut publica vivendi methodus in operibus nobiliori hominum ordini neceſſariis impendatur. Hinc diſtinctio Artium Mechanicarum; ut harum beneficio ſuppeditentur congrua iis qui per illas Animorum ſuorum culturæ invigilant. Liberales itaque ſunt, quibus Animus, ſive Homo ſecundum Animum, expolitur & ornatur; Servæ autem, per quas Corpus, quòd ipſum Animæ inſervit.

3. Objectabis iterum de Matrimonio. Hâc enim lege, ſi Rationi per ſe placet Scientiam ad materialia extendere, quantò magis ipſam Eſſentiam & Animæ & Corporis per Generationem ampliare? Propter ipſam itaque liberorum productionem jucundum eſt Matrimonium, quod ſuprà rejectum eſt. Reſpondeo, nuſquam rejici; Quomodò enim quod declaratum eſt eſſe ex intento Naturæ Univerſalis, negaretur eſſe Homini per ſe amabile? Sed, an hæc privati Hominis deſiderio proponenda foret meta dum de Matrimonio conſulit, quærebatur; & refutabatur eam ex privatis conſiliis eſſe primò amplexandam, propter & eventuum incertitudinem, & quòd potior eſſet citra eam ad Beatitatem via.

4. His dilutis, tria manent propoſita; Nam, quædam ab aliis expectamus, ex eo quòd derivata ſit objectivè in illos Scientiæ perfectio quæ eſt in nobis. Quædam alii à nobis habent; putà, Bona Animi & Corporis. Et Corporis quidem commoda inferiora eſſe Animi Bonis extra diſputationem poſitum eſſe conſtat, ac proinde carius eſſe & danti & accipienti Bonorum Spiritualium quàm Corporalium donativum. Rurſus, cùm ſit *Beatius dare quàm accipere*, quia *Dare* eſt actu exiſtentis, id eſt, non indigentis ſed pleni & exuberantis, *Accipere* autem in poteſtate & egeſtate poſiti, nobilior eſt actio Dantis quàm Recipientis. Si itaq; paria ſunt quæ dantur & accipiuntur, neque deſtituitur donans ex eo quòd donet, (alioquin imprudens erit donatio) clarum eſt potius & gratius homini oportere eſſe ſua aliis communicare quàm de alienis participare. Quare, cùm Scientia ſit donum quod aliis impertiendum eſt, & ipſa bonorum humanorum maximum, palàm eſt id genus Activum, quo Bona Animi aliis conferuntur, cæteris anteſtare: Infra illud quoque eoſdem gradus diſcriminari quos in ipſo Homine invenimus, Scientiæ, Virtutum, & Artium Liberalium. His Bona Corporea quæ aliis adminiſtramus, cedunt.

5. At-

5. Attamen, quia nobis præfiximus Bona quæ Homini de ſe grata ſunt examinare; hæc autem, ſaltem quoad effecta, ſunt aliorum & noſtra Bona, niſi quatenus ipſa communicatio ſpectat ad Virtutes quarum pretium in communi ſupra æſtimatum eſt, continuò de iis quæ ab aliis expectamus, agendum erit. Ex eo autem quòd alius ineſſe nobis Scientiam, hoc eſt Virtutem, percipit, clarum eſt ex naturâ rei hanc illi de nobis ſententiam inſidere quòd tales ſumus quales perfecta Scientia, hoc eſt Virtus, nata eſt facere; putà, Excellentes inter homines, & propterea & honorandos, hoc eſt tales ut ſigna excellentiæ iis conveniant; & Amandos, ſeu ejuſmodi ut per ſe & propter ſe inter homines eſſe mereantur & conſervari debeant; & bona, ſi quando indigent, iis eſſe facienda. Hæc itaque quanti facienda ſint, inquirendum eſt.

TRUTINATIO OCTAVA.

DE *Virtute Humilitatis.*

1. CÆterarum verò Baſis eſt Exiſtimatio Excellentiæ in Perſonâ propoſitâ. Amor Æſtimationis & Laudis plerumque ab æſtimatione quam quiſque de ſe habet regulatur, & tanti ab aliis fieri cupimus quanti noſmet appendimus. Prima itaque Virtus in hoc genere eſt Humilitas; & ipſius eſt noſmetipſos, tum in affectibus tum in effectis, ad Veritatis trutinam moderari. Cùm itaque Homo, ſicut cætera creata, ad Finem factus ſit, hoc eſt, ad Beatitudinem; ſed &, factum ad finem Bonitatis menſuram ex proportione ad Finem nanciſcatur; palàm eſt, eum ſimpliciter magis æſtimandum eſſe, qui optimè ad Finem humani generis comparatus eſt; unde conſequitur, hominem tantò ſe majoris facere oportere quantò ſe invenit ad Beatitudinem propiorem & aptatiorem. Vera itaque Æſtimatio ſui naſcitur ex comparatione ſui ad Opus & Finem ſuum. Comparatio

ratio verò ad Alios, ſive quòd iis melior vel deterior eſt, prorſus parerga & inutilis eſt; Præterquam quòd plerumque impoſſibilis quoque eſt. Cùm enim virtus omnino interior ſit & ſeſe amet celare,& tantò major ſit quantò minùs citra neceſſi articulos ſeſe prodat, fit plerumque ſolâ conjecturâ de alienâ virtute nos uti; cùm noſtra, ſi ſapimus, continuis effectis perſpicua nobis eſſe poſſit. Sola itaq; noſtri cognitio, ſeu diſpoſitionis Animi noſtri, nata eſt congruam de nobis Æſtimationem creare.

2. Virtus autem quantacunque ſit, niſi cum Perſeverantiâ conjuncta ſit & ad ſecurum nos perduxerit portum, non facit nos Beatitati abſolutè paratos. Cùm enim ſic diſtincta ſit rerum humanarum conditio, ut poſſint ſemper illectamenta nos impetere diſpoſitioni noſtræ ſuperproportionata, & plura pertexta per occaſiones ſocordiæ noſtræ inſidiantes latam cæco itinere labem invehant; Nemo de Perſeverantiâ ſecurus eſſe poteſt; &, per conſequens, *in timore & tremore ſalutem operari* debet, & ſeſe æternæ hæreditati adeundæ ſimpliciter imparem agnoſcere. Unde fit, ut, ſi ſemetipſum ad alios conferret, & ipſorum ſtatum fideliter agnoſceret, ſeſe tamen

aliis præefferre nullatenus æquum foret; cùm & illis occaſiones profectûs & ſibi ſcandala evenire poſſe videret; quibus, ante obitum, conditionum inexpectata evaderet permutatio. Fratres itaque ſumus in mortalitatis utero, & neque dum dilucet quis hæreditatem aditurus ſit, aut fratri prærepturus. Spe interea vehimur, alii magis undoſâ, alii placatiore, nemo certâ. At, ſi quem ſpes blandior ad ſeſe ſupra alios elevandum irrîtet, cogitet quem habet Animi ſtatum ex cauſis & casûs moderationibus non à ſeſe complicatis neque complicabilibus, ſed æterno quodam & incomprehenſo conſilio contextis, in ſemetipſo procreatum eſſe: Intueatur nihil minùs quàm à ſe profectum eſſe quod in ſe eſt; nihil ſeſe minùs intelligere quàm quomodo hunc gradum adeptus ſit; ſuum non eſſe, quod ſe eſſe conſpicatur; &, de quo gloriari poteſt, qui neque quod eſt ſui eſt.

3. Docet itaque vera Ratio nihil ſui eſſe Hominem, nihil à ſe habere, nihil poſſe. Hæc eſt itaque Æſtimatio quam præſcribit Humilitas. Quò itaque ſeſe efferre poteſt, aut quò ſeſe aliis anteferre? Unde poteſt laudem ab aliis flagitare, conſcius ſe nihil eſſe, nihil feciſſe, & dubius an quicquã

futu-

futurus ſit. Neque refert quòd ſint in meliori meliora. Neque enim laudem meretur marmor quòd Phidias in ea finxerit Palladem; vel, ſi meruit marmor Artificis manum cui præjacet, non ſic Homo; qui ſolùm Inanitatem & tenebras obtulit Creatori. Quid opus eſt Humilitatis ramos ad cætera hominum bona traducere? Ingenium & Artes & Scientiæ quantis erroribus lapſant? Quantum casûs imbibitum habent? Laudandúsne Protogenes de ſpumâ canis? Nihil adeò perfecti operis eſt in quo non ſint plura vitia quàm virtutes, ſed ea velat noſtri aſpectûs obtuſa acies. Momum adhibe, nihil innocens apparebit; & Artifici facilius eſt facere, quàm polliceri: Manum enim moderatur ſuperior Genius, Linguam ambiguus Phantaſiæ flexus. Ipſi Magiſtri, ſi peritè examinentur, infirmitatem Artis facilè fatebuntur: Quoties unum quærentes vel moliri, aliud ſeu inveniunt ſeu producunt? Quoties meliùs propoſito ſuccedit? Poëta, novítne quid facturus ſit antequam faciat? Quî pote, cùm ipſum agnoſcere ſit facere? Tantundem proximè Orator, Architectus, Demonſtrator. Dignum eſt etiam hæc levia animo comprehendere? Signatâ lineâ vel digitum juſtè imprimere non

valemus, neque oculum quò volumus intendere; Aciculam juxta nos poſitam cæci quæritamus; & magna interea de nobis præſumimus, & alienos oculos in nos converti, aliena cogitata circa nos occupari efflagitamus; &, niſi fiat, indignamur.

4. Humilitati penes exceſſum opponitur Superbia; cujus vitium in eo ſitum eſt, quod bona noſtra pluris æſtimemus quàm ipſa valeant; & hoc ex eo quòd noſtra ſint; etſi plerumque ignoremus hoc nobis motivum eſſe, utpote quod ex parte Efficientis ſe teneat, noſtra autem cogitatio circa Objectum verſetur. Ex eo enim quòd amemus nos fit ut magis & intenſiùs ſingula noſtra bona perpendamus; &, ſi circa alios moremur, mala & defectus eorum ſpecialiùs contemplemur; unde ſemper noſtra bona pluris facimus. Ex quo rurſus claret quòd Superbia interdum fallitur, quia æſtimat ſeſe habere quod non habet; & aliàs, quia majoris facit ea quæ verè habet. Rurſus, quoniam bonum habitum includit & *rem*, & ipſum *habere*, circa utrumque poteſt eſſe error: Et Superbus aliquando credit ſe aliter habere quàm habeat; verbi causâ, dum putat ſeſe ſuis viribus & meritis habere quod habet, ſive non poſſe à ſe

au-

auferri. Iterúmque, ut putet ſeſe habere poteſtatem reducendi in actum ea, quorum ſolam poteſtatem habet. Ex his naſcuntur hi Superbiæ Errores; credere ſe habere quod non habet; verbi gratiâ, eſſe Prudentem, Virtuoſum, Scientem, Divitem cùm non ſit. Rurſus, ut ſi quid horum verè habeat, præferat ea bonis alienis majoribus; verbi gratiâ, Prudentiam ſuam alienæ, vel divitias ſuas Scientiæ aut Probitati alienæ, & velit pluris eſſe quàm illi, propter merita imparia. Tertius Error eſt, ut quæ habet ſic ſua arbitretur, ut à nullo pendeat quoad illa; ut Nabuchodonoſor & illi, qui quæ poſſident, vel ultra Fortunam ſecura, vel ſuo Marte & ingenio curata principaliter, aut opinantur aut quaſi opinarentur ſeſe gerunt. Quartus Error eſt eorum, qui ſuis viribus & ingenio præfidunt ad quantumlibet magna conſequenda vel efficienda; quaſi Naturæ, & Casûs, & Divinæ Diſpoſitionis Domini.

5. Penes defectum, etſi vitioſitas quædam cogitari poſſit, quâ minoris æſtimamus noſtra quàm pro meritis, tamen aut rarum aut nullum eſt vitium. Inprimis enim, nemo uſque adeò averſus eſſe poteſt à ſemetipſo, & ſuis, ut aliquid minoris

faciat quia ſuum eſt. Rurſus, cum verè Nihilitas quædam ſit Objectum Humilitatis, quid poteſt per defectum opponi? Deficeret enim à Nihilo. Videmus tamen aliquos ſuas Virtutes alienis minoribus poſthabere; ut Ingenium, Artes, Scientias, divitiis vel potentiæ vel nobilitati: Sed quia hujuſmodi Error non procedit ex deficientiâ affectûs & æſtimationis ſui, ſed ex Errore circa ipſa bona, propterea cum Superbiâ conſiſtunt ea Vitia, & non opponuntur Humilitati verſus defectum. Ergóne nullum eſt Puſillanimitatis vitium? Imò eſt; ſed quæ ſit Segnitiei ſeu mollitiei Animi ſpecies, tanta ut alienas vires ignoret, juxta illud; *Piger dicit, Leo eſt in viâ.*

6. Conſequenter accipitur quomodò Superbia dicitur Initium omnis peccati. Cùm enim reverâ ſummè defectivi ſimus, quæcunq; deſideramus, ad defectus noſtros ſupplendos deſiderare nati ſumus, quod etiam facere per Humilitatem erudimur. Superbia autem eadem bona, non quaſi indigentiæ ſupplendæ, ſed quaſi inſtrumenta potentiæ, expetit. Unde Superbia facit noſmetipſos Finem omnium habendorum, Humilitas autem omnia cætera quaſi Fines nobis; Materia enim reſpectu Formæ quandam proportionem

nem medii ad finem obtinet. Sicut itaque ordo Virtutis naſcitur ex eo quòd Deum velimus tanquam Beatitudinem & perfectum Bonum noſtrum, cætera verò ut Media ad perveniendum ad Deum; ſic ordo Vitii ſeu deordinatio ipſius in eo conſiſtit, quòd noſipſos exiſtimemus & habebeamus pro excellentibus, & cætera quæ deſideramus velimus tanquam excellentiæ noſtræ debita & inſtrumenta. Inde contemnimus alios & opprimimus; inde Luxuriæ & vitiis noſtris ſacrificamus: inde alienis bonis invidemus, & nobis ſine labore affluere efflagitamus; & reliqua ſex vitia à primo Capitali originem ſibi inveniunt. Habet etiam Superbia aliunde unde ſit Radix peccatorum, ex eo quòd & Luciferi & Evæ peccata in Superbiâ poſuêre radicem, & ex iis cætera enata ſunt. Sed illæ conſiderationes non ſunt hujus loci.

INSTITUTIONUM ETHICARUM, SIVE STATERÆ MORUM, EXAMEN QUARTUM, DE Extrinſecis Appetibilibus.

TRUTINATIO PRIMA. DE *Honore, Famâ & Gloriâ.*

1. PОrrò Exiſtimatio, ſi apud multos eſt, dicitur Fama vel Bonum Nomen; etſi reverâ tres ſint gradus in hâc Exiſtimatione; quorum infimus propriè *Bonum No-*

Nomen appellatur, & conſiſtit in eo quòd perſona habeatur immunis ab aliquâ labe, propter quam indignus ſit proborum conſortio, & commercio. Quod ſi Exiſtimatio ex iis Virtutibus naſcatur quæ raræ ſunt in iis qui iiſdem Legibus & commercio civili conjuncti vivunt, & propterea notum & celebrem reddunt in toto aliquo Regno vel ſpatioſâ provinciâ, talis Exiſtimatio dicitur *Fama*. Tandem, ſi adeò illuſtres ſint Virtutes ut Vniverſo Orbi, hoc, eſt omnium populorum, ſeſe invicem Internunciorum frequentiâ quoad illuſtria cognoſcentium, Principibus ſint publicæ, tum demùm *Gloriæ* nomine in propriâ & perfectâ vocis ſignificatione cognoſcitur & explicatur. Cur autem hæc Exiſtimatio ſui apud alios ſit dulcis, in causâ primò eſt, quòd ſemetipſum quaſi propagatum diligat; deinde, quòd quodammodò certior de ſuâ excellentiâ evadat ex conſenſu multorum; &, in Gloriâ, totius quodammodò Generis Humani. Succedit his Utilitas, quòd ſive ad habendum ſive ad agendum, magna poteſtas illi accreſcat ex hoc ſenſu aliorum de excellentiâ ipſius. Sed & priores cauſæ hoc emolumenti ſecum trahunt, ut irritamento ſint ad eiuſdem rationis opera continuanda & magis frequentanda.

 2. Tan-

2. Tanti itaque facienda eſt hæc Exiſtimatio hominum, quanti quæ proveniunt Bona; quorum Primum cum ſit purè Voluptas quædam, Viro conſtanti levis eſt; & pariter Ultimum, ut qui de futuris ſollicitus & ſpe fundatus Voluptatem negligat, irritamento non indigeat. Speranda ferè vel ſunt Opes ſeu vitæ commoditates, vel benefaciendi poteſtas, vel tandem jucunditas vitæ, quæ in ſocietate præſtantiorum virorũ carpitur. Duæ priores potiores ſunt ipsâ Exiſtimatione, poſtquam ipſa tantùm medii rationem habet reſpectu illarum, quatenùs ad eas dirigitur, & ſic non niſi poſt earum declarationem appendenda eſt. Propter tertiam, credo dictum à Sapiente eſſe, quòd *melius ſit Bonum Nomen quàm Divitiæ multæ:* Verè enim, quæ ex Divitiis, præſertim multis, hoc eſt, excedentibus eam menſuram quæ commodè vivendi facultatem dant, oritur delectatio, lõgè minor eſt eo fructu qui in familiaritate probæ & ingenioſæ hominum partis percipitur. Ab hoc itaque fructu cuique Utilitas Boni Nominis metienda eſt maximè, quia Utilitatum ad Famam conſequendarum ſpes ex ſimilium Amicitiâ & converſatione ferè naſcitur & originem trahit.

3. Honor non aliud continet quàm externa

terna Exiſtimationis Teſtimonia; quæ, ſi voce tenùs exhibentur, propriè dicuntur *Laus*. Unde neceſſe eſt longè viliorem eſſe Famâ, licet ipſe utilis ſit, quia facit credi eum virtute plenum cui exhibentur ſimilia ſigna; Etſi, quantumvis non raro, neque Virtus, neque inter notos Exiſtimatio Virtutis ſubſit. Advertendum, vulgò apud Modernos nomine Honoris ipſam Exiſtimationem intellectam venire. Hoc itaque maneat Honorem ex naturâ rei non niſi Inſtrumentum eſſe ad Utilitates quæ ex Famâ proveniunt colligendas; &, quod ſequitur, non eſſe per-ſe-amabilem. Tandem, neque Famam neque Honorem ex ſeſe æſtimabiles, ſed ex Amore qui eas conſequitur, quandoquidem ex illo proveniunt Utilitates, quas citra levis admodùm, ſi non nihili, ſit æſtimatio Famæ & Honoris. Propterea, Honor & Benevolentia, quæ Famam ſequuntur, ultra ipſam Famam non addunt niſi propenſionem in audientibus ad Bonum faciendum. In propenſione autem ad benefaciendum non eſt æſtimanda niſi poſſibilitas benefactorum, quæ & minor eſt ipſis benefactis, & quod habet pretium præcisè ex iis trahit. Concluſum itaqne eſt cognitionis ab alio æſtimabilitatem levem admodùm eſſe præter

ipſam

ipſam Utilitatem; & ex eo fieri, cùm Utilitas ad aliud ſit, Famam, & Honorem, & Amorem ex iis natum, quatenùs accenſentur inter per-ſe-Amabilia, levia admodum bona eſſe.

4. Clarum proinde eſt eos qui his attoniti hærent quaſi magnis Bonis & per-ſe-deſiderabilibus, turpiter per exceſſum peccare; ſicut & eos qui, horum gratiâ, prodigunt vel ſubjiciunt aleæ potiora commoda quàm quæ ex iis expectantur; & tandem, qui vindictam, cùm in iis læſi ſunt, ſupra jacturam utilitatum expectant. Sed neque excuſandos eos, qui à peccando, dedecore & horrore averſantium & infamiâ publicâ non terrentur. Rurſus neque eos, qui cùm levi opere poſſint ſeſe purgare ab objectis, non curant; præſertim ſi redundat ad alios quoque ab iis dedecus & ignominia. Peccant quoque per exceſſum illi qui *inanis Gloriæ cupidi* vocantur; Ubi *Gloriæ* vox pro Laude vel Exiſtimatione capitur, & ſunt ii qui vel ex levibus bonis magnam captant Laudem, vel à vilibus hominibus, & non intelligentibus in quo vera Virtutis & Bonitatis ratio ſit poſita, Laudem metunt. Contra quos ſolenne illud diverbium jactatur, *veram Laudem eſſe laudari à laudato viro*; putà tali, qui, quia ipſe

ipſe meretur Laudem & eſt affectus ad opera laudabilia, intelligit quæ opera verè ſint talia, & meritò Laudis præmia conſequi ſint nata.

5. Non tamen Laudem & Famam & Gloriam infirmis Animis & indigentibus, calcaris vice, ad ardua adorienda negem vel opportuna vel neceſſaria eſſe, Naturâ ad ipſam imbecillitatem ſe accommodante. Videmus enim Triumphorum, Trophæorum, Statuarum, & univerſim Excellentiæ Signorum, quanta ſitis fuerit in antiquis Heroibus, & etiamnum ſit in multis; non titillantem duntaxat aures & fibras viventium, ſed etiam poſt mortem apprehenſam Gloriam devenerantibus; quo nihil magis aëreum & vanum cogitari poteſt. Si tamen adjuvat, etiam adhiberi poteſt; ut Medicamentum tamen Animi, non ut Alimentum.

TRUTINATIO SECUNDA.

DE

Peculio, Opibus & Potentiâ.

1. QUoniam quæ ex Claritate poſſunt expectari ſunt ad Amorem reducta ſeu propenſionem ad benefaciendum ; & hujuſmodi homines, ex eo quòd propter Virtutem clari ſunt, non ſunt qui aliunde Virtutem quærant, fit ea quæ expectare poſſunt & quorum gratiâ Claritatem diligunt, eſſe Virtutum Inſtrumenta. Sicut autem triplex eſt Claritas, ſic & Virtutum ex quibus proficiſcitur trifariàm quoque diviſa eſſe Inſtrumenta neceſſe eſt. Quæ ut ſingula communi voce ſignemus, *Peculium* vocamus quod *Boni Nominis* Famæ reſpondet, & continet omnia externa Oeconomicæ Virtutis Inſtrumenta & ſuppellectilem : *Opes* ſeu abundantiam, ex quâ aliis opitulandi facultas eſt, illi Claritati quæ ſpecialiter *Fama* appellatur, & accidit viris in Republicâ eminentibus, reſpondentes. Tandem *Gloriæ* (quæ ſic propriè di-

dicitur) reſpondet Potentia, quæ tanta eſt hujuſmodi Inſtrumentorum copia ut ab univerſo orbe cognoſcenda & reſpicienda veniat, & habentes conſiderandos reddat. Hæc itaque tria quam Vim habeant Hominem in rectâ ratione ſolidatum ad ſe alliciendi, ſcrutandum eſt.

2. Neque obſcurum eſt Peculium hoc ſpectare, ut Homini rectè diſpoſito ſecundùm Virtutes Idioticas vivere liceat; nempe, ut Animum ſuum & ſuorum excolere vacet, neque rei familiaris anguſtiâ impediatur; eas horas huic culturæ impendere, quas ſanitas & moderatæ voluptatis neceſſitas non ſibi vendicant. Et jam dilucet Peculii & gratia & modus: Cùm enim propter Virtutem & rectam Animi culturam deſideretur, extricato quæ Animi cultura ſingulis conveniat, & quæ Peculii quantitas ad eam expetenda ſit, conficitur quis modus peculii appetendus ſit; & quantum culturæ adjiciendum vel detrahendum eſt, tantum quoque cum proportione de peculii deſiderio. Non licet in hoc opere penitiùs introſpicere; quia non eſt hujus ſcientiæ labor in vitarum magis ſpecialium arcana penetrare, & multis ambagibus involutæ ſunt diſquiſitiones accuratæ.

3. Hoc tamen adjectum eſto, Copiam

in

in quâ quiſque nutritus eſt, quodammodò Naturâ, ſui deſidetium facere; Commodè enim vivit qui talem degit vitam quali inolevit, & qualem aſſuetudo illi dulcem fecit. Quatenùs itaque talis nihil impedit conatus debitos vitæ perennis conſecutioni, non eſt cur mutetur. Non ſubeſt itaque, inquies, augendi Peculii ratio? Hoc ex induſtriæ & difficultatum ratione pendet: Si enim eo tempore quod curandæ Animæ ſupereſt, vel potiùs quod ipſius gratiâ, ne te gravet, in occupationes honeſtas impendere juberis, peculium auges (non ex appetitu divitiarum, ſed vitandi otii gratiâ,) recte feceris; non enim Divitiæ malæ ſunt, ſed immoderatus, ſeu præter bonum, earum appetitus. Primò itaque Peculii augendi cauſa eſto, ut liberior ſit earum Dominus ad curanda cæleſtia; proxima, depellendi otii causâ; tertia, ut liberis eadem commoditas ſit invigilandi divinis poſtquam in ſui poteſtatem venerint. Verùm ille modus induſtriæ tuæ ponendus eſt, nè tibi noceas dum aliis prodeſſe ſtudes.

4. Sed quid agendum ſi per hæreditatem vel alio modo fortuna benignior ad te defluxerit? Repudiandáne eſt, vel priſtinis cum eâ ſordibus immorandum, an novo ſupellectilis cultu & connueniente fortunæ am-

amplitudine te circundabis? Hoc primò intuendum eſt, Fortunæ commoda Hominis gratiâ eſſe condita, non Hominem propter pecuniam. Deinde, æquè ſi non magis periculoſam eſſe abundantiam quàm penuriã, ſi ad Finem Ultimum eas conferas: Hoc itaq; perpendendum, utrùm Animi & pectoris firmi ſatis tibi ſit ut ſplendori quẽ res familiaris porrigit idoneus ſis, ut non te abſtrahat à Summi Boni votis, neq; ridiculum te præbeat comparatum iis qui ejuſmodi Fortunæ ſunt aſſueti. Si quid horum times, contrahe umbras tuas, & quem calles modo victitare pergito. Si liberos habes quos educatio potiori gradu præſtare poterit, hanc eis impende, ut non deſit pecuniæ ad te delatæ conveniens Herus. Quò enim dare Filiis tuis unde pereant vel prodigalitate in Vitia abrepti, vel ſtultitiâ in inopiam &, jam dedecoroſam, priorem ſortem? Si autem neque tu neque tui adminiſtrationi tantæ hæreditatis idonei ſitis, quære in quam Civium tuorum indigentiam optimè impendi valeat. Viro enim prudente dignum eſt, ut in ſuam devoluta curam quàm intelligit aptiſſimè collocentur; ſi à ſemetipſò non poſſint, ſaltem ab aliis.

5. Quos Fama vulgat par eſt altiores Spiritus gerere, & ad agendorum cum Virtute faſtigia aſpirare, quantum Legibus & alienæ

alienæ potentiæ eſſe ſubditos patitur. Cùmque his, non minùs quàm humilioribus, ii termini Votorum ſint circumdati, ut ad Supremum Bonorum quàm rectiſſimè penetrent; idem quoque votorum circa opes limes fixus eſt, ut non ampliùs deſiderent quàm quòd huic miniſterio abundè reſpondet. Hæc formalis eſt voti limitatio. Verùm, ut uſus hos aliis innutrivit & aſſuefecit vivendi inſtrumentis, ſic laxior eſt neceſſitatis in ipſis campus, & amplior ad eum ornandum permittitur ſuppellex. Inprimis, ſi quibus à Republicâ onerantur ſervitutibus, ad eas paratos eſſe oportet. Deinde, quia Claritas quam habent non ab Opibus ad ipſos ſed ab Ipſis ad opes derivata eſt, ut quæ à Virtute originem ſibi eſſe jactat, jure ab ipſis illuſtria Virtutum opera expectantur, Magnanimitatis & Magnificentiæ; ut quas, ultra ſortem & ex inferiorum labore, poſſident opes, in eorum quoque bonum refundantur; ut Juſtitiam & pacem ſub umbrâ eorum degentibus authoritate ſuâ curent & conſervent, Publica concivium commoda & emolumenta pro gradu ſuo promoveant.

6. Et ex his patet quis prudenti ponendus ſit de Opibus votorum modus. Quantus enim ei Animus eſt ad hujuſmodi ope-

ra,

ra, tantus & Opum cumulus expetendus venit. Cùm enim Opes inſtrumenta ſint, & vel in Luxum vel in opera Virtutum valeant, Luxui autem deſtinatæ unicè deſiderandam Æternitatis conſecutionrm impediant, reliquum eſt ut ex his actionibus menſura votorum ſit deſumenda. At, niſi tantus ſit ardor Animi ad hujuſmodi Virtutum opera ut eum non frangant Luxûs delinimenta, clarum eſt in exitium Domini tales opes poſſideri; habent enim in ſeſe ingentem vim ad omnia ſcelera & pericula, ad quæ humanus Animus proclivis eſt, eum concitandi & ſpem afferendi. Hunc ad Patriæ Dominationem, illum ad oppreſſionem infirmorum, alium ad libidines, alium ad deſidiam armant, & ſunt potentia ad quælibet mala Inſtrumenta; & propterea non niſi fortibus & egregiis Animis committenda vel permittenda.

7. Potentiæ etiam gravius eſt periculum: Eſt enim Potentia, propriè accepta, Poteſtas quicquid libuerit faciendi, & immunitas ab omni vindictâ ab hominibus; ſpecie ſuâ delectabiliſſimum & maximum bonorum quæ extra hominem ſunt, & quaſi ipſa Hominis Beatitas: Quid enim Voluptatem facit vel demit, niſi quod vult quiſque fieri, vel voluntati reſiſti. Sed longè eſt à

verâ

verâ Beatitudinis ratione in quâ nihil mali eſſe poteſt, cùm in Potentiâ, ſi ipſa Voluntas ſit malorum & Naturæ non conſentientium, tantò plus mali ſibi aggregat Homo quantò eſt potentior, commoda negligens & noxia proſequens. Hoc tamen emolumenti affert Potentia, ut mala quæ arduitate ſuâ placent contemnat, quia nihil ei arduum & difficile eſt. Palàm eſt ex dictis etiam Potentiæ modum illum eſſe præfigendum quæ Animo conveniat, & non appetendam eſſe illi cui ad eam adminiſtrandam vires interiores non ſubſunt. Delectabilitas vera Potentiæ eſt in ſummis actionibus verſari, & eorum laude dignorum quæ in externis operibus fulgent nihil ei non patere & apertum eſſe. Quare Potentia, ſi non deſit ei Vir, id eſt, virtutibus inſtructus, ſummum Hominum ſuum poſſeſſorem reddit, cæteris eminentem & quodammodò adorandum, ſi congruè ad Potentiæ Majeſtatem ſeſe gerat.

8. Tantum Boni cùm ſit in Potentiâ, nihil facilius quàm eam nimiùm deſiderare, cùm ſit maximarum Virtutum maximum inſtrumentum. Et tantundem eſt de Opibus, graduum ratione obſervatâ. Cùm enim quod Naturæ ſufficit ad Voluptatem & abundantiam à Peculio ſubmini-

miniſtretur, manifeſtum eſt Opum & Potentiæ ſubſidium ad ſolum Virtutum exercitium requiri & cum ratione optari. Quiſquis itaque ſplendorem horum & admirationem, & quaſi excellentiam in horum Poſſeſſione, & non in Expenſione & Collocatione, ſectatur propter ſe, quaſi ingens bonum in iis ſit, clariſſimè per Amoris exceſſum vitioſus eſt. Rurſus, qui ad hæc acquirenda vel conſervanda moleſtam & laborioſam vitam degit, maximè ſi ſi negligentem futurorum etiam bonorum eam eſſe permittat præ horum ſollicitudine, non dubium quin ea perperàm diligat. Tantundem apparet in iis qui nullum ſibi finem in his, nulláſque metas figunt; ſed aggerunt, ſine curâ quomodò adminiſtrentur, & eas debito ſibi fine ſpoliant. Gravius eſt ſi Fini adverſa operentur; ut, cùm non ſint ſectanda niſi ut aliis benefacias, tu alios opprimas & ſpolies, ut ea citra uſum nativum poſſideas.

9. Minor eſt deficiendi circa hæc campus. Cùm enim duntaxat illuſtrium Virtutum ſint Inſtrumenta, (Illuſtrium, dico, quaſi lucentium inter Homines,) planè interior, & ex ſeſe ſolâ neceſſaria, Virtus, integra ſine his exiſtere

poteſt; imò, niſi ipſa in ſeſe magna ſit, per hoc famulitium periclitatur. Unde, non peccatur in defectu deſiderii horum, niſi quando aliena neceſſitas ad hæc habenda premit. Vituperantur tamen qui vel habita negligunt, vel cùm levi negotio haberi contingat, ea non occupant; quod propterea ſit, quia non videatur in tali ſufficere Virtus ad Opes vel Potentiam adminiſtrandam, & hunc defectum vituperant, non advertentes ex aliâ causâ naſci poſſe; putà, quòd ea Virtutum opera quæ plures admirantur, quaſi infra ſe poſita deſpiciant, ad majora & inviſibilia attenti. Et præterea, ſi verè inſufficiens quis ſit ad aliquam adminiſtrationem, hoc ipſum Virtutis eſſe hoc agnoſcere, & ab adminiſtratione abſtinere. Alius Amoris defectus eſt in iis, qui & volunt hæc poſſidere, & negligunt tueri: Si enim idoneos ſeſe exiſtiment habendis adeò amplis Fortunæ Bonis, deberent etiam hoc præſtare ut conſervent & fructum habeant ex iis, & præſtent ea illis quibus conſentaneum eſt. Et ſic expleta eſt propoſitæ Diviſionis amplitudo; tractatis quæ Corpori & quæ Menti per ſe grata apparent; deinde, quæ Homini ſecundùm Mentem grata accidunt, & ſecundùm Corpus neceſſaria ſunt ad ſuſtentationem & actionem.

TRU-

TRUTINATIO TERTIA,

DE

Benevolentiâ erga alia.

1. HActenùs de Amabilibus Homini quatenùs Ens eſt egimus; nunc de Amabilibus illi quatenùs Mens eſt ſeu Intellectus, tractandum erit. Cùm enim Intellectus Humanus ſit, quo Homo eſt hoc Animal, putà Rationale, palàm fit ad conſiderationem ipſius ſpectare quod huic Animali Rationali, Sorti vel Petro, congruum & conſentaneum ſit; &, quod hujuſmodi invenerit, ſive gratum ſit ei Corpore tenus ſive Mente, rationali illud Amore & Voluntate complecti, & ſuæ Perſonæ conferre. Verùm hæc hactenùs explicata ſunt. Rurſus, quia Homo, quatenùs Intellectus, eſt Alia ut alia, dilucet ex aliâ parte notum debere eſſe homini quid aliis illis ſecundùm quod alia in ſemetipſis exiſtant, aptum & commodum ſit; quæ cùm neceſſarium ſit arbitrari & judicare ipſis eſſe convenientia, fit ut, ſi nihil impediens vel obſtans intercidat, gratum ipſi & con-

ſentaneum ipſius Judicio ſit ut ita ſe habeant illa ſicut iis bonum eſt; &, niſi Perſonæ ſuæ incongruum videat, agat ut ſic ſe habeant. Hoc autem diverſæ ſunt Rationales Creaturæ à mutis quòd propter ſe natæ ſint, cæteræ autem non ſint niſi utiles & Inſtrumenta Intelligentium. His itaque non aliud optandum venit niſi ut exiſtant; illa quantum & quatenùs Intelligentibus proficiant, illis autem ut habeant quæ iis bona ſunt, quæque in ſuo gradu & ordine. In hoc itaque differt Amor de quo hactenùs diſſertum eſt ab eo qui modò ſcenam ingreditur, ut ille fuerit Amor quo mihi Bona proſequor, hic quo bona aliis creaturis Intellectualibus in iis ineſſe mihi gratum eſt.

2. Neque refert quòd tractatum eſt jampridem de Amore ſanguine conjunctis debito, quæ ſunt Perſonæ Rationales; Eatenùs enim duntaxat de iis actum eſt, quatenùs ſunt quodammodò partes & aliquid Amantis; &, per conſequens, quatenùs Bonum eorum eſt Bonum ipſius diligentis. Obiciet quiſquam, mutuato ex Ariſtotele telo; quòd, ſi Amicabilia ad alios ſunt ex amicabilibus ad ſe, hoc eſt, quòd non velim bonum alteri neque poſſim velle, niſi ipſum eſſe Dominum talis Boni ſit bonum mihi,

mihi, interempta eſt diſtinctio tanto verborum ambitu fundata. Sed non reſpexit objiciens ad differentiam Amoris ſeu magis Benevolentiæ, à Judicio vel Cognitione objecti Amoris. Notitia enim hæc ſeu conſenſus in hanc Veritatem quòd conveniat Sorti vel Petro habere commodum victum, non eſt ipſo facto Amor Sortis ſeu Petri; Volitio enim præparationem & quaſi principiationem alicujus actionis nominat. Sicut autem diverſa ſunt, *Petro neceſſarius eſt victus*, &, *Petro eſt neceſſarius à me victus*, ſic Judicium & Amor. Hic enim conſenſus quòd Petro ſit neceſſarius victus *à me*, jam determinat me ad operationem, & ſic volitio quædam & benevolentia eſt in Petrum; ſed viciſſim includit quòd ſit Bonum meum ſufficere media vivendi Petro; priùs itaque Petri Bonum ſit Bonum *meum* quàm ego illud velim Petro. Quòd itaque ſim amicus Petro, procedit ex eo quòd diligam meipſum; & Amicabilia, ſive quæ voluntur & deſiderantur Petro, pendent ex iis quæ amans Petrum deſiderat ſibimet, & Amor Petri procedit ex amore ſui. Bonum enim appetibile eſt, ſed unicuique *ſuum*; hoc eſt, quod eſt Appetibile alteri non eſt Bonum mihi, ſed quod eſt Appetibile à me.

 3. Quid

3. Quid ergo? Non placebit mihi Bonum ab alio in Petrum collatum? neque gaudebo niſi ipſe fecerim? Planè gaudebo, & placebit ab alio collatum in Petrum beneficium. Sed etiam ſic Petri Bonum eſt meum Bonum priuſquàm de illo gaudeam. Verbi gratiâ; Signo ſucceſſiſſe ex voto Petro quod cum Magnanimitate tentavit; cur de eo ſurgit in me lætitia? Quia præmium Magnanimitati ceſſit. Petrum itaque ob Magnanimitatem æſtimo & amo; &, quod ex eo fit, per prius Magnanimitatem, non quatenùs vel quia in Petro eſt, ſed quia Magnanimitas eſt & Bonum meum; & Petro benè ſucceſſiſſe gratulor, quia Magnaniminitati benè evênit. Magnanimitas verò vel in me eſt, vel à me æſtimatur & deſideratur: Si in me eſt, clarè meum Bonum eſt; & per illam omnis Magnanimus, & primò Petrus, aliquid mei boni eſt: Si non in me ſed in deſiderio eſt, non minùs Bonum meum eſt; quicquid enim deſidero, eo ipſo tanquam Bonum deſidero; & meum eſſe æſtimo, quia non deſidero niſi ut in me ſit; nihil enim habere deſideramus cui Boni dignitatem non tribuamus. Unde, quicquid amo in alio, vel quia eſt in me illud amo; vel, quia amo & cupio illud eſſe in me, amo idip-

idipſum in alio quia meum Bonum eſt.

4. Rem ipſam aggrediamur, & ab eo quod omnibus notum eſt auſpicemur. Homo, quatenus Homo, intellectivus eſt, & proinde ad Viſionem Beatificam ipsâ nativitate & exiſtentiâ ordinatus; &, quod ſequitur, convenit ei habere quicquid ad eam conſequendam ei neceſſarium eſt: Quare hæc ſingulis hominibus expetenda & gratulanda ſunt; & in propatulo eſt illud actionis humanæ princeps axioma, *Fac alteri quod tibi fieri vis*; &, *Quod tibi non vis fieri alteri nè feceris*; Qui enim Malum alteri vult, eo ipſo Bonum oppoſitum non vult ipſi. Cui æquale vel idem eſt, *Diliges proximum tuum ſicut temetipſum*. Quoniam enim æqualiter Hominis ſunt quæ Homini, ut Homini, conſentanea ſunt, eadem utriſque æqualiter conveniunt, æqualiter expetenda ſunt, æqualiter de utriuſque Bonis lætandum erit.

5. At enim, quia ipſam Naturam Humanam diligo in alio quia eam in me diligo, propter quod autem aliud diligitur ipſum magis diligitur, etſi æquale ſit Bonum in ſe quòd Petro benè ſit & quòd Paulo benè ſit, à Petro magis amandum eſt quòd Petro benè ſit quàm quòd Paulo. Et in hoc primus in Amore Ordo conſpicitur; quòd

etiamſi æqualia & æqualiter volenda ſint Petro benè eſſe & Paulo benè eſſe, Petro tamen per prius volendum ſit ſibi benè eſſe, quàm Paulo. E diverſo ſi intueamur hominum multitudinem, eam gradibus inæqualitatis in infimas uſque ſingularitates dividi percipiemus: Quare etiam Bona iis convenientia ex neceſſitate etiam inæqualia eſſe, & alium majoribus Bonis natum eſſe ad æterna provehi, alium meliùs minoribus, ac proinde aliquibus majora Bona deſideranda eſſe, aliis minora; ſingulis tamen quæ verè comparatè ad ipſos maxima ſunt. Hoc etenim cuique maximum eſt, quo meliùs ad Beatitatem Æternitatis ſcandit: Unde, quodammodò æquali amore majora his Bona, illis minora, concupiſcuntur. Et, quoniam ipſe concupiſcens non neceſſariò eſt Supremus humani generis, accidit ut ex majori amore minora Bona ſibi concupiſcat quàm alteri. Cùm enim aliorum Bona ex ſibi Bonis æſtimet & diligat, minor eſt Amor quo aliis vult quæ iis vult, quàm quo ſua ſibi Bona amet; attamen, meliora aliis, ut quæ ſibi non conveniunt, velit quàm ipſi ſibi.

TRUTINATIO QUARTA.

DE

Perſonis Amabilibus.

1. DUplicatus eſt itaque nobis Perſonarum Ordo. Alius enim eſt eorum quibus majora vel minora competunt Bona; alius eorum quibus æqualia & eadem, his priùs, illis poſteriùs, adamanda ſunt. Et, qui actu eſt Amor, ut prudens ſit, ex utriuſque ordinis comparatione libratus ſit oportet. Quoniam verò Bona aliis optanda vel ſunt Intellectualia, vel Corporea; &, quoad utraque, alia conſtituunt Naturam, alia eidem adjciuntur, palàm eſt priora ſub votum non cadere? Huic enim optare ut alius fiat, non eſt quicquam optare huic ſed alteri quem neſcis, ut fiat ex hoc. Ad Naturam autem ſpectant quæ tolli non poſſunt. Non itaque deſiderandum eſt ut quis melius Ingenium, rectius aut formoſius aut etiam ſanius (ſi infirmitas naturalis ſit!) corpus habeat; Sed, ut huic Animæ & huic Corpori, quantum pote, quæ optima ſunt his ſuppoſitis apponantur: Optima voco quæ huic maximè proportionata & congrua

ſunt. Eorum modò quæ Naturæ adjiciuntur, ſicut Intellectualia ſunt meliora, ſic maximoperè optanda ſunt eorum capacibus, & quodammodò ſine modo. Ipſa enim Virtus ſibi modus eſt, & habendis, & utendis quæ habet: Intellectus autem non eſt perfectus niſi per Virtutem, ut ſuprà dictum eſt. Spiritualium autem deſiderium hoc ſolo limitatur ut capax ſit ſubjectum; aliquæ enim Virtutes non niſi à paucis exerceri natæ ſunt.

2. Commoda autem Corporea, cùm Inſtrumentalia ſint, ex Naturâ ipſorum ipſis uti callentibus accommodata ſunt, non quibuſcunque. Sunt autem hæc, poſtquam Peculii carceres evaſerunt, Opes & Potentia. Et Peculium quidem omnibus optandũ eſt, non enim congruam ſuſtentationem excedit. De Opibus autem & Potentiâ ex ſuprà diſcuſſis ſit evidens ea eſſe propria Inſtrumenta Magnanimorum, neque aliis optari poſſe niſi in perniciem poſſeſſorum. Singulis itaque Potentiam participantibus, participatio debetur & Opum pro ratione muneris exequendi; non velut Præmium Virtutis, (Vile enim eſt accedentem ad imperandum aliis Seruum eſſe Pecuniæ, quæ Serva eſt ſubditorum ipſius) ſed, quod ſæpiùs repetitum eſt, tanquàm Inſtrumen-

tum

tum, ut congruè rem gerere publicam pro ſuâ parte valeat. Tantundem eſt de aliis illuſtribus Animis; His enim non præmiorum loco dantur Opes & agri, ſed ut alia & majora Virtutis exempla præbeant cùm Reſpublica popoſcerit, vel per ſe, vel per Succeſſores ſibi ſimiles, aut potiores.

3. Poſterior Amoris Ordo rurſus eſt duplex. Alii enim perſonæ amanti conjunctæ ſunt unitate quâdam Carnis; Alii communicatione quâdam & commercio Officiorũ. De perſonis priori Unitate conjunctis ſatis ſuprà, cum de Cognatione quæreremus, indagatum eſt. At quos Commercium junxit, vel illud Conſtans quaſi in totam vitam, vel Temporaneum: Et, ſi Temporaneum, vel Publicum vel Privatum: Conſtans nobis Commercium eſt ad Vicinos & ejuſdem Gubernationis ſocios; namque ex Naturæ propoſito nemo habitationem mutat, vel patriam: Quare, tacitâ quâdam Animorum conſpiratione, ſibi mutuò patrocinari, & cujuſvis bona peculiaria quaſi communia protegere & curare innatum eſt. Sed quoniam Vicini interdum non ejuſdem publicæ adminiſtrationis legibus ſubjiciuntur, eo poſito minor eſt gratia vicini quàm Cõcivis, cæteróqui major. Ubi enim utraque obligatio intervenit, clarum eſt geminas

uni prævalere: Ubi verò pugnant inter ſe, particularis eſt ea quam vicinia creat; publica, quam Legum communitas & in publica commoda jurata Fides. Vicinitatis obligatio Voluntaria eſt, & quaſi fortuita; Reipublicæ, innata, & magnis vinculis corroborata & firmata. Temporaneum Commercium, quando quovis modo Publicum eſt, ut Belli, Mercaturæ, Societatis viæ vel Convictûs, & ſimilia, ad Naturam præcisè ſpectatam non pertinet, ſed prout certis ſeſe pactis illigavit; & propterea non eſt illius negotii quod præ manibus habetur.

4. Tandem Unitas quæ ſic particularis eſt ut Pacta non includat, neceſſum eſt ut ex Actione & Paſſione naſcatur. Quæ vel eſt inter Æquales; & diviſa eſt in duas, Familiaritatem, & Amicitiam; prout oritur ex communicatione eorum quæ in propatulo ſunt, & proinde non magna; & communicatione arcanorum, & quæ graviſſima ſunt negotiorum privatorum. Inæqualium verò Unitas ex Actione, univerſim eſt inter Beneficum & Beneficiarium; mala enim ex naturâ rei non faciunt Unitatem propter quam quiſquam præametur alteri. Manifeſtum autem eſt Amicum plus diligi quàm Familiarem, & (quamvis Ariſtoteles videatur oppoſitus)

Bene-

Beneficum etiam beneficiario. Non enim quæritur cujus Amor, ſit nobilior; ſed, cujus Amor ſit prior ſeu quaſi magis cordialis, & hæc præſtantia ex parte Beneficiati ſe tenet.

5. Amat enim Beneficum ut perquem ſibi bene eſt, ſive ut amat ſibi benè eſſe. Præterea, turpius eſt deſerere Benefactorē in aliquâ neceſſitate quàm Beneficiarium. Deinde Beneficus non niſi ſuperflua ſibi impendit in Beneficiarium, & ex iis unionem ad ipſum habet; Beneficiarius autem obligatur Benefico ex iis quæ neceſſaria illi ſunt. Tandem Benefici virtus quâ obligatur Beneficiario, eſt conſtantia quædam & perſeverantia in opere non neceſſario, & à quo ceſſare levibus de cauſis non ſit inhoneſtū: Beneficiarius autem per Gratitudinem obligatur Benefico; cujus tanta eſt vis, ut viſum ſit Legum Romanarum inſtitutoribus mereri Ingratum ut tollantur benefacta. Rationes verò quas affert Ariſtoteles probant magis nobilitatem Amoris quàm neceſſitatem & præcedentiam; ut, quòd Beneficus ſit Agens, & amatio quædam Actio, & quodammodò cùm labore facta; quæ omnia Nobilitatem non neceſſitatem amoris produnt. Ejuſdem rationis eſt quòd jucundior ſit amor Benefici, & per conſequens honeſtior: Inde enim ſequitur quòd nobilior

bilior ſit amor Benefacientis, non quòd conſtantior.

6. Cur itaque Filiorum in Parentes Amor non eſt prior Amore Parentum in natos? Nempe, ex Naturâ non ex electione naſcuntur illi Amores: Natura autem plantavit eos prout ipſius officiis optimè quadrant; juxta autem Naturæ jura proles nutrienda eſt à Parentibus, non Parentes à prole: Propterea etiam reliquit incertiorem illam Cognitionem quâ Parentes noti ſunt Filiis eâ quam Parentes de prole habent: Et, in periculo æquali, potiùs deſerendus videtur Pater quàm Filius ſecundùm Naturam; tum quia in Filio minus ſibi auxilii eſt ex naturâ rei, quando eidem eſt & Pater & Filius; tum quia Naturale eſt ut Patres velint Filios poſt ſeſe in vivis eſſe. Hæ autem rationes inter Beneficum & Beneficiarium nullam vim habent. Ex Electione enim Beneficus in Beneficiarium propenſus eſt, neque ex neceſſitate ſenior illo; &, quod ſequitur, minùs capax indigentiæ, ſed à Fortunâ æqualiter pendet; Et Scientia ex utraque parte æqualis eſt; vel, ſi qua eſt differentia, Beneficiarius meliùs novit Beneficum quàm è contrà. Magnanimi enim eſt non eſſe memorem beneficiorum quæ fecit, maximè verò memorem

rem eſſe illorum quæ accepit : Ea autem quæ commemorantur à Philoſopho cur Beneficiarius obliviſcatur, ſunt pravi animi, non generoſi.

TRUTINATIO
QUINTA.
DE
Ordine Perſonarum Amabilium.

1. HÆ ſunt Perſonarum Amabilitates quas librare oportet; & quæ cui ſit anteferenda, exponendum eſt. Et jam quidem ordo eorum quibus majora Bona optanda ſunt elucidatus eſt; nempe, ut potiora quoque, ut potiorum virtutum Inſtrumenta, deſiderentur unicuique, ſecundùm rationem Virtutum quarum exercitium ei ſecundùm naturam adaptatum eſt. In ordine connexionis ad Amantem clarum eſt, quis (in ordine naturalis conjunctionis,) quem trahat, ex dictis de Conſanguinitate. Rurſus evidens eſt majorem eſſe propinquitatem Sanguinis quàm Civitatis,

tatis, Vicinitatis & Familiaritatis; hæc enim omnia Naturæ ductu in Conſanguinitate continentnr; &, ſi fortè eam non comitentur aliquando, certè major eſt nexus Naturæ quàm harum electionum ex utilitate vel voluptate originem ſortientium, neque ulteriorem neceſſitatem vehentium. Beneficorum tres claſſes numero: Primam eorum qui Beneficiario omninò tribuerunt Benè eſſe, ſicut qui adoptant aliquem in Filium, vel parem impenderunt gratiam. Secundam eorum, qui in altiorem vitæ ſtatum eum evexerunt; ut, qui de conductitio in Patrem familiâs operis ſuis viventē; vel, qui Ruſticum & Mechanicum in ſtatum in quo curæ mentis vacare poſſint, tranſtulere; denique qui inſignem Fortunarum meliorationem contulerunt. Tertiam, qui vel ſemel inſigniter, vel frequenter moderatè adjumento ſunt; ut, qui ex carcere vel mortis periculo eripuêre, vel continuis quaſi ſubſidiis familiam alunt.

2. Ex adverſo penſa Sanguinem de ſeſe non niſi corporeum quid & materiale eſſe, qui emittitur à Chirurgis in febribus, ab hoſtibus in duellis, & ex aliis occaſionibus perditur citra multam conſiderationem. Non itaque ex eo, ſic de ſeſe cogitato, trahendum eſſe illum amorem ad conſanguineos,

neos, ſed ex aliquo quod conſequatur; nempe, quia ex eo ſimilitudo complexionis, & conſenſus quidam animorum, & ex Naturæ inſtituto & quaſi ducatu educatio ſimul & longa & quodammodò in Naturam tranſiens, & totius vitæ decurſum occupans cõverſatio; & tandem ex his omnibus deſignatio quædam Naturæ, ut hi ſibi invicem auxilio & emolumento ſint ſecundùm gradus cõſanguinitatis; in quibus tres animadvertere eſt propinquitatis modos: Primum, qui eſt inter Parentes & proles, in quo eſt perpetua converſatio, cum perpetuo & quaſi univerſali auxilio; cùm proles, quamdiù ſunt in tutelâ Parentum, ſibi prodeſſe non valeant. Medius modus eſt Fratrum & Sororũ, quorum converſatio eſt ſimiliter continua & cum perpetuo amore; ſed non cum auxilio; non tamen ſine promptitudine animi ad auxilium porrigendum, pro occaſione, quando poſſunt. Tertius modus in iis reperitur qui per intervalla ſe inviſunt, & ſunt primi & paratiſſimi non aſſiduorum.

3. Palàm eſt itaque Auxilium Parentum proportionatum eſſe primæ Benefactorum claſſi; ac proinde, quoniam affectus ex auxilio oritur, ſuppariter Parentibus amandos eſſe hujuſmodi Beneficos; non æqualiter, quia inſtinctus Naturę fortior eſt ele-

electione ſpontaneâ. Major itaque eſt in Parentes inclinatio, proxima erga hos Beneficos. Rurſus, ſicut ſecundus modus Beneficentiæ eſt eorum, qui modum vivendi inſigniter meliorant, ſic à Fratribus & Sororibus poſtquam ſui juris ſunt expectatur, ut mutuas operas continuè præſtent, & ſic ſuorum invicem ſtatum protegant, & meliorent etiam. Tertiorum Conſanguineorum eſt ſemel aut iterum in neceſſitate, vel etiam frequentiùs in mediocribus ſine ſuâ jacturâ, ſed non inſigniter & quaſi conſtanter & totaliter, Cognatis adhærere & eſſe præſidio.

4. Non eſt idem unitatis vigor à parte Benefici; ſed qui cedat cuilibet veræ Conſanguinitati. Cùm enim tantummodò ex liberâ electione, nullo promiſſi pactíve vinculo confirmatâ, oriatur, non habet aliam vim quàm quæ ex rationabili ordine, & nexu poſteriorum vitæ partium cum prioribus per modum cujuſdam decoris, naſcatur. Hunc autem Fortunæ incurſibus ſubjici & ab iis mutabilem eſſe, evidens eſt. Quòd autem Beneficiarius ſit opus & quaſi Filius Benefici, hominis ex ratione progredientis parùm intereſt; Hæ enim conſiderationes partim Metaphoricæ ſunt, partim inferiorem Animum ſeu Paſſioni

ſubje-

ſubjectum tangunt, non autem eum qui ſolidâ quâdam ratione humana metitur. E diverſo Cognatio à Naturâ eſt, & non ſubjecta Fortunæ, ſed eadem permanens cum vitâ, ac proinde in pari causâ fortior electione, utpote ex conſtantiori principio originem trahens. Neque refert quòd Beneficus plus à Beneficiario expectare poſſit quàm à Cognato; Ut Beneficus enim, non moratur lucrum & utilitatem.

5. Amicitia quæ hanc appellationem meretur, eſt ſpecies quædam mutuæ Beneficentiæ; quæ, quia mutua eſt, & tantum boni ex unâ parte fit & recipitur quantum ex aliâ, propterea nominat Beneficos, etſi in ſummo cæteróqui Beneficentiæ collocata. Facit enim, vel paratus eſt facere Amicus Amico, quantum Beneficus Beneficiato; & quantumvis recipiat æquale, imò non poſſit non expectare, non tamen hujus commodi intuitu agit quæ agit, ſed ex merito Amici, cui propter excellentiam, vel ſimpliciter vel reſpectu ſui, debitum exiſtimat omne quod agit: Et in hoc quoque à Benefico differt, qui Beneficiarium non tanquam dignum ſed velut proportionatum Beneficio reſpicit. Dignus autem ad proportionatum comparatur quaſi quod in actu eſt ad hoc quod eſt in potentiâ; pro-

por-

portionatus ſiquidem videtur eſſe qui poteſt fieri dignus; Dignus autem qui in actu eſt perfectus, & Inſtrumentis adminiſtrandis aptus. Eſt autem Amicus qui parem ſibi in intimis & radicalibus conſiliis & actionibus adjuvare & cum eo participare & promptus eſt; & ut faciat, ab Amico expectatur & gaudetur.

6. Unde, cùm intima & radicalia conſilia ſunt illa maximè quæ univerſam Hominis vitam diſponunt & regunt, patet Amicitiam eſſe ex naturâ ſuâ indiſſolubilem, & in totam vitam. Unde, illæ Simiæ Amicitiæ, quæ ex conſenſu in Lucrum vel voluptatem coaleſcunt, æquivocè nomen Amicitiæ participant; Cùm hæ quidem ipſo ætatis progreſſu, illæ Fortunæ varietate diſſolvi natæ ſint. Sed neque mutatione ſtatûs diſſolvitur Amicitia; ut, ſi unus Amicorum, ex pari, fiat Princeps & Dominus alterius. Reipsâ enim non eſt factus major, ſed manet par, vel potiùs factus eſt inferior Amico ſuo. Cùm enim ratio Amicitiæ ex Virtute coaluerit & non ex Fortunâ, pares ſunt Amici quamdiu Virtute pares ſunt. In eo autem inferior evaſit quem Fortuna evexit, quòd ad rectam adminiſtrationem vitæ & actionum ſuarum magis indigeat Sapientiâ Amici quàm

priùs

priùs : Et, ſi non æſtimet Amicum quantum priùs, etiam Virtute inferior evaſit; & propterea diſſolvenda vel diſſoluta manet Amicitia, quæ per Virtutem, natam ex ordine Naturæ cum annis creſcere, ex ſuâ ratione pro totâ vitâ firma & invicta eſt.

7. Ex his accipi poteſt Amicitiæ ad Cognationem ratio; ſeu quem gradum Amoris, cum illâ comparata, mereatur. Cùm enim dictum ſit Carnem, ut carnem, nullum amorem mereri, & in gradu dignitatis collocari ex Auxilio per eam conjunctis (Naturâ motrice) affluente; auxilium verò quod porrigit Amicitia clareſcit nobiliùs auxilio quod à Parentibus proli præſtatur : Parentes enim (quantum ex Naturæ inſtinctu impelluntur) non educant ſobolem ultra maturitatem; Unde præcipuis & difficillimis vitæ temporibus ſibi relinquuntur, & tum ſuccurrit Amicitia, & in maximis rebus & Fortunæ tempeſtatibus adeſt, & uſque ſupremum diem comitatur; palàm eſt Amicum Parentibus præferendum, modò verè Amicus ſit, hoc eſt, ſcipio & ſuſtentamen vitæ tuæ. Num etiam Liberis charior erit? Si Te reſpicis, erit certè. Etenim

nim Tibi, ſive hanc ſive futuram Beatitudinem præ oculis habeas, plus certè fructûs ab Amico quàm à Liberis expectandum erit; à quibus delectationem, non veram Utilitatem, promittit improvida ipſorum ætas, ſemper paternæ prudentiæ indiga; ſi, (quod ordo Naturæ poſtulat) ſemper illa in Patre creſcat. Et quantumvis ſeſe debeat Pater Filiis, in eâ ſtatione naturæ poſitus ut iis proſpicere, dum teneri ſunt, in eum incumbat; tamen ſeſe primò ſibi debet, maximè quoad Animnm, ſecundùm quem maximè Amico conjunctus eſt. Amico proinde cedent in Amore Patris Filii, quos debiliori vinculo & quaſi corporeo illigatus ſequitur.

8. Non tamen Amicum Unitati Conjugali præferre auſim: Tum quia Amicitia quædam eſt, & à Naturâ firmitatem accepit; &, quanquam à carne Principium ſumpſit, niſi tamen etiam ad Unitatē Animorum, & illam quidem firmiorem ex Naturæ Legibus ipsâ Amicitiâ perveniat, infelix eſt Matrimonium. Meminerimus quoque Mulierem in ſummis rebus eſſe Diſcipulam Viri, ut conſenſum Animorum uſque ad altiſſima quibus vita humana gubernatur principia ſe extendere ſit manifeſtum. Et quantumvis cedant operæ

Con-

Conjugis Amici auxiliis, quia non creditur tantæ prudentiæ quantæ Vir; tamen ex notitiâ quam de Viro ſuo ultra Amici peritiam habet, illum defectum ex magnâ parte ſupplet; &, cùm conſentiunt moribus & prudentiâ Vir & Mulier, Caput omnium Amicitiarum eſt Matrimonialis; magis naturalis, magis continua, magis firma, magis Univerſalis, magis delectabilis, & omnibus numeris magis abſoluta & cæteris præferenda. Et, quòd plerumque non reputetur inter Amicitias, eſt, quia videtur arctius quoddam vinculum quàm oſtentet illa quæ vulgò nomine Amicitiæ ſignificatur. Philoſophus tamen inter varias Amicitias hanc etiam repoſuit.

TRU-

TRUTINATIO
SEXTA.
DE
Bonorum Exteriorum Appetentiâ.

1. EXplicato de Amabilium Perſonarum ordine, hæret de oppoſitis vitiis, ſive per defectum, ſive per exceſſum, Inquiſitio. Et quoniam prima Perſonarum amatarum omni Amanti eſt ipſe Amans, ſicut & nos ipſi ſuprà expoſuimus, & Philoſophus manifeſtum ex hoc facit, quòd Virtuoſus aliis cedens voluptates, honores, opes, potentiam, & ſi qua alia ſunt deſiderabilia, ſibi retinet Honeſtatem ſeu Virtutis affectum, quo fretus hæc facit, qui cæteris omnibus præſtat; Et idem magis gaudet unum annum glorioſum vivere quàm plures obſcuros, & unam actionem illuſtrem exercere quàm mille vulgares; & propterea, quando nobilis eſt occaſio, non dubitat glorioſè ſe gerendo magis mori, quàm inglorius ſupervivere; Unde, ſi virtuoſè agere ſit optimum in hâc vitâ, probus ſemper

ſemper optimum ſibi eligit, & ſe quàm poteſt, plurimùm diligit. Quando quidem igitur primus Amor Hominis ſit verſus ſeipſum, ſed & Amor verſus ſemetipſum ſit quaſi Idealis cæteris Amoribus, ut docuit nos qui *Proximum* docuit *velut nos ipſos amare*; de ipſo, qui in illo exceſſus, qui defectus inſint, primò eſt inveſtigandum. Et protinùs ſe oſtendit quòd à parte ſubjecti nulla poſſit eſſe nimietas, cùm ipſe primus ſit & cæteri ab ipſo; &, per conſequens, quicquid fervoris eſt in animo, totus impendendus ſit amori ſui ipſius; neque poſſit derivari ad alios niſi per oſtium hujus Amoris deducatur.

2. Invadenda proinde Inveſtigatio eſt per Bonorum quæ ſibi deſiderat homo inſpectionem; qui enim minus ſibi bonum vult, deficit in ſui amore. Et pleraque ex jam dictis conſtant. Cùm enim ordinem duorum Bonorum cognoverimus, eo ipſo patet eum qui minus majori præfert, nimio amore uti erga minus, & defectuosè agere circa majus; &, quandocunque deficimus in amore circa aliquod Bonum, eo ipſo neceſſe eſt excedamus circa aliud ſive Commiſſione (ut vocant) erremus, ſive Omiſſione: Ipſa enim non-actio, ſi vituperabilis eſt, & non aliam cauſam

L mani-

manifeſtam habet, quietis & otii affectum arguit debito fortiorem. Poſtquam autem extra ambiguitatem eſt Scientiam perfectam (qualem dicimus quæ & Veritatem in ſeſe habet, & ſuppoſiti ſui Domina eſt) cæteris omnibus bonis & univerſim anteferri & in particulari, de eâ non poteſt ulla moveri queſtio.

3. De Scientiâ imperfectâ, quæ plerumque commune nomen ſibi retinuit (nomine Virtutis permiſſo Scientiæ perfectæ) movet litem quoddam Ariſtotelis Apothegma, aſſerens *melius quidem eſſe Philoſophari quàm ditari, ſed pauperi ſatius eſſe ditari quam Philoſophari.* Neque multùm Authoritate tenemur, cùm à Philoſopho Exempli duntaxat vice productum ſit, non docentis imperio, ſed ipſâ propoſitionis ancipiti vi, quam neque vanam neque uſquequaque veram licet advertere. Clarum enim eſt, qui adeò egens eſt ut periturus ſit niſi ſubſidia labore ſuo conquirat, ſi Philoſophari præcupiat, cùm vitâ etiam ipſam Philoſophiam perditum ire; &, quod ſequitur, priùs ei deſiderandum eſſe locupletari, ut poſtmodùm queàt Philoſophari: Ei autem cui victus non deeſt præſtare Philoſophiam opibus. At enim paupertas ſua ſibi fortaſſe ſufficit, Parentibus & ſoboli

curta

curta eſt; Quid agendum? Tum verò Philoſophiæ incumbit ambiguitas, quæ vel ad ſubſtantiam Beatitatis deeſt, vel ad melius eſſe deficit. Et, ſi ad ipſam ſubſtantiam non porrigitur, æquè manifeſtum eſt præferendam eſſe cuilibet cognationi, & aliarum perſonarnm amori; poſtquam cætera ex Beatitudinis lege quoad proſecutionem moderanda veniunt. Sin ad meliùs tantùm eſſe petitur Philoſophari, potior eſt Philoſophatio vivere ſecundum quæ didiciſti, quam novis veritatibus colligendis intentum notas non exercere.

4. De Voluptatibus, jam dictum eſt Spirituales præſtare Corporeis, atque adeò Corporeas eſſe duntaxat Inſtrumentales, & amplectendas ut corpus reddant actionum & voluptatum ſpiritualium aptum fruitioni. Unde exceſſus & defectus in iis unicuique ab experientiâ petendus eſt, ut veſcorum, ludi, ſomni, veneris ea ſit moderatio ut Spiritualibus conſiderationibus & exercitiis idoneum (quàm poteſt fieri plurimùm) corpus inſerviat. Voluptates Spirituales in Conſideratione poſitæ ſunt; hæc in Cogitatione, Lectione & Collocutione poſita eſt. Cogitatio in Meditationem ſeu inquiſitionem veri, & Contemplationem ſeu Veri jam comprehenſi intuitio-

nem & recolitionem diviſa eſt; utramque nimis quàm jucundam ei qui eam ſeriò imbibit. Lectio, ut & Auſcultatio ad diſcendas veritates ordinantur; faciliores cogitatione, ſed etiam minùs dulces. Collocutio majorem prioribus delectationem habet ſi eſt de Veritate paris dignitatis, quia faciliùs & compendioſiùs ad Veritatem à diſcente pervenitur, & docens Contemplationis fructum habet.

5. Ad eaſdem Delectationes pertinent quælibet Spectacula, ſive cum inſtructione conjuncta, ſive puræ imitationes & ſimulachra, vel etiam hominum actiones alium in finem deſtinatæ; ut rixæ, pugnæ, pompæ, &c. Tandem Ludi Fortunæ ſubditi, ut aleæ cum ſociis; & etiam ab arte & demonſtratione pendentes, ut certaminum & venationum imitationes & quicunque alii: Ubi expectatio quædam futuri, & incertitudo, & artis admiratio ſuſpenſos tenet & actores & aſſeſſores cum inani quâdam delectatione. Harum omnium delectationum exceſſus & defectus metiendi ſunt ex eo quòd melioribus exercitiis præferantur; vel, quòd ad eos non tantum attendatur, quantum Sanitas, vel aliorum agendorum, ad quæ hæ ordinate ſunt, Neceſſitas & Convenientia poſtulant. Re-

quirit

quirit autem particularium in his penſitatio plures circumſtantias, quarum conſideratio nondum commodè intervenire poteſt.

6. De Famâ, Honore & Amore jam actum eſt; Peculii geminus eſt uſus; unus circa ſe, alius circa alienos; & utramque actionem ſuæ gubernant virtutes. Modeſtia expenſas circa ſe & ſuos, Liberalitas uſum pecuniæ circa alios. Quoniam enim facilius eſt nimiùm affici ad ſemetipſum & ſuos, propterea Moderationis nomen induit Virtus circa ſe, etſi etiam defectus ei oppoſitus ſit in ſquallore quodam & negligentiâ cultûs, ſive in veſtibus, ſive in domo & ornamentis ipſius, ſive in famulitio & cæteris Inſtrumentis rei familiaris. Multum in his ex intentione utentis & prudentiâ pendet, ut augeat vel minuat de menſurâ rebus ſuis propriâ propter ſpeciales opportunitates. Regulas pleriſque præſcripſit Officiorum Chriſtianus Magiſter; ut vitetur affectatio, ſed ſit ſimplex & naturalis cultus; ita ut honeſtati & neceſſitati nihil deſit, nihil accedat nitori.

7. De Feminarũ cultu præcipuus eſt labor; ſed ſi intrinſecos fines reſpiciamus, vel quæritur Pulchritudo, vel opinio divitiarũ; & ſic

 duo

duo vitia Modeſtiam cultûs obſident; Jactantia opum, & Laſcivia vel Vanitas quædam, quâ aliquid excellentiæ in pulchritudine vel ſpecioſitate reponitur. Hæc ſi abſint, non intereſt quo cultu utatur mulier, modò ſit conſuetus & non affectatus. Quoniam enim aſſueta non faciunt paſſionem, non cenſenda eſt Femina provocare Virorum affectus magis aliquo conſueto habitu, quàm per hoc quòd ſit pulchra & nitida, vel gratioſa. Ut autem ultra conſuetudinem veſtiatur debet eſſe gravis cauſa, & adeò gravis ut illectionis damnum compenſet. Gravior eſt exceſſus qui eſt in Jactantiâ divitiarum quàm qui in affectatione pulchritudinis, quantò minus eſt divitiis excellere quàm bonis naturalibus; &, in affectatione pulchritudinis, gravior eſt affectus Laſciviæ quàm Vanitatis, quando vitioſus eſt. Si enim ad conciliandam Amicitiam in ordine ad Matrimonium Virgo ſit profuſior, non facilè condemnanda eſt, etſi videatur mollior debito.

8. Neglectus cultûs, in mulieribus maritatis & Virginibus in cuſtodiâ Parentum, gravis eſt, ſi viris & Parentibus diſpliceat; in cæteris, ſi præter leges publicæ affabilitatis ſit ſordidus. Eſt itaque Mundi Muliebris in eo ſita mediocritas & virtus ſecundùm

cundùm ſe ſpectati, ut appareant ſine ſordibus, & ſecundùm proportionem ordinis & facultatum ſuarum pro more benè æſtimatarum ornatæ: Virorum proportionata eſt ratio, ut neque effeminati ſint cultu nimiùm molli, neque jactantiâ divitiarum ſuperbi; neque ex oppoſito vel ſordidi, & in cætibus ingrati, neque ita negligenti cultu ut ſemiveſtiti appareant & affectatè diſcincti. Sordidum & negligentem veſtitum Jactantiæ tribuunt Philoſophi, quaſi faſtuosè faſtum calcanti & alios contemnenti: Sancti, vel Hypocriſi, quæ cum Jactantiâ eſt ut ſe oſtentent aliis Sanctiores; vel Superſtitioni, ſi reipsâ ignoranter credunt non licere uti apparatu veſtiario.

TRUTINATIO SEPTIMA.

DE

Liberalitate, Beneficentiâ & Commiſeratione.

1. Liberalitas in dationum moderatione conſiſtit; Virtus, ex ſuppoſitione defectûs vel in eo cui datur, vel in eo qui dat. Dare enim non eſt appetibile per ſe, cùm ſit actio circa alium; cui appetere ut indigens ſit quò ego ei donem, Turpe foret. Sed neque deſiderabile eſt homini ſimpliciter habere quod poſſit donare; ſed vel ex eo quod certum ſit non defuturam indigentiam; vel quia, ex eo quòd non poſſit præciſa mediocritas dandi neceſſaria conſtanter teneri per incertitudinem Fortunæ, & melius ſit abundare quàm egere, ideò prudenti Oeconomo ſemper ſuppetit quod donet; vel tandem, quia impotens eſt Dominus aliud meliùs agendi quàm de peculio diſponendi, & propterea vita ipſius in hoc rectè collocatur ut honeſtè acquirat &

& miſericorditer diſpenſet Bona Fortunæ. Hoc autem egeſtatem Animi ſupponit; & huic deſiderabilis & per ſe amabilis eſt Liberalitas, cæteris potiùs accidens quàm expetenda. Pertinet itaque ad Liberalitatem, primò ut non noceat ſibi per donationem, deinde ut donet indigentibus, & benè uſuris; & optimè, quantum ipſi noviſſe datum eſt.

2. Vicina eſt Liberalitati *Munificentia*, quæ non reſpicit tam Indigentiam proximi, quàm Charitatem & Amorem à Donatario; & propterea plus dat quàm liberalis, quia ſic par eſt Utilitatem donatarii non Indigentiam ſpectanti, & bonam de ſe exiſtimationem ambienti. Hæc, etſi in majoribus verſatur, non tamen tantum de virtute habet quantum Liberalitas, quia plerúmque Utilitatem aliquam donantis pro ſcopo habet; &, quamvis magis contemnat opes quàm Liberalitas; tamen propter viliorem Finem (honoris putà & famæ) quàm Liberalitas, quæ tantùm Bonum Proximi intuetur. Unde in accipiente reſpicit, ut ſit qui eum laudaturus ſit apud eos quibus probare ſe cupit. Ut ergo Munificentia ſit Virtus, oportet ut cupiditas honoris ſit legitima, & maior quàm diſpendium rei familiaris.

3. Opum rectam diſpenſationem ex parte defectûs obſidet *Avaritia*, vitiorum ſordidiſſimum & nequiſſimnm; cùm nulli proſit, imò ferè omnibus noceat, & primò Poſſeſſori; & propterea dicitur *Idolorum ſervitus*; quia, ſicut qui ſervit Idolo ſeſe affligit & nihil commodi percipit, quia Idolum Nihil eſt; ſic & Avarus ex naturâ rei, ſecundùm proverbium, tam indiget iis quæ habet quàm quæ non habet. Impellit præterea ad peſſima quæque, immiſericordiam, violentiam, fraudes, & animum Avari ſemper inquietum tenet. Adde his; quòd Opes ſint purè Utiles, & proinde Amabilium poſtremum: Unde viliſſimum eſt genus hominum quod in divitiis gloriatur, & illas per ſe æſtimat. Per exceſſum Contemptûs Divitiarum peccat Prodigus, quaſi Stultus, qui non intelligat earum Utilitatem, & uſum, & propterea profundat ſine curâ. Plerúmque vanitate, vel voluptate, vel facilitate Naturæ importunitati cedente ad profuſionem impellitur, & improvido obrepit egeſtatis & penuriæ præmium; quæ aggravantur Verecundiâ, niſi inveteraverint nimiùm vitia. Quia indignis ſua donat, idcircò nulla eſt illi datorum gratia; nam vitioſi plerúmque non poſſunt eſſe Grati,

quia

quia aliquâ cupidine ſunt oppreſſi. Quoniam tamen in expenſione & uſu conſiſtit Prodigalitas, propior eſt Virtuti quàm Avaritia, quæ utilium Utilitatem tollit.

4. Liberalitas poterat pars *Beneficentiæ* æſtimari, niſi quòd Liberalis reſpicit eum cui dat, non ut motivum cur det (quod facit Beneficus,) ſed tantummodò ut capacem cui detur. Magis itaque *Miſericordia* Beneficentiæ ſpecies eſt, quoniam reſpectum habet ad miſeriam & indigentiam ejus cui benefacit. Eſt enim Miſeria indigentia cum triſtitiâ, ſeu cui ſuccumbit egens, & propterea ſe plangit; & idcircò miſerens reſpicit ipſum tanquam in duplici neceſſitate, ſeu quaſi in vitali & animali indigentiâ poſitum; & propterea miſerans etiam ſibi incommodare paratus eſt ut ſubveniat miſero, quod neque Liberalis, neque purè Beneficus facit. Miſericordia enim ipſum miſericordem facit mali participem: Unde quærit ipſum malum à ſe depellere eximendo miſerum à malo; Unde & *Compaſſio* ſolet vocari, quaſi quæ miſericordem ſimul cum ipſo miſero pati faciat.

5. Regula Beneficientiæ eſt eadem quæ

5. Regula Beneficentiæ eſt eadem quæ Benevolentiæ verſus Hominem, ut Hominem; ut, ſcilicet, unicuique faciamus (quantum in nobis eſt) quod ei convenit; nobiſmetipſis primò, deinde conjunctis, juxta ordinem Amoris explicatum. Sed varietatem patitur à circumſtantiis: Sicut enim Miſericordia nos cogit aliquod incommodum ſubire miſeri causâ, ſic multò magis cæteras connexiones ſuperare poterit quando neceſſitas remotioris major eſt neceſſitate magis conjuncti. Similiter ex Officiorum naturâ remotior præferendus eſt conjunctiori; ut, aliqua Vicino debentur quæ non debentur Familiari vel Conſanguineo ex ipsâ Viciniæ naturâ, quæ ejuſmodi Officia mutua quaſi in Legem tranſire cogit. Hæc examinari nequeunt, quia ſecundùm mores Regionum & neceſſitates è modo vivendi ſurgentes variantur occaſiones cur benefacere oporteat: Benè *velle* enim in communi expeditur, ſed bene *facere* in ſingulos procedit, & prudentiam & curam requirit; neque videtur Hominem per ſe Beatitatem verſus promovere, ſed potiùs removere, cùm ſit actio externa & diſtractiva à Contemplatione. Neque reâpſe proprium eſt iis qui

Con-

Contemplativam ingrediuntur ad Actionem egredi.

6. Sed quoniam plures ſunt in humanâ vitâ verſus Beatitudinem itinerandi calles, neque Externa actio ſancta ſuis præmiis fraudatur, id videamus cur conveniat Homini ad neceſſitatem Proximi ſeſe applicare. Et duplex eſt quæſtio: Alii enim Operas conferunt, alii Pecunias, ſeu Fortunæ Bona æſtimabilia pecuniâ. Et, de his qui operas locant in bonum aliorum, quandoquidem perſpicuum ſit non eſſe ſecundùm rationem hoc agere ſi poſſint melius, & Melius hoc dicere quod melius Illis, ſeu magis in bonum Suum, ſeu utilius Sibi, concluſum eſt tum demùm Hominem ſecundùm rationem benè facere proximo, quando Suum Optimum conſiſtit in benefaciendo ipſi; ſeu quoties Beneficentia Animæ ſuæ imprimit optimam, quæ hîc & nunc potis eſt haberi, diſpoſitionem verſus Beatitudinem. Quod coincidit cum dicto Philoſophi, quòd vir probus ſemper eligit optimum ſibi, nempe Honeſtatem.

7. Et huic aliquid par in pecunias ſuas tribuente accidere oportet. Cum enim

Pecuniæ Homini ſint ſecuritas quædam non indigendi, prorſus abs ratione deviaret qui eas alienaret non propter majus bonum quàm ſit talis ſecuritas: Et, cùm æſtimatio bonorum humanorum tota pendeat ab Ultimo Bono, non renunciat prudens pecuniis niſi quatenùs Animam ſuam hoc agendo plus applicat Beatitudini: Quod, cùm poſitum ſit in cultu rectæ Rationis, confectum eſt rectam Rationem dictare ſic expendendas eſſe pecunias; ſeu, magis eſſe ſecundùm rationem ut ille in quem impendantur eas habeat quàm impendens, & hoc eſſe meliùs Impendenti. Unde fit evidens & Pecuniam habere Finem pecuniæ meliùs in eo in quem expenditur quàm apud impendentem, & impendenti melius eſſe ſine iis quàm per eas. Finis autem pecuniarum eſt, ut utiles ſint hominibus ad commoditatem Beatitatis acquirendæ. Talis eſt earum conditio, ut, niſi utiles ſint, obnoxiæ ſint incommodis, vel quoad curam de iis conſervandis, vel quoad timorem perdendi, vel dolorem de perditis, vel tentationem malè eas expendendi. Si autem Utiles ſint poſſeſſori, cùm primus Amor ſit reſpectu ſuiipſius, ſic vagè & nullis illigatâ circumſtantiis conſideratione, non veniunt ſecundùm Rationem in alium

alium impendendæ. Hoc itaque curandum, ut inutilia ſint Domino quæ donantur aliis.

8. Si quæritur ulteriùs, quando ſuperflua & inutilia cenſeantur? Facilis eſt reſponſio; Quicquid deſideratur propter amabile aliquod quaſi propter ſe & non juxta proportionem ad extremum deſiderabile, illud eſt inutile & in alios expendendendum. Sicut, ſi vis pecunias propter Splendorem, neque ſplendorem metiaris ex uſu ad Beatitudinem, illæ pecuniæ inutiles ſunt. Clarum enim eſt, quòd, ſi ſplendor propter ſeſe & non propter proportionem ad Ultimum Finem appetatur, nullum ſplendorem homini, neque ullam expenſam ſplendori ſatis futuram. At ſi, quis ſplendor actioni ad Beatitudinem commodus ſit, diſquiratur; etiam modus & regula expenſæ ſtatim fixa eſt. Sic, omnia examinanti non difficile erit quæ Bona ſunt ſuperflua à neceſſariis diſcernere. Et hic modus Benefacienti ſic abſtractè convenit; ſed, ſi Miſeriam ex parte Beneficiarii ſurroges, etiam ad quodammodò neceſſaria porrigenda eſt manus, ut donans aliqualiter ſimul patiatur; præſertim, ſi miſeria eſt valdè premens; ut, ſi ex fame vel vulnere ſit ſubitò moriturus. Sed de Accidentibus do-

doctrina non poteſt eſſe conſtans, cum totupliciter varientur.

TRUTINATIO
OCTAVA.
DE
Gratitudine, Pietate, & Obſervantiâ.

1. VErùm enimverò Beneficus non Amator duntaxat eſt, ſed etiam Amabilis: Beneficiarii itaque eſt amare, verùm non ſimpliciter, ſed cum Honore. Virtus enim famam, honorem & amorem in Cognoſcente efficit. Beneficiarius itaque primò agnoſcit Benefactorem, proximè reveretur & laudat, tandem amat. Ex Amore autem ſequitur ut, ſi poſſit, benefaciat. Primum ergo, & quod facit eſſentialiter gratum, eſt agnoſcere Beneficium & Benefactorem; quod eſt, Æſtimationem de Virtute & Bonitate ipſius congruam meritis habere. Ex Æſtimatione Virtutis, & quaſi Superioritatis, ſequitur in Beneficiario Reverentia; quæ eſt timor quidam judicii & æſtimationis quem Beneficus

cus habet de ipſo, quaſi indigno; & propterea ſubjicit ſe Benefico, non propter Utilitatem, ſed propter dignitatem ipſius; & propterea ſigna Eminentiæ, quæ honorem conflant, in eum congerit. Tertiò, Virtuti ipſius apud alios Teſtimonium fert, laudando apud illos & beneficium & benefactorem. Ex his ſequitur Amor quo Bona vult Benefico, qui major debet eſſe quàm Benefici in Beneficiarium; tum quia Beneficus habet rationem melioris; tum quia cauſa amandi in Beneficiario, ultra bonitatem Benefici, eſt accepiſſe de Bonitate ipſius; quæ cauſa in Benefico non invenitur.

2. Ex hoc fit ut Beneficiarius cupiat plus boni facere Benefico quàm acceperit, ut ſatisfaciat majori Amori; & præterea, quia magis æſtimat Beneficia quæ accipit quàm quæ facit; hoc enim generoſi eſt Animi. Verùm, non feſtinat reddere, ſed expectat convenientem opportunitatem; quia non quærit Bonum Suum, ſed Benefici, ut ſolent Amantes; neque moleſtè habet ſe quodammodò inferiorem eſſe, ſed hoc libenter & agnoſcit & patitur; quaſi Beneficus, non ex ſolo Beneficio, ſed cæteróqui potior exiſtat. Et minor quidem eſt Beneficii gra-

gratiâ ſi Beneficus ex Beneficio Utilitatem acquirat, non autem ſi ſolam Honeſtatem, etſi inhoneſtum fuiſſet non feciſſe: Nam Honeſtas eſt illa quæ honoratur in Beneficio, quæ quantò major eſt tantò plus honoris & amoris meretur. Ex his licet Ingratitudinem & Ingrati actiones intelligere, ſunt enim his oppoſitæ. Supremus Ingratitudinis gradus eſt malum pro bono rependere. Et meretur quidem Ingratus ut beneficia collata auferantur; ſed non à Benefico, cujus eſt gratis amare, & non expectare retributionem vel amorem; Et, ſi non faciat ei ulteriora beneficia, hoc non debet eſſe quia Ingratus eſt, ſed quia eſt incapax & indignus cui benè fiat, ſeu pravus, & qui per bona fiat pejor.

3. Gratitudinis rationem videntur habere *Pietas* & *Obſervantia*; Hæc in Magiſtratus tendit, illa in Parentes & Patriam. Conveniunt cum Gratitudine quòd ſint verſùs meliores, & à quibus accipimus beneficia, & quòd Amor cum Reverentia & Honore erga illos ex eo oriatur. Sed, quod à Parentibus accipimus (intelligo ipſum *Eſſe*) videtur quidpiam beneficio majus, cùm propriè non conferatur; quia Collatarius præexiſtit collationi, non autem Proles. Deinde altioris ordinis eſt quàm

Bene-

Beneficium, ut Subſtantia Accidente genere majus eſt; neque ſubeſt compenſationi, quod tamen de Beneficio putamus. Quare, Pietas non extenditur ad Conſanguineos, niſi fortè quatenùs in iis adjuvandis Parentes reſpicimus; cùm proprius amor Conſanguineorum reſpiciat eos ut conjunctos nobis. Obſervantia quoque verſus Magiſtratus non eſt extendenda ad Concives; ut à quibus nihil recipimus, & qui non ſunt ſuperiores nobis. Sed, neque Obſervantia in Magiſtratus eſt comparabilis Pietati; tum quia quod accipitur ab illis eſt tantummodò Utilitas, quale eſt Beneficium; tum quia ex eo quòd ſit beneficium commune pluribus, ſinguli ſic latent ſub Communitate, ut gratia pænè mutet ſpeciem cùm ad eos pervenerit. Unde Obſervantia plus habet de Honoratione quàm de Amatione, præſertim ubi Officium Magiſtratûs Beneficium cenſetur ei cui datur, & qui eum gerit.

4. Peſſimè autem in Præmium computantur ſive Pecuniæ, ſive Honor impenſus Magiſtratui; quod eſt Virtutem metiri Utilitate; cùm Actio Magiſtratûs non ſit duntaxat Virtus, ſed Architecta & Magiſtra & quaſi Idealis Virtus, cui pecunias ſervire, honores quaſi umbras non æſtimabiles

biles comitari, non quaſi Magnū quidpiam tribui,oporteat. Nihilominùs digno Magiſtratui Amor etiam debetur, & inſignis; quia gratis & ex Virtute movet nos ad noſtrum Bonum. Debentur itaq; hujuſmodi commoda Magiſtratibus veluti Agnitiones & Munera, non ſicut Mercedes vel Præmia. In quo differt à motione quâ Dominus movet ſeruum; quæ, ſi fiat juxta notiones Domini & Servi, eſt ad utilitatem ipſius Domini; &, ſi Seruus accipit quicquam à Domino, vel eſt ut ſervire valeat, ut equum vel bovem paſcimus; vel, quia Dominus alióqui ſuam utilitatem non conſequeretur, ſicut accidit cum conductitiis. Tamen ab omnibus his redit Honor ad Dominum, ſed quaſi materialiter, quia Perſonaliter excedit; non reſpectivè, niſi per accidens; ut, ſi bonus ſit & liberalis ſervis. Miniſterium quoque debetur, ſed ex Juſtitiâ, & quaſi pacto, & non ex propriâ virtute Obſervantiæ.

5. Ex Obſervantiâ debitâ Magiſtratibus inſinuatur nobis quid ſignificet decantatū illud *Patriæ* nomen, quod Pietatem ſibi depoſcit quodammodò celſiorem quàm ipſi Parentes. Palam enim eſt ſignificare illā regionem quæ iiſdem Legibus & Magiſtratibus regitur. Non ſolis Legibus, hæ enim ad multas Patrias eædem ſeſe extendere poſſunt;

ſunt;neq; ſolis Magiſtratibus, contingit enim ſub eodẽ Rege plures Nationes diverſis admodum Legibus uti. Ex Naturâ itaq; rei ſi quis Populus per Magiſtratuum Unitatem in unamRempublicã conſpiret, Terra illa cũ Populo ſuo *Patria* ſingulorum appellatur. Clarum enim eſt Patriã à Patre dictam, ſive quòd antiquitùs toti populi ab uno aliquo Patre communi originem trahebant, ut in Sacris Scripturis apertè declaratur; ſive quòd Patria hominis appellatur, ubi Pater, hoc eſt, tota Cognatio ipſius vivit; quibus quia Sanguinis, idcircò etiam Morũ ſimilitudo & cõvenientia eſt. Et, quia Terra & Cælũ, hoc eſt, Aër, ex certo ſitu ad ſolẽ & reliquas terreſtris globi partes confert ad certũ Idioma & Mores, & Mores ad Leges & Leges ad Unitatem Magiſtratuum, propterea Regio ejuſdem temperaturæ Morum & Legum eſt illud quod nomine Patriæ colitur & quaſi adoratur. Et quia plerumque quod eſt ſecundùm Carnem homini carum non excedit talem Regionem, (de Conſanguineis loquor, Familiaribus & Vicinis) &, præterea, in Unitate publicæ adminiſtrationis Salus & ſecuritas horum carorum poſita eſt, proptereà *Patria* ſignificat Collectionem omnium carorum. Unde patet quicquid ex naturali contactu mo-

movet Hominem ad Amorem, illud totum, & ſingulas omnium illecebras, in Amabilitate Patriæ, ex conſuetâ humanarum Fortunarum lege, eſſe concluſa; & proinde non eſſe mirum ſi Pietas in Patriam præferenda ſit pietati in Parentes, & cuilibet alteri Amoris humani Vinculo.

TRUTINATIO
NONA.
DE
Eutrapeliâ.

1. ET hactenus de ordine Rationis prout relucet in ſeriis & ſeverioribus actionis humanæ partibus, quatenùs procedunt ab Homine, ut Homine, & non illigato ſpecialibus regulis quæ vitam ad certas leges determinant, tractatum eſt. Sed quoniam nulla eſt actio humana quæ ſeſe à jure Rationis eximere debeat, etiam in levioribus & horariis quaſiqué momentaneis quid Ratio poſcat exquirendum eſt. Eas vitæ particulas ſubciſivas, & quaſi neglectas, in quibus neque ſeria neque neceſſaria molimur,

ſimur, omninò perdi non permittit Ratio. Quærit itaque in his Delectationem, nè non occupatus Animus ſibimetipſi ſit gravis; ſed Delectationem quæ Animi attentionem non deſideret, neque ſpiritus, jam exhauſtos vel ad alia neceſſarios, ad ſe avocet. Propterea, poſt cibum ſæpiſſimè requiritur, ut vacet concoctioni calor ſpirituum ad ventriculum collectus, neque interea Animus temporis numerationi præ tædio ſit addictus. Et quia quod plurium operis conficitur, ſingulis minùs oneri eſt, delectationem communem aliis petit. Hæc autem & actionibus & vocibus curatur, & collectio utriuſque *Converſatio* appellatur; etſi hæc vox aliquando latior videtur, & extendere ſeſe ad modum gerendi actiones ſerias; ſed ſemper earum Condimentum ſonat, non Subſtantiam. Virtus itaque quæ Converſationem ut converſationem, virtuoſam & conformem Rationi, atque proinde gratam ratione victitantibus perficit, dicitur *Affabilitas* ſeu *Eutrapelia*; hoc eſt, Converſatio vel bona moratio; & ad familiares maximè ſpectat, etiamſi ſe extendat ad extraneos quoque.

2. Quoniam autem tum Actione tum Locutione ſeu colloquiis conflatur delectationis materia, & delectatio mentis plerum

rúmque ſit;potior Delectatio in Colloquiis expectatur. Prima autem Locutionis Virtus eſt *Veritas* ; adverſus quam in Colloquiis potiſſimùm peccatur à loquente,dum ſua magnificat per Jactantiam vel per Ironiam diminuit.Dicitur autem *Ironia*,quando cum falſitate vel negat bona vel affirmat de ſe mala : Quod homo vel ideò facit ut provocet ad laudes hâc ſimulatione, & tunc propriè eſt Ironia; vel quia Utile eſt ipſi ut audientes habeant hanc æſtimationem de ipſo, & tunc eſt ſimpliciter *Mendacium Officioſum* & non Ironia,quâ utens intendit ut aliud intelligatur quàm dicitur. Quia tamen Modeſtiæ ſpeciem habet, gratior eſt Iron quàm Jactator ; Præterquàm quòd ex eo quòd faciliùs peccatur in nimiâ de ſe exiſtimatione quàm in minùs parvâ, videtur minùs inimica Veritati diminutio quàm exaggeratio. Si verò quis minora de ſe dicat, nè per Authoritatem impediat libertatem converſationis, eſt quidem peccatum contra Veritatem quæ Converſationi congruit; ſed, quia ex alio capite eam juvat, Jactantia verò ex utroque capite ei gravis eſt, longè minùs offenſiva eſt Ironia quàm Jactantia.

3. Poſt Veritatem requiritur in colloquiis Jucunditas, quæ partim ex rebus dictis,

ctis, partim ex modo dicendi naſcitur. Dicta gratè accipiuntur cum inaudita priùs & nova ſunt; ſed magis, ſi ſimul utilia vel quovis modo proficua. Clarum eſt autem dicendorum Materia & genera eſſe eadem quæ cognoſcendorum; niſi quòd facilia, ſive quæ citra pœnam conatûs ſunt perceptibilia, colloquiis de quibus hîc agitur, ſunt ſeligenda. Alia itaque dicendorum ad Scientias, alia ad Artes, alia ad res humanas ſeu Hiſtoriam pertinent. Quicquid itaque in his tribus generibus ſine labore diſcitur & docetur, Colloquia condîre natum eſt. Sed rerum humanarum plurimus eſt locus. Illæ itaque vel Res actæ ſunt, vel Actiones. In Factorum cenſum venit omne quod apud alios eſt; ut Urbes, Domus, Opes, Artefacta, Regna, Politeumata, & ipſi Mores. Actionum nomine appello quæ agunt vel egêrunt Veteres vel Hodierni, vel etiam acturi in propinquo ſunt. Hujuſmodi alia ſunt Publica, quæ ad converſionem Rerum publicarum faciunt, & propterea etiam noſipſos, quaſi in ſyrmate, aliquo modo contingunt: Alia privata quidem ſunt; ſed quodammodò noſtra, quæ ſcilicet à nobis notis geruntur: Et tandem alia & particularia ſunt, & nos nullo ſpeciali modo attinent.

4. In his, ſicut in rebus factis (ut non ſit ſterilis Voluptas) ea ſeliguntur à prudentibus quæ exemplo in Bonum vel adverſus Malum prodeſſe poſſunt; ut, cum narrantur quæ commoda ad vitam vel pericula, ex hujuſmodi rebus oriantur; cætera ſuam Utilitatem ipsâ fronte oſtentant. In Modo delectat, cum ad Rem Ipſam dicitur, & non efflatur quicquid in buccam venerit, & colloquentium partes ceſſatio quaſi decuſſat. Eſt quoque non negligenda Colloquii venuſtas in eâ parte novi ſeu inexpectati collocata quæ turpiculum repræſentat & riſum movet; à Naturâ, ut videtur, in caſtigationem leviorum defectuum inſtituta; & propterea non omninò rejicienda etiam ſeverioribus animis, poſtquam cum utilitate juniorum conjuncta eſt.

5. Ad Colloquiorum quoque ſuavitatem pertinent expreſſiones ſeu phraſes à cultioribus uſitatæ, quibus exprimitur honorandi colloquentes deſiderium, & geſtus comitantes. Horum omnium Moderatrix eſt quæ Modeſtia-in-converſatione dicitur; & eſt eadem quæ Comitas, & Affabilitas, & ab aliquibus Amicitia. Et cætera quidem nomina ſortitur prout alios reſpicit; Modeſtiæ, autem quatenùs ipſi Per-

Perſonæ & actioni loquentis modum ponit. Hic Modus in eo conſiſtit, ut neque ſibi gravis ſit neque aliis: Sibi gravis eſt, ſi nimiâ facilitate ultra decorum ſeſe demittat unde contemnatur; vel nimiâ cæremoniarum prolixitate tempus terat quo negotium confici debuiſſet. Parcitate magis gravis eſt, ſi conſueta & expectata negligat; ſi moroſitate ſeu morum difficultate non ſatisfaciat deſideriis auditorum; &, tandem, ſi pudore obmuteſcat.

6. E diverſo, per Exceſſum moleſti ſunt Garruli, Loquaces & Litigioſi; quibus omnibus conveniat melioribus dictis locum non cedere. Sed pejores ſunt qui indigna auditorio afferunt, ut obſcæna, laſciva, vilia. Peſſimi verò ſunt Arrogantes, qui de omnibus cenſuram exercent, & ſoli Sapientes volunt apparere, cùm plerumque ſint hominum ſtolidiſſimi. Neque mediocre vitium eſt Scurrilitas, quæ riſum quærendo lædit; & neque ſibi parcit, neque aliis, modò delectationem faciat. Etſi nomen Scurrilitatis etiam ad quærentem delectationem per turpia & obſcæna ſoleat extendi. Duo ſunt adhuc per exceſſum vitia; Alterum agentis vel patientis indigna in converſatione, eâ ſolâ gratiâ quia fugit rixas; & propterea conſentit placere per verba vel

geſtus iis quorum dicta & facta non probat. Alterum illius qui lucri alicujus ſtudio hoc ipſum facit. Hic Adulator; illè, Græcè ἄρεσκος, Latinè Obſequioſus impropriè appellatur; Adulatore melior, ſed, ut Philoſophus monet, æquè malus ac ille cui placet; cùm, qui ſuſtinet audire, eadem facere videatur. Modeſtiæ itaque eſt placida, ſed æqua & vera ſectari; oppoſita, pro bono Converſationis, placidè improbare.

7. Inter actiones quæ ad Affabilitatem ſpectant, primatum videtur obtinere *Ludus*; non ille qui in exercitio conſiſtit & ſanitati debetur; vel certè (ſi etiam ille includendus eſt) ſaltem non quatenus ille, ſed quatenùs in gratiam aliorum fit & ad tædium ſolandum. Et ex ipsâ propoſitione ſtatim dilucet, Ludum non eſſe per ſe appetendum, ſed duntaxat tanquam Utile quoddam admittendum, & quaſi patiendum. Cùm enim finis ipſius ſit ad tædium auferendum, ſupponit ipſum; Tædium autem accedit ex eo quòd Mens humana non ſit occupata. Cùm itaque tota vita deberet ex actionibus ad Supremum Bonum nos deſtinantibus eſſe compoſita, & nulla pars vacua, palàm eſt ex vitio eſſe quòd ſit tędium aliquod, niſi ex

ſi ex infirmitate corporis hoc naſcatur, & tunc Ludus ad Sanitatem ſpectabit; ſicut poſt refectionem uſurpatur, nè concoctio neceſſaria impediatur. Deligendus proinde Ludus in quem non intensè impendatur Cerebrum, cùm aliter non ſatisfaciat fini propter quem amplexandus eſt. Non itaque appetendus eſt, ſed propter aliorum infirmitatem admittendus.

8. Obnoxius eſt itaque legibus Beneficentiæ, ut non exerceatur cum damno proprio, vel abſque neceſſitate alienâ; & tunc ſolummodò cum ſolaturus ſit alios; neque ergo Lucri causâ, neque Victoriæ. Uile enim & illiberale eſt Lucrum; & Damnum alterius in actu Benevolentiæ piſcari, eſt ſimile proditioni per oſculum. Victoriæ quoque gloria turpis; ſive enim à caſu ſit Victoria, indignum eſt homine æſtimare ſe excellentiorem quia caſus ipſi favit; ſive ingenio & arte adverſario præſtiterit, hæc in materiâ inutili & futili intendiſſe acriùs, turpe eſt, non Laudis meritorium. Sed & ipſum lucri Genus turpe eſt; cætera enim lucra, etiam quæ ex Uſurâ ſurgit, ex benefaciendo & commodo alieno ſurgit: Hoc ſolum ex damno puro alterius naſcitur. Non itaque propter ſuam aliquam bonitatem vel utilitatem acceptandū eſt hoc

Ludi genus, ſed per accidens & propter medicinam. Motivum autem per ſe eſt, ut complaceatur aliis imprudentibus, qui aliter tædium amoliri neſciunt.

9. Defectus itaque in appetitu Ludi pertinet ad Moroſitatem & neglectum aliorum, hoc eſt, ad defectum Affabilitatis. Exceſſus, autem vel ad Adulationem, quâ ſerviliter & inhoneſtè nos ſubjicimus aliis; vel ad Acediam, quâ moleſtum eſt nobis in res ſerias tempus impendere; vel tandem ad inanem quandam Superbiam, quâ delectamur de futili Victoriâ: Per accidens verò ad Avaritiam, quando lucrandi intentione celebratur Ludus. Eſt itaque Ludus pars gratæ converſationis quam ab aliis expectare ſolemus. Præter quem in verbis & ſeriis actionibus gratam quandam præſentiam & applicationem ab aliis deſideramus; ut non ſolùm non moleſtos, ſed etiam gratos & jucundos ſentiamus.

10. Hoc autem vel conſiſtit in levibus & ordinariis actionibus, vel in circumſtantiis actionum graviorum. Leves voco, quæ in quotidiano convictu ſe miſcent, vel potiùs eum conſtituunt. Actiones verò ſunt quibus vel honorem, vel ſervitium breve præſtamus. Ad Honorem pertinent cæremoniæ ſive in geſtibus ſive in vocibus expreſſæ.

preſſæ. Per Actiones vel non requirimus ab aliis difficilia & ingrata; ut cum in potu, cibo, cubitu & reliquis nos accommodamus ſive neceſſitati ſive opinioni aliorum, ut non requiramus quæ vel ægrè poſſunt vel non libenter præſtant, etſi nos ea convenire putemus; Vel levia ipſis exhibemus, parati, quantum nobis licet, levare ipſorum laborem, & ſupplere defectus. Videntur autem hujuſmodi cum ratione deſiderari, quoties, ſine incommodo gravi facientis fit bonum notabile alteri; accipere autem proportionem ex qualitate ſubjectorum ſeu materiei. Quia autem non ſunt nobis neceſſaria, videntur potiùs grata eſſe quàm deſiderari; & expectari, non quaſi nobis debita, ſed agentibus conformia. Ejuſmodi ſunt quæ ad veſtitum quoque & cultum corporis & animi, eum dico qui aliis gratum facit, & quatenus talis eſt, ſpectant.

11. Et hæc videntur omnia quæ ex purâ inter homines & cum hominibus converſcentiâ appeti uſu venit. Sepoſitis enim veris & ſeriis auxiliis, quæ voce an opere præſtentur materiale eſt, & propterea ſive ab hominibus ſive à rebus nobis exhibeantur, inter Inſtrumenta Fortunæ computantur, non videtur ſupereſſe quod expectetur ab Hominibus.

INSTITUTIONUM ETHICARUM, SIVE STATERÆ MORUM, EXAMEN QUINTUM, DE Fortitudine.

TRUTINATIO PRIMA. DE *Malis quæ Fortitudo amplexatur vel rejicit.*

1. DEfunĉto Bonorum humanorum collatione, reliqua eſt Malorũ Contemplatio. Quantumvis enim *Mali* ſpecies fugiendam ſemetipſam arguat, aliqua tamen

amplexari non tàm docet quàm cogit Natura. Quæ, cùm nihil ſectetur aliter quàm Boni rationem captans, confectum eſt quæ vocantur amplexabilia Mala reâpſe Bona eſſe; verùm, iis quæ vocari ſolent *Bona*, aliquâ ex parte minùs appellationem Boni demerentia. Quando itaque quæritur quæ Mala quorum Bonorum intuitu ſint ſubeunda, huc tenditur ut, quæ Bona quibus Bonis ſint præ vel poſt ferenda, diſpiciatur. Poſt comparationem itaque Bonorum inter ſe quam peregiſſe ſperabamus, unde hic novus de *Malis* differendi conatus, & perplexum iter? Verùm enimverò, ſic eſt Hominum conditio, ut, non ipſis duntaxat Rebus evoluendis inſudandum ſit, ſed ipſa quoque Vocum & ſermonis humani ſemitæ Ariadnæâ quâdam induſtriâ ſint exequendæ. Nominat enim humanus uſus *Fortitudinem*, & ipſius ſive membra ſive genimina, Malorum amplexatrices Virtutes; & nobis, ne Generis noſtri præculcatos calles ignorando vel contemnendo deſeramus, eodem pergendum eſt itinere.

2. Et, quod ipſo aditu percellit eſt, an omnis carentia Boni ſecum Mali gravitatem trahat: Neque immorandum eſt, cùm Malum non Negatio Boni ſed Privatio definiri ſit ſueta. Privatio autem, etſi ad generi-

nericam & ſpecificam rationem interdum amplietur, ſi tamen cum rigore expendatur, locum & tempus & quicquid ad ſingularitatem expetitur, includet. Non itaque mala eſt quælibet carentia Boni, ſed illa duntaxat quæ eſt de Bono ubi & quando & cujuſmodi haberi oportebat. Sed neque ſic ratio Mali quam amplexatur Fortis eſt completa; niſi & cognita, & magni habita, ſit, & vitatu difficilis. Fortitudo ſiquidem Virtus eſt, & Virtus ex cognitione progreditur; & Bona non in acclivi poſita Temperantiæ præda fiunt, Fortitudinem non irrîtant. Hinc eſt quòd ſæpè Mala, citra imò contra Fortitudinis ingenium, tolerentur; ut plerumque vitia. Quamvis etiam hæc interdum tanto mærore committentem onerent, ut iis quoque Patientia & Fortitudo ſit impendenda; veluti, quando ad deſperationem & extrema Peccantem adigunt. Similiter, Utilium & quandoque Neceſſariorum Ignorantia, ſine Fortitudine, imò cum oppoſito Vitio, perſæpè ſubitur. Tantundem eſt quando præ ſtupore Animi quævis Mala congruam non inferunt Senſûs motionem; unde, Virtute adverſante, menti incumbunt immobili & tranquillæ.

3. Mala itaque adverſus quæ erigitur

Fortis, pleraque ſunt quæ vel Naturæ vis, vel Conſuetudinis &Opinionis impetus incautis & repugnantibus, vel etiam adjuvantibus & approbantibus impingit. Natura modò & externis moventibus obnoxia eſt, & ex ſemetipsâ intereà Rationi moleſta; Exteriora vel Corporis valetudini officiunt, vel Fortunæ commodis. Ab Intimis repugnat ad certum opus alligari & à ſolatiis abſtrahi. Par Exteriorum poteſtas animum torret, quoties Amores ex communi errore conveſcentium inolitos deſtituit, auferendo quæ etſi dulcedinis in ſeſe contemptam ſatis menſuram habeant, communi tamen Vitæ ingentia æſtimantur; ut Famam, ſplendorem, vitæ dignitatem, potentiam & hujuſmodi putatitia Bona. De his omnibus, quantum à prioribus intactum manet, excutiendum huic Fortitudinis membro relictum eſt, & ex præjactâ Bonorum comparatione extruendum.

4. Quoniam verò in illâ Bonorum libratione Æterna Beatitudo præpoſita eſt in immenſum cæteris omnibus, hîc etiam pro ſuppoſito conſervandum eſt, tantum in illius jactura diſpendii eſſe, ut, ſive quoad Subſtantiam quæratur ſive de minimo quolibet gradu, nullâ permutatione ſit

com-

compenſandum; Quare hoc Damnum, ſicubi intervenit, omnem comparationem & ambiguitatem abolere. Ad partes Boni deſcendentes, comperimus Vitam inter ipſum Vitæ Finem & ſuas ſeu Bonorum partes quandam mediam habere poſitionem, ut quæ cætera complectatur omnia; &, eâ deletâ, cæterorum nihil ſubſiſtere valeat. Hæc itaque, vel hujus jactura, quo præmio ſit digna, meritò ſe primò objicit. Neque dubium quin ſi Beatitatis ratio adverſam occuper ſtationem, per ipſam Vitæ jacturam ſit ad illam emigrandum. Verùm, hoc ſubitò implexum apparet, ſi ſolæ & nudæ rationes Beatitudinis & Vitæ conferantur, an incompoſſibilitas aliqua incidere valeat.

5. Ariſtoteles, ſi Librum *de Mundo* Alexandro oblatum auſcultemus, Deus omnes Gentiles venerabatur externo cultu, uni τῷ ὄντι ſub variis titulis & modis ſacrificare credens. Idem de Socrate (niſi malè memini) teſtatur Xenophon. Quæritur an externus ille cultus cũ vitæ jacturâ dimittendus iis erat. Etenim ſeſe propugnant, arguentes, ſi interior affectio mentis quâ magnũ illud humanę naturę Bonum proſequimur, eſt regius ille actus quo emergens è corpore Animus ad Æternam Felicitatem affigitur, & hæc nobis integra, imò continuis

incrementis per hæc ſacrificia aucta & quaſi impinguata roboratur & perficitur, neq; præterea cuiquam emolumenti quidpiam ex noſtrâ interioris ſententiæ evulgatione accreſcere veriſimile ſit, quo bono, quo Animæ lucro projicienda eſt nobis illa vita quæ à communi Naturæ Patre ad conſecutionem æternæ tranquillitatis eſt indulta? Sic illi diſputarent, ſic deprenſus in Mahometiſmo vel Idololatricâ regione (nedum in heterodoxâ Eccleſiâ) Chriſtianus, viam ſibi ad ſecuritatem vitæ ex ipsâ Neceſſitate vitæ ad faciendos Æternitatis fructus permunire tentaret.

6. Et enarratio fortaſſis abſtracta eſt & Metaphyſica, neque reperiuntur homines eâ integritate ut vitam in eventu propoſito purè in æterni ſubſidii ſpem alant, ſed vel ſibi vel aliis ſub præclarâ ſpecie fucum faciunt, debilitati ſpiritûs puritatem ejuſdem prætexentes; & propterea ad actionem humanam nequaquam ſpectat quicquid de hâc difficultate reſolutum exeat, utcunque ad doctrinam radicitùs fundandam juvare poſſit. Neque in obſcuro jacet, ſi citra alia indumenta, ut periculi & ſcandali, & ſi qua alia inter agendum moleſta occurrunt, quæſtio ſit

ex-

expedienda, quin ipſe ſibi ſupremi Boni cultus internecioni ſit, ſi interceptione vitæ cultorem ſibi minùs, quàm futurus per eam foret, ſervum effecerit. Certa tamen ſit ſententia quòd quoties exui vitam à Beatitatis amore imperatur, vitâ decedendum ſit. Quod nihil à Ratione & Naturâ alienum continere vel inde conſtat, quòd ad eam non aliud quàm per Mortem iter nobis fecerint. Et, his fixis, protinus ſe aperit ingreſſus ad ea dignoſcenda quæ Vitæ præferri oportebit.

TRUTINATIO SEXTA.

DE

Morte & mortis Periculo amplexandis.

1. DEcretum itaque puta Homini cujus ſpes ultra corticem Corporis non jaculatur, nihil Vitæ ſimile vel ſecundum eſſe poſſe: Cùm enim clarum ſit omne Ens & omne Bonum intra vitæ anguſtias ſic cogitanti compacta eſſe; cætera quæ-

quæcunque ad Vitam collata, neceſſum erit tanquam nihil, comparatè ad Ens,& eſſe & apparere. Unum itaque illi Vivere ſummum ſolúmque bonum eſt, & præ nullo contemni poteſt. Accedamus modò hominem cum futurâ Æternitate conſulentem, cui Vita non niſi Via ad illam æſtimatur. Hic aliter rationes ſupputat; &, ut Vitam & neceſſariam & unicam ad Felicitatem ſemitam ſibi ſtatuit, ſic ambiguam quoque autumat; & quæ nata quidem ſit ad eam perducere, ſed poſſit quoque in miſeriam præcipitare. Anceps itaque videt eſſe telum, quo & uti poſſit & abuti; &,perinde de quo conſilio locus ſit retinendúmne ſit an dimittendum.Mox ad alia penſitanda delabitur quæ cumVitæ uſurâ componit,& vel præfert vel damnat. Hoc cumprimis arripit, plura eſſe quorum ſingula ſpectata, meliora ſpectante ipſo, apparent; vel ſim pliciter vel in circumſtantiarum poſiturâ. Hæc omnia Vitæ ſuæ eſſe præferibilia conſpicatur, at enim non ſtatim præferenda: Cùm enim Actio hominis ab Agente determinato proficiſcatur, ita regenda eſt ut non toti Naturæ ſed ut huic Agenti ſit maximè congrua; cæteris verò, quatenùs ad hoc Agens referuntur. Unde evenit ut cæteris quoque ſit conſen-

ſentanea, ſed modum convenientiæ trahat ex radice à quâ oritur; ut ſit talis cæteris, qualem ab hoc Agente expectari fas eſt; non qualẽ ipſa ex ſe & ſuis propriis deſiderant. Quæ cum multa ſint, Agens verò unum, ex ipſo Agente unitatem & modificationẽ ducere apta nata ſunt; quod perficere Rationis per Prudentiam ſeſe gubernantis opus eſt.

2. Vitæ Damno affine eſt Periculum; cujus duplex eſt Æſtimatio. Prima fit ad ipſam Vitam; poſterior ad cætera Bona. Periculi ad Damnum proportio numerorum calculo certa redditur. Accepto enim ex actionum humanarum numero quota pars tanti numeri plerúmque intereat, habetur, per comparationem Partis ad Totum, quæ ſit comparatio Damni ad Periculum. Verbigratiâ, ſi in Expeditione navis Indicæ triennali, ex ducentis centum-quinquaginta plerúmque intereunt, deducto numero eorum qui triennio domi defuncturi erant, qui ſit viginti, proportio ſeptuaginta ad ducentos eſt proportio Periculi ad Damnum; & pretium Periculi eſt ea pars pretii Vitæ, quota pars Periculum eſt Damni. Comparationem Periculi ad cætera Bona vel præmia palàm eſt ex comparatione Vitæ ad eadem

eadem æſtimari. De quâ ut pro loco aliquid dicamus; Meminerimus ipſius *Vitæ* nomen (ſicut pleraque) *æquivocum ex conſilio* eſſe : Aliud enim volumus quando cum Ariſtotele Vitam dicimus idem quod viventi eſt *Eſſe*; aliud cum Vitam hominis in Activam dividimus & Contemplativam ; Tum enim *Actionem* hominis, ipſius Vitam appellamus. Et hic uſus nominis magis ad Philoſophum Moralem ſpectat, niſi fortè utramque rem intra unum nomen colligamus.

3. Quoniam autem hæc ſpeculatio comparat ea quæ ſunt impendenda acquiſitioni Beatitudinis inter ſe quaſi materialiter ſeu prævie ad hanc ordinationem, præſens diſputatio inquirit merita Partium reſpectu Totius; & proxima abſurdo videtur; quaſi quærat an Pars poſſet eſſe Toto melior, vel æqualis ; ſcilicet, an Vita ſit exponenda periculo, ut Actio aliqua habeatur. Dilutiùs eloquamur. Eſt quædam vita quam in operariis & ruſticis cernimus, laborem continuum, victum aſperum, requiem modicam : Eſt & alia commoda, labore mediocri ; commodis victûs, veſtitûs, & interpoſitæ quietis dulcis : Eſt tertia, tota commodis redundans, tota voluptati collocata (qualiſcumque illa

illa fuerit) ſive venationi & ruſticæ exercitationi, ſive Curiali converſationi & honorum aucupationi, ſive tandem cultui mentis per Scientiæ ſeu inveſtigationem, ſeu commercium & commutationem. Has poſteriores vivendi rationes, tanto ambiri videmus affectu, ut vitam facillimè pro his cultior pars hominum non dimittat modò, ſed projicere etiam Nobile & Honeſtum exiſtimet. Quærimus itaque quid Ratio doceat, quídve ex Affectu vel Opinione in his aſſumatur.

4. Et, ſi eos intueamur qui infimo Vitæ genere utuntur, & petimus; Si nihil poſt hanc vitam reliqui ſit, quid eorum bonis deſit quibus labor diem, noctem ſomnus brevem efficit, quorum curæ quotidianæ ſunt, non anxiæ, vel dubiæ, vel multùm moleſtæ; ſive, Quid delectationes cæterorum Vitarum majus habeant ad vitam ſine moleſtiâ & cum jucundo ſenſu exterendam? Prior illa vita tantùm non ad æqualitatem cæterarum aſpirare audebit. Ex Opinione itaque ſolâ eſt quòd utramque abjici, ſpe potioris, moliatur inquietus hominis ſpiritus. Etſi enim aliquantula Voluptatum penes tàm Quantitatem quàm Qualitatem intercedat diſparitas, ſi tamen ſolus hujus ævi decurſus attendatur, non facilè

facilè erit in tantum illam faſtigium evehere ut infimo generi vitæ prorſus præponderet. Ex adverſo autem in quolibet ſtatu invidendos homines præſtitit Prudentia. Quid Epicteto æſtimatius ſervili conditione mortuo ? Servulum Gregorianum & Thauleri Mendicum dubitemus ſuaviter & jucundè, hoc eſt, magnâ cum animi æqualitate degiſſe? Et, ſi hi poſtremi auxilio ſupra Naturam ſunt elevati, tamen (quod in reſponſis Mendici notari poteſt) Naturæ notiones illi ſalutares fuerunt. Quæ loquuntur Philoſophi ſi eadem viverent, non eos in hoc quem modò expendimus gradu felices redderent? Nunquam itaque pro potiori gradu etiam infimus abjiciendus erit. Jam vero quid Periculi cum ratione poſſit adiri ex ſingularum partium meritis eſt inveſtigandum.

6. Partes itaque adeamus, & hoc videamus, ſítne in vitâ aliquid boni præ quo Vita contemnenda ſit? Neque ambigere permittitur Bonum Rationis hujuſmodi eſſe, ſi quod tale ſit, excluſo ordine ad Beatitatem, quomodo in præſens diſſerimus. Cùm enim Rationis ſit in Actione humanâ eligere, vel nihil eſt præeligendum Vitæ, & ſequitur, Bonum Rationis incompoſſibile cum Vitâ, neutiquam eſſe reperibile; vel, ſi quod

ſit,

ſit, ſecundùm Rationem & ipſius juſſu eſſe amplexandum. Bonum itaque Rationis, magis quàm ipſum Electum, Vitæ præfertur. Verùm, ipſum Bonum Rationis, ſi nihil ſit ultra hanc vitam, ipſum mortale eſt, & cum vitâ perditur. Neque proinde judicare poteſt Ratio ipſum Rationis Bonum præferendum Vitæ. Repones, plus boni eſſe poſſe ex brevi ſed excellenti Bono, quàm ex longo ſed levi; &, quod ſequitur, Menſem nobiliter actum præſtare Anno ſordidè præterito: Unde, ſecundùm Rationem Annum vitæ poſſe periculo objici ad Menſem glorioſum obtinendum. Reſpondeo, quamdiu vita noſtra ad Æternitatem dirigitur, eſſe in illâ alias aliis præſtantiores Voluptates; at, ſi non niſi ad ſemetipſam comparetur, nobilitatis differentiæ evaneſcunt; & hoc unum quæritur, an Dulcedo faciat vitam non eſſe gravem viventi; Hoc autem Vino, an Ludo, an Sapientiâ fiat, parùm intereſſe ſi Ratione libretur. Sin comparatio fiat ad Perſonas, ſecundùm diverſitatem appetituum, pretia Voluptatum variabuntur.

TRUTINATIO TERTIA.

DE

Pœnâ & Dolore.

1. IN cæteris Malorum examinibus nihil adeò ſenſum corporeum terret quàm *Pœna*; ſive illa ex morbis & Naturâ proficiſcitur, ſive ab externâ violentiâ & nequitiâ. De quâ hoc primò interrogandum, an purè ſit Boni Privatio, an Natura aliqua de ſeſe noxia homini quam *Pœnam* appellamus. Ipſa ſiquidem evidentia ſenſûs hoc ipſum clamare videtur, & totâ ſe Homini intimare, Dolorem ſeu Pœnam poſitivum quoddam adverſum & maleficum ſenſui eſſe, & ipſummet ſentiri; &, quod ſequitur, Senſibile, hoc eſt, Ens materiale & poſitivum eſſe. Dividamus itaque Pœnæ vocem & ſuſcipiamus, aliter nomen Pœnæ dici de Inſtrumento Doloris, aliter de motu & impreſſione in ſenſum factâ,

ctâ, quam etiam Pœnam appellamus. Et primò videamus an ſentire dolorificum idem ſit quod Pœnam ſuſtinere vel percipere; Et, quantumvis innoxiè contrectemus flagella & equuleos, & quævis ferè pœnarum inſtrumenta, & propterea liceat aliquibus videri aliud eſſe ſenſum Inſtrumentorum pœnalium habere, aliud ſenſum Pœnæ habere, non tamen admodum ſubtilis ſpeculatio flagitatur ad cernendum eandem rem diverſimodè applicatam varium in ſenſu motum imprimere; &, quod ſequitur, non quamcunque ſenſationem corporis pœnalis eſſe Pœnam; Sed ſi certo modo adhibeatur facere dolorem, alióqui ſine dolore tentari; ut, cultrum ſi aliò tractes quàm pro acie, nihil ſcindis; neque tantum ſi premas, quantum ſi ducas.

2. Verùm, neque dum claret ſatis Veritas. Cernimus enim, experimentis quotidianis moniti, etiam ceſſante & ablato dolorifico, ſubſiſtere Dolorem. Unde arguatur, aliud eſſe Dolorem quàm ſenſum dolorifici. At enim etiam iſta oppoſitio malè cauta eſt. Fortaſſis enim etiam pœnale Inſtrumentum quod primò offendebat ſejunctum eſt, aliud tamen ſui vice, & continuativum doloris ſubſtituit, cujus ſenſatio

ſatio ſit Dolor. Sicut mas cùm feminam deſerit non ceſſat generare, cùm in feminâ reliquerit ſubſtantiam quæ vicem ſuam uſque ad formationem prolis ſuſtineat & proſequatur. Sic, ſi verum eſt quod plerúmque dicitur, diſſolutionem continui eſſe Doloris cauſam, cultellus aut aliud unitatem corporis ſolvens partes quaſdam aſperas corporis ſoluti diſcedens relinquit, quæ eandem dum coaleſcere molitur impediant & ſolutionem continuent; ſicut in ligno ſive ſerrâ ſive fiſſione diſſipato contingere apparet. Semper itaque Pœna ſeu Dolor ſenſatio erit dolorifici, etſi non omninò ejuſdem. Hoc ergò maneat, quòd, quoniam Objectorum eſt ſentiri non Actuum ſeu ipſarum impreſſionum, Pœna quæ ſentitur eſt Agens aliquod dolorificum, non ipſe Dolor partis dolentis. Neque enim inficias iverim poſſe impreſſionem factam in unam partem eſſe Objectum ſenſationis in aliâ parte: Tunc enim non pura impreſſio, ſed pars ipſa cum impreſſione vel ſecundùm impreſſionem ſit dolorifica. Sic non malè intelligitur Impreſſio à Pœnâ in ſenſu externo facta movere Phantaſiam ut Objectum ipſius, & eſſe objectum doloris qui in ipsâ intelligitur. Si tamen in Phantaſiâ poſſit intel-

intelligitur. Si tamen in Phantaſiâ poſſit intelligi Dolor; Virtutis enim cognoſcivæ eſt ad Malum & Bonum eſſe indifferentem; Pœnæ autem & Doloris averti à Dolorifico: Sed, ex adverſo, ſine Cognitione non eſt Pœna. Neque poteſt itaque Pœna eſſe ubi purus eſt ſenſus ſeu Cognitio, neque ubi nullus. Pura enim Cognitio ſine Pœnâ eſt, & ablatâ Cognitione deficit continuò Pœna.

3. Quid ſupereſt niſi ut Pœna ſit ubi Cognitio & Averſio ſimul conſiſtunt, & idem quodammodò motus ſunt? Hoc autem in Corpore non poteſt contingere, non magis quàm eandem aquam tranquillam eſſe & in curſu, claram & perturbatam. Pœna itaque & Dolor non niſi in Animâ ſunt, in Spiritu, & Mente; & motus ſeu impreſſiones, ſive in cæteris Animalibus ſive in Homine, Pœnæ comites, in variis non eâdem parte Corporis, ſecundùm earundem partium conditiones & capacitatem, prout acrius aut lenius ſpiritibus animales concitari contingit. Ex his facilè dilucet Dolorem ſeu Pœnam, quatenùs in ſenſu ſive exteriore ſive interiore collocatus eſt, dicere Impreſſionem noxii in eodem factam; palam enim eſt Agens dolorificum, ſi fortius evadat, ipſum ſenſûs

organum lædere & corrumpere. Veruntamen, quatenùs hæc impreſſio ſenſui attribuitur, non eſſe noxiam; Senſus enim, ut ſenſus, ſentiendo neque læditur neque juvatur, ſed quatenùs Vegetativæ Naturæ particula eſt. Quid itaque quaſi ſubſtantialiter & materialiter eſt Dolor in ſenſibus corporeis? Non aliud certè quàm mixtio corpuſculorum quorundam à noxio corpore deciſorum, cum fluore illo nervis comprehenſo, vel cerebri quibuſlibet ſeu vaſibus ſeu cavis, in quo eſt vis appellendi prædicta corpuſcula virtuti Spiritali quam Intellectum appellamus. In ſpiritibus verò, in viſceribus & maximè circa cor, functionibus Animæ miniſtrantibus, eſt motus quidam violentus & inordinatus inæqualem diſpoſitionem regimini corporis inferens. Tandem, quoniam Anima Corporis analoga eſt, erit in eâ Dolor vel Pœna Impreſſio quædam & quaſi motus, proportionatus impreſſionibus & motibus à dolorifico in membris primò ea recipientibus cauſatis.

4. Sic explicata Pœna primo aſpectu ſeſe præfert eſſe Poſitivam; cùm ſit diſpoſitio quædam incompoſſibilis cum rectâ diſpoſitione, quam eſſe Poſitivam nemo diffitetur. Sicut enim Quadrata figura æq;

po-

poſitiva eſt atq; Hexagôna vel Circularis, & ſimiliter Cubica æque poſitiva atque Eicoſahedra vel Sphærica, neque minùs poſitivus eſt motus curuus quàm rectus; Sic neque Impreſſio quælibet delens Naturalem, minùs eſt poſitiva quàm Naturalis. Sed, ſi hæc ſic ſe habent, unde eſt quod Malum univerſaliter inter Privationes, vel quaſi ipſam Privationis rationem, nominamus? Unde eſt quod Poſitiva omnia Entis & Boni familiis addicimus, & Deo Parenti adjudicamus, Mala Nihilo & tenebricoſo Non-Entitatis chao reddimus tanquam originis Authori? Certè cum abundent Mala præ Bonis, quoniam ſunt ex quolibet defectu, rara autem ſit integritatis collectio quæ ad Bonum requiritur, fæcundior cauſa Malis quàm Bonis tribuenda erit. Et quidem, poſtquam Poſitiva ſunt declarata, etiam Cauſa Poſitiva erit; quæ, præter Manichæorum Deum, qualis excogitari poſſit? Attamen, ſic neceſſe eſt eſſe ut omne quod dicimus Malum, Poſitivum ſit; imò (quod magis implexum videtur) etiam Bonum; neque diſtare poſſunt Malum & Bonum, niſi ut magis & minùs Bonum. Ut enim Malum ſubſiſtat & ſit, Ens eſſe oportet; &, ſi Ens, item Bonum. Omne itaque Malum non niſi

minus quoddam Bonum eſt. Et conſtans eſt Logicorum Axioma, *ſub eodem genere eſſe Contraria*; cùm tamen, ſi Malum purè non-Ens foret, non poſſet eodem cum Bono gene:e comprehendi. Idem itaque Author eſt Rerum quæ dicuntur Malæ, atque Bonarum. Neque deterrimum deteriorum principium ſtatuendum eſt, ſicut meliorum optimum. Deterrimum enim neque ſubſiſtere haberet, cùm pejus eo foret quod non ſubſiſtit, ſeu minus non-ente; nedum Principii & Fœcunditatis poſſidere nomen.

5. Supereſt, quare Mala Privationi computemus, quærere. Neque difficilis erit indagatio, ſi adverterimus, quod Bonum in ſeſe eſt, nos alteri Malum appellare. Quare Malum non ſignificat conſtitutionem rei in ſe, ſed reſpectu alterius; quaſi dicas, Excluſivum perfectionis ab alio. Exemplo eſto; ſi Circularem figuram perfectiorem Quadratâ acceptemus eſſe, & in cerâ quæ utriuſvis capax ſit inſit Quadrata, vocari nata eſſet Mala; non quòd de ſe non ſit Bona, ſed quia excludit meliorem. Sic eſt omnium Malorum ratio; propterea Mala ſunt, non quòd non ſuum Boni & Entis pretium ſint ſortita; ſed quòd potiora, & per conſequens

ſequens quandam rationem Boni quæ in ipſis non eſt, impediant & à ſubjecto excludant. Cùm itaque formaliter, & per hoc quòd ipſa inſunt, hoc præſtent Mala, & Enti Bonitatíque formaliter non-Ens & Privatio opponantur, palàm eſt Malum, quatenus Malum, ſemper privativum & nullius eſſe Naturæ. Utcumque non ſubſtantia ſola cui ineſt, ſed etiam forma ſeu diſpoſitio ad quam immediatè ſequitur notio Mali, ipſa quoque poſitiva ſit; vel ſimpliciter, vel quantum præſentem quæſtionem ſpectat. Pœna itaque quandoquidem & Mala eſt, & ſaltem videtur Malorum Maxima, in privativo poſita eſt quatenùs talis eſt, etiamſi forma quam conſequitur ſit poſitiva, quia Indolentiæ vel Voluptatis, quæ in eſſe debebant, formas prohibeat; ut quæ ſint cum ipsâ incompoſſibiles. Sed hæc pænè Phyſica ſunt, ibíque tractanda.

6. Ad Mores hæc accommodantes proximè advertimus, Pœnas quaſi maximè Naturæ adverſas ſummoperè horreri; quid cauſæ ſit, inquirendum. Et rurſus, Pœna pro dolorifico *actû*, hoc eſt, ut inferente certam impreſſionem, ab ipsâ Pœnâ ſeu dolore qui in Animo conſequitur, diſtinguenda eſt. Et, ſi rectè judicemus, comperiemus

Pœnam, quæ verè talis eſt, adeò non horreri ut magis diligatur; Objectum autem, ſeu cauſam è quâ proficiſcitur, ſeu pœnoſi Actionem, eſſe quæ horretur. Quid enim aliud eſt impreſſio & motus in Animâ, quam propriè Dolorem & Pœnam eſſe diximus, niſi Conatus quidam, ſive efficax ſive inefficax, hoc eſt, ſive applicatus operi ſive duntaxat ipſum afficiens Animum (qui eſt deſperabundorum dolor) ad avertendam dolorifici impreſſionem. Hunc autem odiſſe quî poſſumus, cùm ex intimâ & fortiſſimâ mentis impreſſione liberrimè naſcatur. Hinc experimur quolibet dolore intimè tactos nolle ab illo liberari; ſed quærere deſertas ſtationes ubi totum effundant, imò & cogitationibus repetitis illum alere, & interdum incuſare ſe quòd non ſit major. Quid quòd naturaliter Dolores quærimus? Si vulneratus eſt quiſpiam, ſi miſerè laniatus & interfectus, accurrimus; & conſpicati, dolemus & indignamur. Tragœdias & Comœdias cum fletu celebramus, neque abſtinere volumus. Non itaque Dolorem & Pœnam, quæ formaliter talis eſt, horremus; ſed eorundem cauſas, ſeu Cogi ad Pœnam & dolorem.

7. Ex dictis diſpici poteſt duplex pœnis

nis affectorum ordo; unus eorum qui pœnis & dolorifico cedunt; alius eorum qui adversùm conantur & pugnant: Ex quibus Cedentium dolorem eſſe graviorem cæteris paribus non eſt dubium; cùm, quamcunqúe potentiam & ſpirituum copiam habeant, eam totam in apprehenſionem gravitatis Mali impendant, nullam verò partem ad quærenda remedia. Cùm ex adverſo quanta pars ſpirituum opponitur dolorifico, tantum Animus à ſenſu & dolore avertatur. Unde, ſi adeò Fortis quisquam reperiri poſſet, ut totâ ſpirituum copiâ ad avertendum malum uteretur, pro Dolore duntaxat Laborem ſentiret. Tandem itaque eò deventum eſt, ut cur Pœnæ tantum timeantur, & quis ſit timendi modus quærendum ſit. Et hoc pro foribus ſeſe oſtendit, quod Dolorificum ſeu Pœnale quatenùs tale, per ſe ſit corruptivum Cerebri; Senſus enim & Cognitio in eo tantum reſident & principiantur. Cerebrum autem eſt primus fons Animalis Vitæ, ſicut Cor Vegetativæ. Palàm itaque eſt, totam vim Animalem impeti quoties Cerebrum læditur, vel illa pars Cerebri quæ Animæ ſedes eſt; & quantùm ipſius ſedes eſt. Clarum itaque eſt, ſi Natura ſit rectè conſtituta, totâ Animalitate tali

 hoſti

hoſti repugnandum eſſe; hoc eſt, omnibus ſpiritibus & nervis fugiendam Pœnam tanquam interemptricem Animalis; quandoquidem Animalem Vitam, quæ ſola verè vita eſt, trucidet & aboleat; &, quod ſequitur, Mortis rationem habeat Pœna ſi amentiam inferat, etſi vegetandi radicem non lædat; cum Animalitas non Vegetabilitas propriè ſit Vita.

TRUTINATIO
QUARTA.

Quando acceptandæ ſunt Pœnæ.

1. VErùm, protinùs Pœnæ litem facit Voluptas, nè fortè ſicut Vita ſic Pœna etiam ipſi præferenda ſit, cùm tamen videatur Pœna fugienda quia tollit Voluptatem. Privatio enim Boni propterea odio habetur quia Bonum amatur; alioquin enim indifferens foret ſuſcipienti ejuſdem privatio. Hanc litem ut dirimamus

mus in mentem revocandus eſt certus Animi ſtatus, quem plures, & interdum ipſe Epicurus, Indolentiam appellant. Hic videtur medium obtinere inter Pœnam & & Voluptatem. Verùm, non eſt temerè concedendus talis Hominis ſtatus; ingrati ſiquidem ſimus Authori Naturæ niſi in ſingulis actionibus noſtris, quas ſcientes & volentes exercemus, Voluptatem agnoſcamus. In cibi & potûs & commercii familiaris uſu tam illuſtris eſt Voluptatis comitiva, ut nemo ignoret, nemo dubitet ferè totas eſſe Voluptuarias. Operas Artificum non ſine Voluptate peragi inde conſtat, quòd, cum mutantur quæ uſu inoleverunt, malè ſibi eſſe, ut piſci extra aquam, queratur Manuarius. Studium ipſum quod in excitatioribus animis cernimus, & ſollicitudo rectè agendi, arguunt comitem Delectationem. Quare, ſi advertentes agimus, ſi (ut loquitur Stoicus) agimus non agimur, cum Voluptate hoc fit. Imò verò etiam cum agimur, Inſtrumentum quo nos in actione tenet & ipſam ad perfectum producit Natura, eſt quidam dulcedinis ſenſus quem Voluptatem appellamus; quæ adeò neceſſaria eſt actionibus humanis, ut neque ipſam pœnam deſerit, ſed cum ipſâ ſociatur.

 Non

Non itaque eſt ullus ſtatus Indolentiæ; quem ſomniabant Cyrenaici; Et, ſi foret, ſaxi vel ſtipitis laus foret, non Hominis: Si enim ex cognitione operari & agnoſcere bonum ſuum illi concedamus, de eo quod ſibi benè ſit delectari fruſtrà pernegemus.

2. Attamen, etſi reâpſe non ſit ſtatus humanus ſine voluptate vel dolore, tamen, ut commercium humanarum notionum fert, illæ operationes quæ quotidianas Voluptates vel etiam Pœnas nihil eminentes comportant, comparatæ cum illuſtribus quibusdam vitæ fructibus, ſive dulcibus ſive amaris, ſuâ æqualitate & quaſi humilitate ſtatum quendam ab utriſque immunem, atque adeò non malè voce Indolentiæ ſignificabilem, videntur conſtituere. His ita declaratis, ſi inſignes Voluptates non præferendæ ſint, hoc eſt, eligendæ non impedientibus Malis, non foret cur inſignius aliquod Malum tolerandum foret. Neque deſit fortaſſis etiam ex Philoſophis voluntariam necem probantibus qui hoc admittat, neque quicquam in eo abſurdi videat; imò, ſi nihil ſuperſit Morti, etiam & noſtris dictis conſequum exiſtimet. Sed, utut fuerit, certè & inopinatum eſt & à Naturæ regulis alienum; cùm flos humani

ni Generis & gloria humanæ Actionis tota interiret, nemine quicquam arduum ex Rationis juſſu tentante. Neque à nobis dictorum intereſt quæ abſurda Theſim falſam conſequantur.

6. Sed Voluptatis & Pœnæ vim ex propriis aggrediamur; & hoc primò ſe offert, utrumque diuturnitate & vigore æſtimari, & utrumq; horum in Voluptate magis eminere. Cùm enim Voluptas conformis ſit Naturæ, adjuvante & favente fit Naturâ; Si itaque tam potentes ſint externæ cauſæ ad placentia congerenda quàm ad adverſantia, neceſſe eſt Voluptatem, Fortitudine & Vigore, Dolori antecellere. Cúmque ad Hominis bonum præparatam eſſe Naturam concludat Philoſophia, æquum eſt æſtimare Voluptatis cauſas eſſe vehementiores. Tantundem de Perpetuitate par diſcurſus clarabit. Palàm ſiquidem eſt quæcunque Voluptatem conferunt, eadem ad ſanitatem & perpetuitatem conducere; conſtantior itaque eſt ex Voluptate recta corporis affectio, & quò ſanitas perfectior eò etiam Voluptas diuturnior; quæ, cùm contraria in Pœnis eveniant, non adeò diuturnas eſſe pœnas continget. Neque latet immodicas Voluptates etiam ipſas Corpori nocere: Sed

niſi me ſeducat animus, quæ Immodicæ vocantur non ſunt computo perfecto Majores; ſive quia nocumento quod comitatur, alias non compenſatrices tantùm ſed etiam ſuperatrices reddunt; ſive quòd ipſa earum vehementia nubilo quodam ipſum ſenſum involuat, & turbidam pro defœcatâ exhibeat ipſam quâ fruuntur; minorique animum perfundat dulcedine.

4. Hinc ad magis propria ferimur; & ſi Doloris creandi inſtrumentum ſit Diſſolutio continui, & illa non quælibet ſed quæ ſalvo ſenſu talis evadit, fit Pœnarum poteſtatem certo & brevi limite contineri, eo putà qui intra ſensûs læſionem ſeu obſtupefactionem continetur. Sic in ſectione nervi dolorem vix notari, in punctione vix ſuſtineri docet experientia; ſanie & pædore magis quàm ferro & igne incrudeſcere vulnera, & prope amentiam indici ægroto. Si itaque inſtrumentum Doloris hujuſmodi ſit, ut in diſſolutione Continui ipſius Actio conſiſtat neceſſe eſt inſtrumentum Voluptatis in conſervativis Unitatis quærendum eſſe. Et experimenta indicant tres Senſus inferiores humore quodam pingui & ſalutari corporis conſervationi & dilatationi & cocoherentiæ, titillari; quod idem de Aure

leni

leni auræ affrictione demulcendâ par eſt ſuſpicari ; Oculum tandem innocuo Ignis, hoc eſt, caloris, afflatu delambi & foveri. Et ſtatim confectum eſt ſubtiliores eſſe ictus flammarum qui luceant quàm qui torreant : Voluptatem proinde Oculorum tormento ſenſus per ignem penetrabiliorem eſſe & præſtantiorem. Quod, ſi reliquis ſenſibus applicemus, in univerſum confectum erit ſummis Voluptatibus acui ſenſus, Tormentis obtundi; atque adeò delectationes Senſûs plus ſenſûs & cognitionis habere quàm pœnas ; neque tàm graves eſſe Pœnas, quàm jucundas Voluptates. Sic in genere & abſtractè determinatum eſto. Quæ modò Voluptas cui Pœnæ ſit anteferenda, etſi aliquid etiam ſcientificè pronuntiari poſſet; tamen ipſe campus proprius eſt Prudentiæ, & ad ipſam remittenda eſt conſideratio.

5. Nos vocat alia quæſtio ; num Vitæ præponenda ſit aliquando Pœnæ vitatio? hoc eſt, an certa potiùs Mors aliquando acceptanda ſit quàm pœnæ ſubjacendum ; quæ & ex vi dictorum, & ex accidentibus perpendi poteſt. Nam Pœnam conſequuntur interdum mala ipsâ Pœnâ graviora. Sic Job orabat pœnis per

Mortem liberari, nè victus blaſphemaret Deum. Sic non rarò terrefacti pœnis Rempublicam produnt puſillanimes. Hujuſmodi itaque mala ſi quis vereatur, hoc eſt cum ratione expectet, Mortem non malè præeligit. Clarum enim eſt Bona Animæ & Reipublicæ eſſe Vitæ preferenda. Sed occupabit adverſarius non poſſe cum ratione hoc timeri, quandoquidem in Voluntate & liberi arbitrii poteſtate ſint poſita. Verùm hæc interpellatio eſt hominis cætera præ ſemetipſo cognoſcentis. Si enim vel Cognitionem volitioni præviam non ſine tempore, non ſine externâ ope, in quæ obſtantia nata ſunt incidere, acquiri intelligeret, non ſic loqueretur. Attendamus longam & difficilem exercitationem antiquorum Eremitarum quâ Fortitudinem comparabant, & debilitatem Animi quæ in modernis Religioſis, etſi inter continuas redargutiones & meditationes viventibus, reperitur; ſatis apparebit non ſine ratione à pœnis ſibi timere prudentes, & plerumque ignaros ſui eſſe qui tam fortiter loquuntur dum pericula abſunt. Non itaque ſemper condemnandi ſunt qui mortem pœnis antehabent.

6. At, ſi purè comparentur, hinc Mors illinc Pœna, quanta ſit Pœna, tũ quoad vehemen-

mentiam tum quoad durationem, examinandum eſt; & illam pœnam vehementiſſimam dicamus quæ vi ſuâ amentiam infert, ſeu pro tempore non permittit cogitationem liberam; ſive ex potentiâ Agentis, ſive ex debilitate reſiſtentis hoc habeat; Et hanc ipſam ſi brevis ſit non conferendam Morti facilè etiam à debili Animo obtinebitur. Propterea ligari ſe permittunt in Chirurgicis curationibus plerique qui de Animi fortitudine ambigunt. Sed adeò evidens eſt ratio ut vix diſputationem patiatur, ſi ad futuræ vitæ rationes calculus ducatur; emolumentum enim, inter Pœnæ & Mortis ſtationes medium, omnem vitatæ pœnæ dignitatem abſque proportione excedit. Rurſus, ſi ad hujus vitæ rationes penſetur, etſi reverâ nihil in hâc vitâ æſtimabile maneat, tamen ſi rationes Boni & Mali ad ſe comparemus, patet ex ſuperiùs de Voluptate dictis, plus Boni in ſequenti vitâ expectari poſſe quàm brevis Mali redemptione natum ſit compenſari. Si autem faciamus pares durationes hujuſmodi Pœnæ & Vitæ, nihil dubitandũ quin præferenda ſit Mors; quia reverâ Animali vitâ exciderit qui ejuſmodi vitæ ſit damnatus. Si tamen rectè Naturam æſtimemus, tanta pœnæ duratio non videtur timenda;
cùm

cùm enim ipſe dolor Naturam labefactet, palàm eſt non poſſe eſſe continuè diuturnum in exceſſu de quo eſt ſermo. Ex quo facilè eliciatur raró præferendam eſſe Mortem puræ Pœnæ, ſi nihil prætereà reſpiciatur.

7. Roges, cur itaque tantoperè defugiant pœnas plerumque homines, & parati ſint morti magis ſeſe exponere? Et reſponſum non eſt longè petendum; Cùm enim pariter afficiant hominem *non eſſe* & *non videri*, & quod non eſt non videatur, qui autem in pœnis eſt maximopere eaſdem voce & corporis motu quo quietem quærit demonſtret, clarum eſt cadaveris aſpectum nihil tanti terroris inducere quantum facit tormentorum ſuſtinentia. Unde non mirum quòd magis Pœnas quàm Mortem horrere conſuevimus. Hinc etiam eſt quòd molles carne (quos eſſe magis aptos Mente docet Ariſtoteles) magis timeant pœnas, quàm tardiores: Ubi enim Senſus eſt hebes, etiam pœna non adeò penetrabilis eſt. Rurſus, qui pœnis aſſueti ſunt parùm eas formidant, quia experientia aufert illam partem terroris qui ex opinione rei inexpertæ aggravat animum ignarum Veritatis. Adde quòd ipſe ſenſus aliquo modo exercitio occalleat, ut in ſervis qui per-

perpetuò

petuò flagris ſubjiciuntur apparet. Similiter qui multâ meditatione ſeſe paraverunt ad eas, fortiùs & conſtantiùs eas tolerant, maximè ſi conſtanter ſint affecti ad cauſam eaſdem perferendi. Propterea & Sancti Martyres viſi ſunt ſibi parva pati. Sic *Scævolæ*, & *Reguli*, & Tyrannicîdæ aliqui tormenta contempſerunt; & proculdubio non tam acria ſenſerunt quàm molles corde. Cùm enim ex multitudine ſpirituum affectus moventium neceſſe ſit motum eſſe vehementiorem, ſi dimidios vel ampliùs ſpiritus ob gloriam facti exultabundos & ad alia applicatos habeant, palàm eſt & ſubductione & oppoſitione minui futurum alióqui doloris modum.

TRUTINATIO QUINTA.

DE

Comparatione Fortitudinis ad Pœnas.

1. CUrioſior aliquis urgeat, uſque eóne Fortitudo Animi ſurgere poſſit ut omnem omninò doloris ſenſum extinguat? Partienda eſt reſponſio; Si de brevi aliquo ſpa-

ſpatio quæratur, nihil dubii eſt: Sic enim in Bello & attentâ admodùm actione experimenta docent vulneratos etiam neſcire quæ patiuntur mala. Sed quieto alióqui animo, neque præveniri poteſt ſenſus doloris, neque diu omninò averti; dico, ſolâ Animi conſtantiâ; (Stupore enim vegetativis viribus inducto clarum eſt poſſe.) Quod adeò claret quàm exterioris mundi potentiam corpore noſtro fortiorem eſſe, & ſedulitatem Animi ſibi invigilantis irritationi externorum objectorum perpetuæ ſubjacere. Quæ dicta ſunt de Pœnis, de iis quoque quæ ex morbis naſcuntur, & non de his ſolis quæ ex Fortunæ imperioſitate hominibus incidunt, concludere æquum eſt, Cum proportione quoque ad labores, præſertim graves, applicandæ ſunt reſolutiones datæ; nempe Triremium, metallorum, & quoſcunque alios ad quos damnantur & coguntur infelices. Nam, ſi prudentes ſunt qui penſa exigunt, & id curent ut non tam ſubitarium quàm maximum emolumentum ex hujuſmodi ſervitiis captent, vita horum ex eo genere erit quod cum Morte commutari non eſſe æquum in ipſis principiis deduximus.

2. Carcer an Pœnis annumerandus ſit, in modo ipſius poſitum eſt. Ubi enim Carcerem

cerem integrant catenæ, pædor, ſqualor, immundorum Animalium & immunditiarum horror, & frigoris humoríſve intemperies, & tenebrarum victûſque parci rigor; cùm hæc omnia mala Naturæ ſint, palàm eſt Carcerem Pœnæ rationem, & quidem gravis, ſortiri. Ubi verò non aliud ſonat Carcer quàm reſtrictionem à conſortio humano, etſi Homo dicatur Animal naturâ ſociale, tamen non cum rigore Pœna Corporalis cenſetur, etſi ſit in eâ ſpecie quæ meritò Deſolationis appellatur, in quâ delectationes mentales (quantum eſt ex intentione incarcerantis) interdicuntur. Cùm neque lux, neque legendi vel ſcribendi facultas, aut colloquendi cum ipſis cuſtodibus libertas permittatur; Unde ipſe Animus fit ſibimetipſi gravis. In Pœnarum tamen catalogum hæc ipſa incarceratio cum rigore non inſeritur. Etenim, quæ corpori ſunt mala, eidem ex vi & poteſtate ipſorum Agentium moleſta & nocentia ſunt; hæc verò duntaxat ex infirmitate & ægritudine Animi neſcientis ſuis bonis frui; quæ ſi noviſſet, ultrò hæc mala amplexaretur.

3. Narratur de Comite quodam Hiſpano qui Philippi tertii gratiâ abuſus plura enormia perpetraverat, quòd carcere perpetuo

petuo damnatus,cum interdicto nè alium quàm unum Sacerdotem, qui expiandæ Conſcientiæ ſerviret, alloqui permitteretur; poſtquam ſeptendecim aut circiter annos hujuſmodi vitam exegiſſet, libertatem oblatam repudiaverit; dulcedine ſolitariæ vitæ prælatâ conſuetudini confamiliarium. Quis dubitet Anachoretis, imò & Monachis aliquibus, blandiſſimam eſſe Cellarum vel Eremi ſolitudinem? Certè, cùm delectatio Mentis propria ſit, neceſſum eſt illas cogitationes maximè illecebroſas eſſe, quæ de iis quæ Mentem magis afficiant, hoc eſt, de objectis ſecundùm ſolidæ Rationis dictata Animum ſeu beatificantibus ſeu ad Beatitudinem præparantibus, exercentur; à quibus (heu!) quantum abſunt quæ ſive negotiis ſive familiaritatibus humanis impenduntur. Non itaque Naturæ mala eſt Incarceratio ſi inter limites proprios Incarcerationis contineatur, ſed ex infirmitate Animi patientis.

4. Ex hâc concluſione facilis eſt deſcenſus ad cætera quæ æſtimantur Mala. Exilium enim quædam Incarceratio eſt, cùm ſit interdictio à neceſſariorum & familiarium commercio; cæteróqui aliorum colloquia & ſolatia permittit, ſi non talium quales gratos habet exul, ſaltem Hominum. Jam Spo-

Spoliatio, ſive de dignitatibus & officiis, ſive de Bonis Utilibus Fortunæ intelligatur, modò ſufficientia Naturæ ſint relicta, adeò nihil Pœnæ reſpectu Animi rectè conſtituti ſonat, ut etiam liberatio quædam ab incommodis & curis haberi debeat; quoties ex neceſſitate contingit, quæ hominem à benefaciendo aliis abſoluit, Quo tandem loco reponendum eſt Dedecus, Neglectus & deſpectus; Convicia quoque & Infamia falſa, ſeu de crimine non vero? Quæ non aliud dicunt quàm falſam opinionem temerè de innocentiâ & probitate cenſentium: Quæ, quantò leviora ſint ipsâ conſcientiâ rectè factorum, teſtis ſit qui ait,

> *Sed nil dulcius eſt benè quàm munita tenere*
> *Edita Doctrinâ Sapientûm templa ſerena;*
> *Deſpicere unde queas alios, paſſímque tueri*
> *Errare, atque viam palantes quærere vitæ.*

Hujuſmodi itaque putatitia Mala, ſi in Animum verè fortem inciderint, maximæ delectationis ſunt; ut quæ hominem ſuæ ſupra vulgus eminentiæ commoneant. Moderatio verò Animi circa hæc ad Tem-

Temperantiam ſpectat, non ad Fortitudinem.

5. Mala modò quæ Fortitudo reſpicit vel ſunt vitanda vel toleranda;& palàm eſt Fortem ad priora Agentis habere rationem; ad poſteriora, Patientis, ſed nihil conferentis.Et, ſi cortice tenus hæc ſpectemus, apparebit illuſtrior in Agendo Fortitudo, ſed æquivocè. Verè enim Homo quem Fortem dicimus in Agendo illuſtrior eſt, ſed non Fortitudo. Niſi enim vigore naturalium bonorum polleret qui adverſus ejuſmodi mala pugnat, ea non valeret depellere, & imprudens in tali opere cenſeretur. Propter Naturales itaque Vires magni habetur vincens mala, & non propter Virtutem ſolam. E diverſo, Suſtinens ſolâ Virtute pugnat; ſuus prorſus eſt, non paſſione agitatus ut aggreſſor; ſpe non adiutus, malum Præſens & non vitabile conſiderat;quod Pugnans abſens, & fortaſſe non futurum æſtimat. Rurſus, inferior ſibi videtur, cùm Agens ſe ut actu exiſtentem & ſuperiorem accipiat. Tempus ipſum Patienti longum eſt, Agenti multò magis volatile. Ex omni itaque parte robur Animi in Patiendo magis elucet quàm in Agendo. Quamvis, ſi volumus exactè rem trutinare, etiam cum Fortitudinem in A-

gen-

gendo laudamus, non aliud quàm Patientiam ipſius admiramur. Eatenùs enim Fortem exiſtimamus, quatenùs inſultum oppoſiti mali immotus ſuſtinet; hoc eſt, non cedit præſenti & gravanti malo, quod non eſt aliud quàm *pati*; quæ tamen Paſſio eò minor eſt quò magis conjuncta habet quæ meminimus Bona.

6. Ex his facilè dilucet Ariſtotelem vulgi laudibus ſeductum pronunciaviſſe, Fortitudinem bellicam ſupremam Fortitudinis ſtationem occupare. Quis enim prudentium Politicorum Fortitudinem Reguli vel Curtii non præferat Cæſareæ vel Scipioneæ. Hi per aliorum pericula eminuerunt; illi ſoli pugnaverunt, ſinguli toti quodammodò exercitus fuerunt; ut omittam quæ recens deduxi, Certantes Periculum minùs, Bona magis fruenda ſibi propoſita habuerunt. Athenis non minùs claruerunt Harmodius & Ariſtogîton, quàm præclariſſimi Duces. Sed in ipſo quoque Bono eligendo defecit, qui Bonum publicum privato præpoſuit; cum Bonum Publicum plerumque (hoc eſt, quoties Religionis causâ non bellatur) non extendat ſeſe ultra Bona Fortunæ; quæ ipſi Philoſophi, dum de ſingulis loquuntur, inferiora Virtute locant; cum de Publicâ Re, quaſi attoniti

attoniti Communitatis nomine , omninò obliviſcuntur Virtutem : Scilicet , quia Virtutem omnem ad hæc fermè bona adornabant; Diligebant enim Hominum gloriam præ Veritate. Nobilior itaque & magis celebranda erat Virtus Catonis aut Fabii Maximi, qui rectitudinem & Veritatem cum periculo calumniæ vel vitæ defendebant adverſus opinionem vulgi; quàm Deciorum, ant Leonidæ, aut Codri, pro ſolo bono populi & fortunarum vel gloriæ progngnatione certo ſeſe exitio exponentium. Etſi enim præferendum ſit Bonum Commune privato, qualitas tamen Bonorum etiam in libram conjicienda eſt; ut, qui Boni communis Spiritualis causâ periclitatur, Fortiſſimus ; qui privatæ Beatitatis gratiâ, ſit proximus: Hos ſequantur qui Publica Commoda , ultimò qui Privata per pericula ſibi vel ſuis conquirant.

7. Magis dubia eſt illa quæſtio an Actio fortis delectet Fortem? Neque ſi de Forti Agente eſt inquiſitio, adeò difficilis eſt: clarum enim eſt ingentem illum Animi motum quo in Bellum alacres feruntur Milites non ſine magnâ delectatione eſſe. Vidi aliquando exultantes expectatione prælii. Qnando verò Victoria ad ſuas partes inclinat,

nat, vix explicari poteſt quantâ lætitiâ pugnent honoris & prædæ avidi: Et celebre eſt illud —— *Olim meminiſſe juvabit.* Patientem verò hæc deſtituunt. Non tamen Scævolæ negare poſſimus gaudium in ipſo cruciatu, non Amilcaris aut Gulielmi Arauſionenſis interfectoribus, & ſi qui alii gloriam facti majorem pœnis exiſtimaverunt. Sed neque illos, qui certâ futurorum ſpe inter ſupplicia animantur, lætitiâ fraudari convenit; cum Spes ſine Delectatione eſſe non poſſit. Unde non mirum quòd illuſtriora ſint exempla Martyrum Chriſti quàm Antiquæ Legis, in quâ magis Timore ducebantur quàm Spe; Spes enim ipſorum longinqua erat; Martyrum, imminens; cùm ſtatim poſt diſſolutionem cum Chriſto ſint. Non tamen inficiandum magnæ Fidei eſſe etiam corporaliter adeſſe tantam lætitiam, ut valeat ſe prodere invitis ipſis doloribus, & eos excedat etſi non extinguat. Unde Ariſtoteles non ampliùs à Forti exigit quam ut non triſtetur. Memorabile eſt exemplum cujuſdam Presbyteri noſtratis, qui cùm duceretur ad ſupplicium conſuetum ſuſpendii cum eviſceratione, toto corpore tremens conteſtatus eſt populum nè de conſtantiâ ipſius dubitaret,

quoniam *Spiritus promptus eſſet* , *etſi caro infirma*. Quod ipsâ re præſtitit; mortem ſubiens , cùm minimo verbulo ab eâ ſe eximere poſſet.

TRUTINATIO SEXTA.

DE

Actu & Habitu Fortitudinis, eorúmque Subjecto.

1. ACtus Fortitudinis, cùm non ſit Indiviſibilis, partes habet quodammodò heterogeneas. In principio enim Magnanimitas appellatur ; eſt enim proprium quodammodò Forti aſpirare ad magna. Primus autem gradus ad actionem *Fiducia* eſt: Dum in actione eſt, *Conſtantia* appellatur; quâ fit ut non ſuperetur ab adverſis. Tandem, ſi adverſa multum durent, eadem Virtus *Perſeverantia* appellatur. Unde evidens fit, has Virtutes non niſi eandem in diverſis eidem actioni communibus ſtatibus eſſe ; Actio ſiquidem Viri Fortis ſeu Magnanimi abſque his omnibus perfici non

non poteſt: Imò, neque alterius alicujus Virtutis. Virtutes enim omnes analogæ ſibi ſunt,ſed propriis materiis diſterminantur. Unde hæc nomina, quia Difficile & Arduum pro ſcopo habent, magis propriè reperiuntur in actionibus Fortitudinis, & quaſi per ſimilitudinem in reliquis. Sic heroicè Temperans eſt Magnanimus dum cum Fiduciâ aggreditur jejunium totius vitæ; Conſtanter rejicit perſuaſiones avertentium; Perſeveranter contemnit longitudinem pœnæ; & ſic in cæteris par analogatio explicari nata eſt.

2. Ex dictis facilè patet ratio vulgaris illius deceptionis quâ pro fortibus accipiuntur qui verè tales non ſunt. Cùm enim Fortitudo ſit Virtus, hoc eſt, ex Ratione procedens; qui ex eo quod neſcit quantitatem periculi facit opera Fortis, verè non eſt Fortis; ſicut, qui per iram aliquid agit, vel ex inconſideratione & ſtupore. Similiter, qui Experientiâ vel Arte ſiſus contemnit pericula, non eſt Fortis; vel certè non æquè fortis ac eſt, qui, periculum æſtimans majus quàm eſt, ex Ratione, & intentione Boni potioris illud amplectitur. Clarum enim eſt, quoniam Virtus ex Animo dependet & per conſequens ex cognitione, Malum quod quis amplexatur tantum eſſe quantum æſti-

matur eſſe. Non tamen omninò negandum eſt hos eſſe fortes; cùm Experientia & Ars non tollant Periculum, ſed minuant. Ex quo fit evidens Stultitia Duello ſe laceſſentium; profitentur enim eum Fortiorem ſeu Magnanimiorem habendum qui in Duello Victor fuerit; quod plerumque falſum eſt; & Victus fortior eſt Victore, qui vel Experientiâ vel Arte Victor evadit: cùm Victus propterea reipsâ Fortior ſit quòd auſus ſit adverſus peritiorem & magis inſtructum Duelli periculum ſubire. Sed ſuper omnia requiritur in Forti ratio Finis, ut Bonum quod per pericula ſequitur æquet Malum periculi. Unde Militum & Nautarum plerorumque nulla eſt Fortitudo; quoties nempe ſtipendii vel otii causâ pericula adeunt, cùm commodiùs vivere citra pericula in promptu foret.

3. Hinc quoque intelligi poteſt cur Magnanimitas circa Honores Maximos dicatur verſari; nempe, quia maximis factis ex intentione Naturæ conjuncti ſunt maximi Honores & maxima Pericula. Cùm itaque circa Magna verſetur Magnanimus, fit eum & circa maxima Pericula & maximos Honores eſſe diſtentum. Non quòd verè Magnanimus maximos honores admodum curet vel pro præmiis habeat, ut Ari-

ſto-

ſtoteles ex experimentis colligebat; hujuſmodi enim homines reipsâ inanis gloriæ cupidi & proinde vitioſi ſunt; nihil enim in vitâ humanâ levius eſt Honore ſi pro externis ſignis opinionis de virtute accipiatur, quæ eſt propria vis vocis; neque multò melior eſt ſi pro ipsâ Opinione ſumatur. Unde ſatis elucet quàm vitioſa & defectuoſa ſit Moralis Philoſophorum Doctrina defectu veræ Scientiæ de Ultimo Fine.

4. Extrema quæ Fortitudinem circumſiſtunt ſunt *Timiditas* & *Intimiditas*; Timor enim & Audacia magis paſſiones & corporeos motus quàm vitia Animi notare videntur. Per exceſſum opponitur *Intimiditas*; quæ, ſi ſit defectu apprehenſionis ſeu ex quodam ſtupore mentis, dicitur propriè communi voce *Intimiditas*; ſi verò cum Scientiâ, ut opponitur Magnanimitati, ſic appellatur *Ambitio*, quâ homo indignus & impar aſpirat ad magnas actiones & honores; pro ut verò opponitur Fiduciæ, ſic vocatur *Præſumptio*, quâ putat ſe plura poſſe quàm reipsâ valeat efficere; prout verò opponitur executioni Fortitudinis, quæ interdum vocatur Magnificentia, ſic appellatur *Temeritas*, per quam ſeſe ipſis periculis ingerit imprudens ſine cogitatione ſeu perpenſione congruâ. Conſtantiæ

autem & Perſeverantiæ nihil per exceſſum opponitur, cùm non ſignificent aliud quàm continuationem actionis fortis abſque ceſſione adverſis eam oppugnantibus. Unde, ſi Actio ponitur qualem oportet eſſe, non poteſt nimium eſſe eadem & non deterior. Ex parte modò Defectûs opponitur Fortitudini *Timiditas* ſeu *Puſillanimitas*; quæ non dividitur in plures gradus, quia oppoſitio ſeu defectus in ipſo principio, eo ipſo in cæteris ex neceſſitate reperitur.

5. Non licet hanc commentationem deſerere quin ab Ariſtotele dictatam, ab Interpretibus & Theologis diſputatam quæſtionem agitemus; utut, ſi verum fateatur, ad Phyſicum magis ſpectat quàm ad Ethicum: Utrùm, videlicet, Virtutes quæ Temperantia & Fortitudo nominantur, ſaltem quatenùs ſunt habitus ad actiones materiales diſponentes, Rationi tribuendæ ſint an Senſualitati? In quâ, de Re primò, poſtea de Logico Vocum uſu eſt diſquirendum. De Re ſic cenſendum. Dum minùs in motus interiores Animalium ratiocinatio humana promoverat, creditum fuit & in Senſibus exterioribus & in interioribus Entia quædam extare quibus *Qualitatum* appellationem genericam dabant Philoſophiæ interpretes; vim autem, quoſdam a-

ctus

ctus vel in ſe eliciendi vel ab aliis accipiendi, quorum natura foret eſſe Cognitionem. Sed Anatomicorum induſtriâ patuit in Senſibus externis hujuſmodi nihil reperiri, ſed à Cerebro oriri quicquid nomine Cognitionis dignum erat. Hîc hæſerunt Anatomici. Philoſophi ex quatuor Potentiis quæ in cerebro habitare æſtimantur, tres abſciderunt; Memoriam, penum quendam ex quo phantaſmata ſeu jacula quibus feriretur Phantaſia, non Potentiam aliquam operativam eſſe advertentes: Æſtimativam nullam in cæteris Animalibus, ut quæ Reſpectuum & Relationum, quæ objecta ſunt incorporea, forent incapacia; Tandem Imaginum, in ſomnis caſu vel Naturæ ingenio, in vigilantibus ex induſtriâ quæ Rationem Authorem arguat, Plaſticam vim Inſtrumentalem ſolam eſſe Phantaſmatum copiam & naturam. Hinc concluſum eſt ſola Phantaſmata in materiali hominis parte ad Cognitionem pertinere; quæ, unde & qualem vim in mentem habeant, meræ adhuc tenebræ ſunt.

Conſequentes ad has Potentias Cognoſcitivas, alias duas ſtatuebant quas nomine *Appetitus* indicabant: Concupiſcitivam, quâ Bona deligeret & ſequeretur Animal; Iraſcibilem, quâ nocentia rejiceret. Sed nu-

periores, ſpirituum in cordis hypocauſto elaboratorum ab impreſſionibus à forinſeco orbe per ſenſus & phantaſiam factis motus alios & alios, eſſe illa notaverunt quæ actuum Appetitivæ nomenclaturâ à Veteribus ſignificabantur: & horum motum ſic ordinatum eſſe, ut cerebrum iis Phantaſmatis refertum evadat & ab iis corporis ſitibus, ut copiam ſpirituum in eos nervos ejaculetur, per quos convenientes ſecundum Naturam motus dictarum impreſſionum monitionibus ab Animali exercerentur. Tria itaque in Animali interiùs & ſola reperiri; Phantaſmata, ſive corpuſcula quædam naturæ permanentis, ſic in Cerebro repoſita & diſpoſita, ut ſecundùm varios pulſus à Corde inceptos & per varias corporis partes ad cerebrum appellentes, ipſum Cerebrum ſic afficiant & feriant, ut ſpiritus Animales in congrua membra per nervos immittat: Deinde, hos ipſos ſpiritus ex corde in copiâ ad cerebrum delatos; Tandem, certam Cerebri portionem quæ à Phantaſmatis icta motu congruo ſpiritus ad exteriora membra mandet.

7. Utriſque verò, & veteribus & recentioribus, certum eſt, motum ſpirituum ſeu actus Appetitivæ pro variis æ-

tati-

tatibus & corporis diſpoſitionibus alios eſſe & alios; &, quod nos propiùs attinet, exercitio fieri obedientiores juſſis Rationis in Homine: Sicut etiam in cæteris Animalibus ex diſciplinâ humanâ; ut in Equis, Canibus, Simiis, & aliis Animalibus quotidiè experimur. Hanc mutationem ſive novam qualitatem Habitum & Virtutem appellabant Veteres; Vereor, nè, ſecundùm recentiorum Doctrinam, hanc dignitatem non promereantur. Quid enim ſecundùm Neotericorum placita amplius in hâc mutatione apparebit, quàm in eâ quâ digiti Teſtudini aſſueti faciliter ad eoſdem motus fiunt applicabiles, quàm pediſſequorum crura ad curſum, Funambulorum articuli ad ſimiarum imitationem; quibus tamen Virtutum appellationem nemo, quod ſciam, tribuit? Sed, quia fortaſſis ad Logicam reſolutionem magis attendendum eſt, quis horum qui nomina impoſuit duas vires, ſpiritalem & corpoream, in eâdem actione diſtinxit, ut Virtutis nomen imponeret Actioni vel Habitui quatenùs à Corpore procedit, non quatenùs à Ratione? Certè, ſi qua diſtinctio facienda ſit, potiùs in Rationis partem declinat intentio nominantis: Reſpicimus enim actiones Temperantis & Fortis ut actio-

nes *Hominis*; hoc eſt, ut à Ratione & Conſilio prodeuntes.

8. Certè itaque Philoſophis impoſuit credulitas illa de Potentiis; dictis quidem *materialibus*, ſed mente & explicatione tenus *ſpiritualibus*, & quiddam ultra cæterorum Animalium dignitatem ab Animâ Rationali mutuantibus; ut etiam Rationalitatem quandam, & Virtutum Vitiorumque momenta iis attribuerent. Quare, etiam repugnantibus iis, hæ Virtutes Intellectui & Rationali Subſtantiæ ſunt aſſerendæ; ſed eâ lege ut à Corpore non minùs quàm ipſe Intellectus & Voluntas pendeant. Ex quo patet in quo poſiti ſint celſiſſimi gradus harum Virtutum. In primis enim hoc præmittendum eſt, diſpoſitionem carnis eam eſſe oportere, quæ ſive illecebris Voluptatis ſive ſenſui Pœnarum ſit maximè ex vi Naturæ obnoxia. Cùm enim natura Senſûs ſit natura Cognitionis & Animalitatis, hujuſmodi diſpoſitio facit Animal ex parte Corporis nobiliſſimum, & propterea requiritur ad perfectiſſimas actiones virtutum corporearum. Unde qui defectu corporeæ diſpoſitionis non ſunt intemperantes vel molles ſeu puſillanimes, non ſunt perfectè Fortes & Temperantes. Rationis proinde Victoria eſt, ex Amore Finis impedire nè

Paſſio

Paſſio quid indecôri efficiat; Quod duplici videtur effici methodo: Unâ, ut Senſus, ſive Voluptatis ſive Doloris, maneat, ſed regatur ſeu comprimatur; poſteriori, ut tanta ſit intenſio cogitationi circa Finem, ut illecebræ vel pœnæ deſint Spiritus quibus irritent & avocent Phantaſiam; qualem potentiam Rationis ut dubium non eſt eſſe majorem, ſic Virtutis ipſius ſpeciem fortaſſis tollit; & major eſt Virtus, ſed non Temperantia vel Fortitudo; modò omninò in hanc noſtram naturam cadat.

INSTITUTIONUM ETHICARUM, SIVE STATERÆ MORUM, EXAMEN SEXTUM,

DE Generatione & Principiis Juris & Legum.

TRUTINATIO PRIMA.

DE *Obligatione voluntariâ.*

I. DEclaratis, ut licuit, Bonis & Malis quæ Homini à Naturâ incidunt; gradus ad ea factus eſt quæ eidem à Perſonis Ratione & Intellectu utentibus accidere nata ſunt.

ſunt. Notum eſt enim Hominem *Animal ſociale* eſſe, & non eo duntaxat more quo Bruta quædam armentis & gregibus adunantur, & ſocietate ſenſitivâ incitantur ad actus naturales; viſu, auditu, & non minimè odoratu, ad ſua & ſpeciei congrua illecta; ſed præſtante cæteris animalibus Uſu, mentem ipſam & qualitates non per vias ſenſui invicem communicans. Hoc per Locutionem, ſeu ſectas articulatè voces, peragit homo. Quare, *Sermo* aut *Locutio* hoc eſt Homini ſecundùm Mentem, quod Figura & Species eidem eſt ſecundùm Corpus. Unde ſtatim deſcendit ad hoc ratiocinatio, ut intelligamus illam oportere eſſe curam homini de Veracitate ſeu de Mente per Voces verè ſecundùm quod intra ſe habet explicandâ, quæ eſt foris apparendi qualis eſt. Illam dico, non æqualitate, ſed proportione. Quantum enim magis eſt Homo ſecundùm Mentem quàm ſecundùm Carnem, tantò ſeverior eſt diligentia quæ debetur Menti proponendæ quàm quæ Corpori monſtrando adhibenda eſt.

2. Verùm, cum *Vox* quamlibet Animæ habitudinem declaret; ſicut qui loquitur de iis quæ ignorat, aperit ignorantiam ſuam; & qui imprudenter, aliquem affectum inordinatum; Sic qui mentitur, aperit ſe

non eſſe amicum Veritatis. Eſt autem Veritas ad quam Intellectus primò & per ſe fertur; & Intellectus eſt quâ Homo eſt Homo, & quaſi Cor Animæ. Sic itaque, qui non eſt Amicus Veritatis odit Vitam ipſam Animæ, & ægrotus eſt quodammodò mortaliter, ut cujus Cor deficit ſeu malè affectum eſt: Unde in ipſo uſu Mendax vilis & contemptus eſt inter Homines, quaſi indignus eorum converſatione.

3. Devolvendo jam orationem ad particularia, quæ magis tangunt inſtitutum noſtrum; nempe ad *Veritatem*, quæ qualitatem Animæ notam facit quoad operationem futuram; Qui de eâ loquitur alteri, vel purè ſpeculativè enunciat quod acturus eſt, quódque ad Auditorem nihil ſpectat; vel, quod intereſt Auditoris, ei aperit. Si nihil intereſt & loquens non perficit quod dixit, vel ſimulator apparebit vel levis, utcúmque garrulus; (quid enim intererat ea loqui quæ incerta erant & non ſpectabant Auditorem?) & vel mentem mutavit, vel voluit credi facturus quæ non intendebat; quomodocunque itaque imprudenter locutus eſt. Sin aliquid dixit quod referret Auditoris noviſſe; ſi Malum erat & poſtea non prodiit in effectum, citra evidentem cauſam mutationis, ludibrio ſe expoſuit comminatus.

minatus. Sin in Bonum Auditoris conſilium ſuum aperuerit Loquens, vel cum cautione expoſuit ſe; ut, *ſi commodum fuerit*, aut hujuſmodi aliâ: Et, quantumvis nihil poſſit in eo fundare quoad ſuam actionem, tamen Loquens, ex vi Veracitatis, ſeu ex amore eſſendi *Homo* etiam quoad exteriora ſeu Verba ſua, illud facere tenetur ſi conditio ſuccedat, etſi hoc lateat Auditorem; ſuâ eum Conſcientiâ & Veritatis amore premente.

4. Quòd ſi, ab Auditore rogatus reſponderit abſolutè ſe facturum, & Auditor natus ſit actiones ſuas ex præſumptione effectûs aliter diſponere quàm faceret ſi effectus aliter ceſſurus foret; tum palàm eſt Auditorem affectum manere ad Loquentem, quaſi ad Hominem qui violaverit poteſtatem agendi quæ in ipſo Auditore erat, ſi effectus à Loquente non ſequatur. Quare Locutor eâ ſuâ locutione reddidit ſemetipſum obnoxium Auditori, & inſtrumentum ipſius quoad hanc actionem; ut, ſi habeat potentiam, poſſet Loquentem etiam invitum cogere ad præſtandam hanc actionem; ſeu, ut, ſecundùm rectam rationem quæ in Auditore eſt, ſit, facere ut Actio à Loquente procedat qualis dicta fuit futura. Quare, cùm ejuſmodi aſſertio in Loquente dicatur

Promiſ-

Promiſſio, palàm fit & Promittentem debere Promiſſario ſervitutem promiſſam, & Promiſſarium habere Ius ad faciendam dictam ſervitutem præſtari à Promittente.

5. Evidens quidem eſt Oblationem Beneficii, quæ à quibuſdam *Pollicitatio* vocatur, non eſſe Promiſſionem. At enim, ſi per abſoluta verba enunciatur, clarè ſignificat de acceptatione non dubitari, &, quod ſequitur, niſi ſigna repudiationis appareant ex parte promiſſarii, eſſe abſolutam Promiſſionem. Fidem enim non eſſe datam niſi ſit acceptata, in foro Externo vim aliquam habere poteſt; ſed, ubi abſtrahendo à conſuetudinibus ex vi ſolorum actuum quæritur, difficile erit explicare quid ſit *fidem dare* pluſquam voluntatem iis vocibus explicare ut audiens natus ſit actionem ſuam exiis regere; aut quomodo Promittens verbis ſuis ſtat, ſi non agit quod abſolutè voces ſignificabant. Niſi itaq; Promiſſarius talem actionem ingratam ſibi ſignificet, (abſtrahendo à Conſuetudine) ex vi ipſius amoris ad Veritatem in promittente, manet Promiſſarius ſervitutis promiſſæ, & Promittentis quoad hanc actionem, Dominus; & hujuſmodi abſoluta Pollicitatio eſt Promiſſio.

6. Ex his evidens eſt quid Promiſſio faciat

ciat in Promittente, & quid in Promiſſario. In Promittente quidem, ut facta diſcordent à Voce & Mente, ſi Effectus non ſequatur; hoc eſt, ut ſecundùm quid non ſit Homo, ſeu ſit Homo *turpis*. In Promiſſario autem, ut jam ſit rationabile ipſi tractare illum ut Hominem turpem. Hæſitabis fortè, notans Homines ſingulos eſſe Libertatis ſuæ poſſeſſores, & non ſubditos alteri: Quare, etſi quiſquam Turpis ſit, non poſſe propterea ab alio corripi, præſertim vi, quia Liber eſt; & neceſſum eſt aliũm habere Dominium in illum ut poſſit corrigere ipſum, quod eſſet contra Libertatem correcti.

7. Refertur, ſi intelligatur duobus hominibus (utriſque in ætate juſtâ & nihil ſibi invicem debentibus) comprehendi univerſum genus humanum, Caio putà & Titio; clarum eſt, quæcunque ſunt in Mundo æque pertinere ad Caium ac ad Titium, & ad Titium æque atque Caium; hoc eſt, ad uſum ipſorum æqualiter eſſe à Deo propoſita, & propoſitionẽ non eſſe aliam quàm virtutem Intellectûs in ſingulis illorum exiſtentem, quæ docet ſingulos illorum ſibimetipſi optimè facere ex iis quæ circumſtant; &, quòd optimè ſibi facere ex circumſtantibus ſit, ea ſeu illorum virtutes

ad

ad ſuum finem dirigere & applicare: Et, quia virtutibus illorum indiget, velle virtutes ipſorum eſſe maximas, ad hoc ut ipſe poſſit optimis uti ad ſuam neceſſitatem. Unde fit, ut, cùm inter ea quæ circumſtant Caium ſit Titius, & inter ea quæ circumſtant Titium ſit Caius, debeat Caius velle ut Titio optimè ſit ſecundùm naturam Titii, & Titius velle ut Caio optimè ſit ſecundùm naturam Caii; ut ſinguli optima inſtrumenta habeant, ubi uſus fuerit. Neque Titio itaque cura eſt de Caio, neque Caio de Titio, niſi quatenus inſtrumenta invicem ſunt. Uterque autem eſt Ens natum agere ſecundùm Intellectum; Caius itaque non poteſt uti Titio, vel è contra, niſi quatenùs poteſt movere ipſum per Intellectum; hoc eſt, niſi quatenùs perſuadere illi poteſt, oſtendendo eſſe Bonum illius agere quod ipſi ſuadet; hoc eſt, quatenùs cum ſervatâ Libertate movere poteſt; hoc enim eſt uti *Homine*: Actio enim Inſtrumenti moti ab alio debet eſſe connaturalis ipſi Inſtrumento & propria ipſius, alióqui non utitur illo. Sicut, ſi quis canem aut felem projiciat in caput alterius vice ſaxi, non utitur Animali, ſed Gravi: Sed, qui lepores Cane, mures Catto venatur, is Cane utitur & Fele. Sic itaque, qui homine aliter

aliter quam liberé moto utitur, non utitur Homine. Quare evidens eſt, non alio ſuppoſito quàm Caium & Titium æqualiter in Mundo exiſtere, non erit ſecundùm rationem ut Titius Caium, vel Caius Titium, aliter regat quàm perſuadendo. Et, quoniam Caio Natura præſcripſit ſibi Bona providere, & Titio pariter ſuo Fini acquirendo invigilare, neque Caius Titii bona Titii causâ curare debet, neque Titius Caii causâ ipſius Caii.

TRUTINATIO SECUNDA.

DE

Obedientiâ in communi.

I. FAciamus modò Titium perſuaſiſſe Caio eſſe Bonum Caii facere aliquid quod in rem Titii ſit, jam idem eſt Bonum & Caio & Titio; & ſuggeret Ratio Titio, ad ipſum ſpectare curare ut Caius faciat quod Bonum eſt ipſi Caio. Libertas itaque Caii tum facta eſt inſtrumentum Titii; non ut eam auferat Titius, ſed

ut illam dirigat, ſi non eſt qualis ex Naturâ nata eſt eſſe. Clarum itaque factum eſt Libertatem non obſtare ſubjectioni alterius, modò ipſa ſe ſubjecerit. Cùm enim duo ſint in Libertate, ut eligat, & ut electio ſit ſecundùm inclinationem Agentis, clarum eſt hoc eſſe principalius in Libertate, quia ipſa Electio pro Fine habet ut ſit benè eligenti. Quare, magis eſt ſecundum inclinationem Eligentis amplexari Bonum, quàm eſſe Dominum ſui actûs: Quia, poſſe Mala agere vel eligere non eſt perfectio aliqua; ſed, non-poſſe eligere Malum, ſeu determinatum eſſe & quaſi neceſſitatum eligere Bonum, ſi ab intrinſeco eſt Neceſſitas, hoc perfectionis eſt, & præeligibile ipſi virtuti electivæ. Quare, cum cogitur ad agendum illud quod recta Ratio ei ſuadet agendum, non violatur Libertas ipſius, ſed dirigitur & perficitur.

2. Sicut autem, quando quis alteri Promiſſum fecit, fit ſubditus Promiſſario; ſic, ſi aliquo modo lædit alium vel impedimento eſt ipſi in eo quod ſecundùm rationem aggreditur, non minùs fit ſubjectum actionis ipſius; ſi per ignorantiam agat, ut perſuadeatur; ſi ex perverſitate, ut cogatur. Neque pluribus inſtandum eſt ad probationem; cùm clarum ſit Rationem

tionem cuique dictare ut ſecundùm Rationem agenda agat, abſque limitatione aliâ quam ut ſecundùm Rationem ſit illud curare. Quare, ſi non ſit alius modus perficiendi quod agendum eſt quam cogendo ut alius concurrat, Ratio coget unum ad coactionem alterius. Ex dictis clarè deducitur, ſi duo ſoli forent homines, unum non poſſe cum Ratione miſcere ſeſe actionibus alterius niſi alter præbeat occaſionem, & vel per Bonum vel Malum ſeſe ſubjiciat ei. Objicies fortaſſis, ſi Caius ſit neceſſarius Titio, etſi alióqui nihil habeat cum Titio agendum, poſſe à Titio juxta hæc principia cogi ad adjuvandum ipſum, etiam cum incommodo ſuo; quandoquidem Titius ex Naturæ juſſu curet rem ſuam; rem autem alienam curare non ad ipſum ſpectet.

3. Reponi poteſt huic illationi, Rationem, ſicut mandat unicuique ſuum Bonum curare, ſic in proſecutione talis Boni imperare ut natura ſua Inſtrumentis conſervetur. Unde, ſi Titio neceſſarius foret Caius ad vitam ſive æternam ſive temporariam, clarum eſt (abſtrahendo ab aliis conditionibus) rationabile fore Titio cogere Caium, ſi perſuadere non poſſet:

Si

Si verò de levi aliquo Bono ſit quæſtio, non cum Ratione cogi Caium ſi neget operam Titio; etiamſi ſine incommodo præſtare illam poſſet, & (quod ſequitur) repugnante ſuâ Ratione illam deneget: Nam neque levis defectus in Caio eſt cenſendus defectus, neque quælibet occaſio facit ex ratione eſſe Titio falcem mittere in agrum Caii. Expendere verò momenta impellentium cauſarum non eſt hujus loci. Hoc liquidem eſto ex diſcurſu facto; In eo in quem legitimè ab alio agitur, duo eſſe; alterum, ſecùs ſe habere quàm Ratio poſtulat; alterum, ut per hoc reddatur obnoxius actioni alienæ; & legem actionis alienæ in ipſum ex hoc poſteriori capite æſtimandam eſſe, non ex priori; ut non ſit rationabile Agenti Delictum Patientis, ſed Damnum ſuum vel Neceſſarium Bonum metiri; &, juxta quantitatem illius, actioni ſuæ metas ponere.

4. Progrediendo invenimus, quòd, cùm non ſit prudentis agere abſque eo quòd Finem aliquem intueatur, & tantundum ſonent Finis & Bonum, ſit omnem hominem ex actione ſuâ expectare aliquod Bonum. Bona autem humana videmus ita diſpeſci ut alia ſine incommodo cujuſquam alterius quàm ipſius Agentis acquirantur;

alia

alia verò non ſine alterius incommodo; & ea ad quæ alienam opem poſcimus, in poſteriori hâc lineâ jacent. Si quis enim ad alienum commodum agit, videtur ſuum intereà negligere, vel ſimpliciter vel reſpectivè. Poteſt itaque Caius promittere operam ſuam Titio, vel propter mutuum commodum ſibi à Titio præſtandum; vel purè ſpectans bonum à ſemetipſo ſibi proventurum; ſicut qui ipſius Honeſtatis vel Præmii Æterni gratiâ bonum aliis faciunt: Vel reddandam vicem expectat; & hoc vel eſt ex eo quòd Titius repromiſerit Bonum Caio, vel etiam quia de facto præſtitit, ut eum ad hanc operam induceret, expreſſo cur illud fecerit; ut Caius noverit & receperit tale bonum ex vi talis voluntatis in donante, & tunc Caius dicitur ex Pacto vel Contractu debere operam ſuam. Sin aliter quàm ex Contractu expectet reddendam vicem, vel erit quod ex ipsâ Actione, nihil conferente Promiſſario, Bonum ſibi elicere valeat; vel, ut ex generosâ diſpoſitione Promiſſarii polliceatur ſibi in congruâ occaſione rependendam eſſe operæ dignam mercedem. Quodcunque ſit, non aggravat ſubjectionem Promittentis, neque dat majorem æquitatem Promiſſario cogendi vel agendi in Promiſſarium, quod Pactum ſeu Con-

Contractus facit. Magis enim læditur Promiſſarius ſi poſt datum præmium fallitur, quàm ſi ante. Præter hæc ſunt quædam Promiſſiones, quæ vel æqualiter ſpectant bonum Promittentis & Promiſſarii, vel ſolum bonum Promittentis, quarum obligatio major videtur ipsâ obligatione Contractus.

5. Ex dictis dilucet quibus Virtutibus nitantur dicta noſtra. Baſis omnium, quæque ſola fundat Veritatem narrationum ſpeculativarum, eſt Amor eſſendi Homo, etiam in Vocibus & Apparentiâ. Promiſſionis ſimplicis veritas præter hunc amorem includit voluntatem benefaciendi. Promiſſio perfecta addit Voluntatem non malè faciendi immerenti, quòd magis contra Naturam eſt quàm nolle benefacere. Pactum tandem his omnibus adjicit amorem alicujus boni ſui, quod ex operâ præſtitâ naſcitur. Apparent itaque etiam Gradus vitiorum in violatione ſermonis & falſitate.

6. Sed occurrit inveſtigationi quid de illo dicendum ſit qui conſilium ab alio petit, neque ſequitur; an in aliquo horum generum reponendus ſit. Ut, ſi æger Medicum conſulat, ignarus Magiſtrum, idiota Iuriſperitum. Quo in genere notandum

eſt,

eſt, primos harum qualitatum ſeu conſilii Dominos non mercede locaviſſe operas, ut hodiè fit; ſed honoris & reverentiæ causâ & benevolentiæ in Concives; à quibus expectare oportebat ut moleſtè ferrent, ſi quis petendo conſilio importunus, exequendo demùm foret negligens. Videtur itaque latere in hujuſmodi petitione conſilii quædam tacita Promiſſio agendi quod ſuadebatur: Unde etiam ex naturâ rei quædam poteſtas cogendi videtur his actionibus conſentanea. Sic Magiſtris Diſcipuli traduntur à Parentibus caſtigandi; Medicis ſeſe ligandos præſtant quos uri & ſecari convenit; Juriſperitis partes imperandi committuntur. Neque procul petenda eſt ratio dictorum. Cætera enim pacta inter eos intercedunt qui ſeſe æqualis prudentiæ exiſtimant; ſed qui Conſilium petit ab alio, eo ipſo agnoſcit eum quodammodò magis Hominem.

7. Neque trepidandum eſt ſi quis opponat, viliſſimarum artium eſſe hanc legem ut peritis in eâ cedere oporteat quoſcunque & quantumcunque peritos in excellentioribus: Aliud enim eſt Opus, aliud Perſonam alii ſubjicere; calceum ſutori, panem Piſtori, navigationem

Rectori ſubjicimus; aliarum artium opera aliis Artificibus. Sed noſmetipſos iis committimus quibus poteſtatem in actiones humanas concredimus. Non enim eſt aliud Homo quàm Agens cujus poteſtas eſt ſemetipſum ad Canonem Rationis dirigere; hoc eſt, Animam, Corpus, Actiones. Animam Philoſopho tradimus, hic enim à Naturâ ſolus eſt Magiſter; Corpus, Medico; Actionem, Legum & usûs humani conſulto. His itaque tribus Perſonam concredimus. At enim cavenda eſt hîc Amphibologia; non enim omnis qui aperit alteri (etiam Scientiæ causâ) negotium ſuum, propterea ſubjicit ſe illi; aliud eſt enim diſputare negotium ſuum, & quaſi quærere latentem Veritatem; aliud imperitum agere, & remittere ſe judicio prudentis: Hic enim manet ignarus, ille conatur ad Scientiam; neque cupit ex Scientiâ alienâ agere, ſed ex ſuâ. Non itaque ſubmittit ſeſe alteri, ſed utitur ope alterius ad hoc ut ex ſeſe agere valeat; cùm alterius actio Scientis ſit, ipſemet illius inſtrumentum.

8. Ex dictis ſatis patet, Virtutem hujus actionis conſiſtere in Moderatione illius appetitûs quo Intellectum noſtrum ad gubernationem vitæ noſtræ applicamus; & eam

& eam inter duo vitia mediam eſſe; alterum, quod ſuperbiæ ſpecies quædam eſt, quo impellimur ad gubernationem noſtrimet ipſorum in his quæ vel non omninò vel non ſatis intelligimus, ex falsâ opinione de ſufficientiâ noſtrâ. Oppoſitum vitium eſt quædam ſpecies Puſillanimitatis, quâ aliqui diffidunt de iis ad quæ ſufficiunt; & moleſti ſunt prudentibus, currentes ad conſulendum eos de rebus minimis, & nihil audentes tentare niſi ex alienâ ſententiâ, etiam in his quæ aliquando meliùs ipſi nôrunt quàm ii quos conſulunt. Actio itaque hujus Virtutis, quæ propriâ voce *Obedientia* dicitur, quaſi Audientia vel Auſcultatio practica, eſt gerere nos ex ſententiâ illius quem cum ratione prudentiorem & in rebus magis expertum quàm noſmetipſos exiſtimamus, ubi, & quando, & quo modo oportet. Neque ambiguus eſt Finis ad quem collimat *Obediens*, nempe Bonum quod acquiritur per Obedientiam; exempli causâ, Sanitas, vel Opes, vel Virtus. Ex ipsâ itaque naturâ rei Obediens præmio afficitur, & Inobediens pænâ; nempe auctu vel mulctâ præmiorum ſeu fructuum conſequentium. Obedientiæ quas videmus in Diſcipulis aliarum Artium, imitationes ſunt & clara

 ſimu-

ſimulachra Veræ Obedientiæ; ſed, quia Finem habent qui non ſit Bonum ipſius Hominis, eſſentialiter à veræ Virtutis ratione deficiunt.

9. Manifeſtum quoque eſt, Obedientiam eſſe Virtutem quodammodò compoſitam ex Abſolutâ & Reſpectivâ virtute: Quatenùs enim moderatur appetitum ſuum & quærit bonum ſuum, eatenus computatur inter virtutes quæ Charitatem ſui, vel etiam Temperantiam quandam, ſonant: ſed quatenùs hoc agit ſeu efficit ope alienâ, & ſubmittit ſeſe alteri, & teſtificatur excellentiam quæ eſt in alio, eatenùs ad Obſervantiam & reſpectivas virtutes pertinet. Et hæc poſterior ratio eſt quæ principaliter in tali actione, prout hoc nomine exprimitur, ſolet attendi: Sed ex priori habet potiorem rationem Virtutis, Nobilius ſiquidem eſt ſuum appetitum rectum habere, quàm ex eâ rectitudine ſigna excellentiæ alteri exhibere. Eſt tamen potior ſpecies Obſervantiæ quàm illa Dulia, quæ in purâ teſtificatione excellentiæ impenditur per ſigna exteriora, cùm agnoſcere excellentiam in intelligendo quæ pertinent ad Hominem ut Hominem, & hoc per actum in quo non ſit fictio, (qualis ex naturâ rei eſt ſua gubernare ex ſenten-

tiâ

tiâ alterius) à maximâ æſtimatione Perſonæ provenit, & eam fideliſſimè teſtatur. Non eſt tamen negandum quin alia aliqua teſtificatio poſſit eſſe de majori excellentiâ; &, ſic, ex objecto perfectior.

TRUTINATIO
TERTIA.
DE
Iuſto, ſeu Iure.

1. ADvertendum autem eſt Obedientiam vel eſſe inter Singulos, Unum putà qui obedit & Unum cui obeditur; vel inter Plures Obedientes, & Unum cui obeditur; & hoc ſic, ut vel obediant ſingulatim, hoc eſt, quiſque in ſuis actionibus privatis; vel in actionibus quibus Obediens agit vel patitur alium Obedientem. Et, ſi Obedientia hoc poſteriori modo exerceatur, eatenus is cui obeditur rationem habet Commu-

nis & Publici Gubernatoris, & Obedientes rationem partium unius Societatis vel Communitatis, ut vulgò loquuntur. Unde ſequitur ut Sententia ipſius Lites terminare & Pacem conſervare in hujuſmodi Multitudine apta nata & efficax ſit.

9. Contemplemur modò quid ſpeciale iis accidat qui Plures ſeſe Communi ſubjecerunt directioni; & prodit ſeſe triplex eorum Ordo ſeu conditio, cùm aliqui non niſi ad unam vel paucas actiones hanc ſubmiſſionem extendant, ut ferè litigantes coram arbitro vel Judice. Alii, quoad certum genus actionis; vel pro totâ vitâ, vel inſigni ejuſdem portione: Tertii tandem, pro omni Actionum genere, & integrâ Vitæ duratione; ſaltem eas Actiones comprehendendo in quibus ad alios referuntur, & diſcordes eſſe poſſunt. Et hæc eſt ferè omnium qui Regnis & Rebuſpublicis continentur conditio. Rurſus, hi ad invicem diſceptant vel ex Legibus aut Conſuetudinibus ſub communi Judice, vel ex ſolâ & purâ ſententiâ Judicis; modò talis aliqua multitudo reperiatur. Si ex Legibus vel Conſuetudinibus, palàm eſt præter Univerſalem Compromiſſionem audiendi Judicem, eſſe ſpecialia quædam di-

dictamina quæ ſequi oporteat Judicem & Judicatos; adverſum quæ ſi quis prævaricetur, is cui damnum eſt Judicis ope reſarciri ſibi damnum efficere poſſit. Ex eo itaque quòd Plures ſunt ſub Communi Poteſtate conſtituti, unuſquiſque poteſtatem accipit ſe & ſua tenendi, vel recuperandi ſi quid per vim perierit.

3. Hæc ſi comparemus iis quæ de Titio & Caio, ſeu hominibus ex purâ Naturæ vi agentibus, dicta ſunt, invenientur in his duo quæ in comparatione Caii ad Titium deſiderabantur; putà, vis tuendi ſua ex compacto nata, ſeu ex communi ſubjectione ad ſententiam Unius; & quædam determinationes Proprietatis ex Conſuetudinibus & Legibus natæ, quales nullæ erant inter Caium & Titium. Et, ſi in intimiora conjiciamus oculum, videbimus hanc vim Pactorum conſtituere inter ipſas perſonas, per condeſcenſionem quandam fortiorum ad debiliores in eaſdem conditiones, Æqualitatem univerſalem Vitæ & Actionis, quæ inter Titium, & Caium non conſpiciebatur. Titius enim hoc tantum ſpectabat quid Titio conveniret; & Caium, tanquam actionis ſuæ materiam, pro qualitate materiei ad ſe & ſua applicandam; tantundem Caius. At, ſub Pu-

 blicâ

blicâ Adminiſtratione, ſinguli alios ut Coagentes ad Commune benè eſſe; & quos benè ſe habere, juxta locum quem in Communi Re poſſident, etiam ipſorummet reſpicientium interſit. Titius itaque, extra gyrum Reipublicæ poſitus, Caio bonum quærebat eatenùs quatenùs per tale bonum Titio ſervire poſſet. Nunc eundem intuetur ut Socium & Conſortem, ut Æqualem vel Proportionalem ſibi proportione ſtrictiore quàm quæ ex Naturâ erat; ut quendam, cui ex Promiſſione ſuâ debeat benè velle; ut Partem Multitudinis, per quam ſibi ipſi Titio bene eſſe conſervatur. Tandem, ut habentem vim majorem ſe, in causâ delicti, per conjunctionem ad Rempublicam, & qui ipſum cogere poſſit.

4. Ex his pateſcit quid ſignificetur celebri illo vocabulo *Jus*: Vel enim accipitur pro *Juſto*, hoc eſt, commenſurato inter homines; quo modo Ariſtoteles & Theologi magis ſpeculativi hanc vocem explicant; &, abſtractè conſideratum, eſt Relatio quædam à Ratione orta & effecta, & rurſus à Ratione conſpecta & æſtimata velut effectus ſeſe dignus. Ex eo enim quòd Homines ſunt Rationales, hoc eſt, Titius ſecundùm Rationem

tionem activus & Caius ſecundùm Rationem paſſivus, naſcitur Proportio ſeu modificatio quædam Actionis Titii in Caium, quæ foret alia ſi uterque non eſſet Rationalis: Et hoc *Jus* ſeu Æqualitas Proportionalis oritur à Ratione. Quandò verò Titius jam agibundus reſpicit hanc proportionem, & invenit eam conformem eſſe Rationi quæ in ſeipſo eſt, tunc movetur ad illam modificationem actioni ſuæ imprimendam; & propterea imprimit, & facit *Juſtum* ſeu *Jus* Caio.

5. Verùm, apud Juriſconſultos & Theologos Practicos *Jus* ſignificat Principium quoddam agendi, ſeu Activitatem in Perſonâ quodammodò inhærentem; quâ fit potens, ex conjunctione ad Communitatem ſeu Judicem, obtinere quod eſt Juſtum ſeu Jus, (ut in priori explica-

tione declaratum eſt) ipſi in Communitate exiſtenti. Et propterea dividunt *Jus*, ut aliud ſit *ad rem*, aliud *in re*: Jus nempe *in re*, ſit poteſtas tuendi & utendi quod actu habet; Jus verò *ad rem*, poteſtas acquirendi non habitum. Sed hoc quoque Jus eſt Relatio Rationis fundata in Actione & Paſſione, ſicut prius Ius fundabatur in Unitate. Quandoquidem enim vis cogendi alium fundata eſt in conjunctione cum totâ multitudine, quæ ex vi Pactorum, hoc eſt Rationis, facta eſt Unum Activum cum particulari; palàm eſt hanc Activitatem eſſe Relationem quandam ex Ratione ortam, per quam Singularis potens eſt *Juſtum* ſeu *Jus* ſuum & commenſurationem acquirere vel retinere. Evidens itaque eſt Titium in Communitate conſtitutum habere quandam relationem quæ vocetur Ius, quam extra Communitatem non habet; & per hanc excludere cæteros ejuſdem Communitatis ab uſu certarum rerum vel actionum, ex vi Pactorum & conventionum; quod eſt, proprietatem quandam habere circa certas res & actiones; & non habere hanc proprietatem reſpectu aliorum cum quibus nihil ei convênit.

6. Quæ ſi vera ſunt, factum eſt evidens

dens Hebræos cùm in diſceſſu ex Ægypto auferrent, quaſi commodata, bona Ægyptiorum ſine intentione reddendi, non violaviſſe aliquod Ius Ægyptiorum. Cùm enim eſſent Natio libera, neque haberent aliqua pacta cum Ægyptiis, neque auferrent ea quæ ſecundùm principia Naturæ neceſſaria erant Ægyptiis, ſed ea ſola quæ ad abundantiam & ſplendorem conferebant, neque adverſus Ius Naturale neque adverſus Ius Poſitivum peccabant: Natura enim communiter hominibus bona ſua expoſuit & propoſuit, ut ſinguli quod ſufficit accipiant; & non fecit poteſtatem per Avaritiam vel Superbiam plura ſibi arrogandi quàm quæ Naturæ commodè ſufficiunt, ut ſupra dictum eſt. Unde, etſi illa bona, comparando Ægyptios Ægyptiis, erant propria Dominorum, tamen reſpectu Hebræorum erant commnia. Sciendum quippe eſt Philoſophos *Jus* in tres quodammodò partes ſubdividere; aliud vocantes *Naturale*, aliud *Jus Gentium*, tertium *Civile.* Naturale vocant aliqui quod reſpicit Iuſtum illud quod commune eſt cæteris Animantibus cum Homine; ut, commenſuratio ſexuum, & nutritio prolis; Gentium, quod omnibus hominibus in uſu eſt ex ipſo lumine Naturæ: Civile, quod ex con-

ventione, vel Legibus in Republicâ ſervatis.

7. Attamen, pace illorum, etiamſi magnorum Virorum, non videtur ad uſum publicum vocum ſatis accommodata hæc declaratio, in cæteris membris præter Civile. Palàm eſt enim intelligere homines per *Jus Gentium*, non Jus ſingulorum hominum in ſingulis Gentibus quaſi à Naturâ edoctum, ſed Jus quod intercedit inter Gentem & Gentem, ſeu quid conveniat unam Gentem deferre alteri. Item, quale eſt pecoribus veram rationem *Iuris* tribuere? ut ſit aliquod Jus commune Homini & Pecoribus. Melius itaque *Ius Naturale* dicitur illud Juſtum ſeu commenſuratum quod eſt inter Hominem & Hominem, ex eo præciſè quod Homines ſint: Illud verò Gentium, quod inter duas Hominum Multitudines intercedit Regnis diſtinctas; Tandem *Civile*, quod propriis ſcitis Unius Regiminis Juſtum, in Uno Regno vel Populo, factum eſt.

8. Et hoc quoad Nominis notationem notum eſto: De re enim loquendo, patet, Jus Gentium vel à Naturâ vel ex Conſuetudine ortum habere; ex Naturâ verò Gentem Genti non aliam Communitatem habere quàm Naturæ; & commenſuratum

inter

inter Gentes non aliud eſſe quàm quòd ſuprà expoſitum eſt inter Titium & Caium intercedere, putà, non prohibere alteri Genti neceſſaria abſque causâ; ut, aquationem, victum neceſſarium, & ſimilia, quæ Homo Homini æqua putat ex bonitate propriæ ſuæ naturæ. Jus verò Gentium quod ex Conſuetudine naſcitur, clarè eo ipſo quoddam Civile eſt, ex tacitis conventionibus profectum, quantumvis nihil diſertè ſit verbis contractum. Etſi itaque aſſignentur tria membra Juſti ſeu Juris, unicum tamen eſt Jus prout accipitur pro relatione potentiæ ad commenſuratum acquirendum vel tuendum. Nam, conſideratis Hominibus præcisè ſecundùm Naturam, ſive ſingulis, ſive totis Gentibus, vis acquirendi Commenſuratum eſt purè Naturalis; neque ex vi Rationis, aliter quàm prout Ratio eſt virtus Naturalis Hominis, regens corporeas vires quibus ſibi facit obediri.

TRUTINATIO
QUARTA.
DE
Diviſione bonorum, an ſit ex Naturâ?

1. VAna itaque eſt eorum ratiocinatio qui putant ex Jure Naturæ rem aliquam eſſe primò Occupantis; & Voluntatis Humanæ tantam eſſe potentiam, ut ſi ſemel juſtè voluerit aliquid eſſe ſuum & reipsâ apprehenderit, nullâ vi poſſe fieri ut non ſit Juſtum illum ſemper eſſe Dominum talis rei niſi liberè eidem renunciaverit; ſed Poſſeſſores cujuſlibet diuturnitatis (modò origo Poſſeſſionis injuſta fuerit) cedere oportere vetuſtis Dominis, & uſum & fructus perceptos, ſi juſti eſſe cupiant: Quæ, etſi poſſint coargui ex dictis, fuſiore tamen expoſitione indigent. Stet itaque in fronte

te Diſcursûs, ſive Hiſtoriam conſulamus ſive Naturam, nullum aliud Dominii vel Juris originem extare, quàm vel Æqui vel Poſſeſſionis; & de Poſſeſſione nihil evidentius eſſe quàm toties mutatam eſſe, ſive Privatos ſive Republicas conſideremus, ut vel nulla omninò Dominii ratio ex eâ haberi poſſit, vel ſaltem plerumque à numeratis annis. Legimus Monarchiarum Succeſſiones; Legimus Romanam, ſicut cæteras, effuſis ex Septentrione examinibus populorum in prædam ceſſiſſe. Quiſquámne ſanæ mentis quæret originem Juris ab iis Gentibus qui ante Romanam Monarchiam ſinguli in ſuis regionibus vixerunt? vel ſanior eſſet, qui omnia Romanorum adhuc eſſe clamitaret? Dani Angliam, Angli Galliam, Galli Germaniam aliquamdiu poſſederunt. Hiſtoria itaq; teſte, non Prima Occupatio, ſed Diuturna uſque in præſens Retentio, Dominos Terrarum conſtituit. Bonorum mobilium in confeſſo eſt faciliùs mutari Dominium. Privatorum quoque Jura levioribus momentis quàm Publica incipere & ceſſare ipsâ luce Rationis extra litem poſitum eſt.

2. Naturam conſuluimus ſuprà: Reſpondit, commenſuratum ſingulis modum eſſe Fortunarum quo commodè in Beatitudinem

tudinem perveniri poſſit; de iis quæ Avaritiæ, Luxui, Vanitati parantur, Natura ex purâ conſideratione Hominis nihil imperat; iis qui certis Pactis convenerunt in mutuam propugnationem, etiam quoad hæc, conventis ſtandum eſſe ipſa Natura præcipit. Verùm, horum ſtabilitas ſicut ex Pactis originem habet, ſic cum ipſis pactis, & ſicut illa, deficit. Neque diſſonum ab his quicquam in Sacris Dogmatibus reperimus. Ubique Poteſtatibus obediendum eſſe; hoc eſt, Conventis Publicis ſtandum: In principiis, duobus vel octo hominibus Vegetabilia & Animalia in eſcam & ſervitutem conceſſa eſſe; de Diviſione & Proprietate nihil, ſed proviſum eſt ut unicuique Neceſſaria abundarent. Monet Ariſtoteles bella Animalium circa eſcam & Venerem eſſe; hæc ſi ſuppetant, pacem ipſis eſſe. Neque in comeſſione memoratâ, aliter belluis aliter hominibus permittuntur Bona Naturalia: Neque itaque Hominibus Bella ſecundum Naturam erunt, ſi Naturalia Bona abundent. Quod Bella verò ſint, ex Diviſione eſt; alióquin enim nemo alienum invaderet; neque igitur ex Naturâ ſecundùm ſeſe ſpectatâ eſt ulla Diviſio; ſed, quaſi ex communi patinâ veſcerentur omnes homines, niſi Cupiditas interveniret. Et hoc perfe-

fectiſſimum in Naturâ eſſe teſtantur illa Inſtituta,quibus,uſque ab initiis Chriſtianæ diſciplinæ ad præſens, Imitationes quædam hujus communis Victûs cõſervantur.

3. Verùm,obſtat dictis quædam vulgaris perſuaſio, ſive ex Cupiditate nata, ſive ex continuo Uſu quem in Rebuſpublicis experiuntur;quo Fortunæ per Voluntatem regulariter transferuntur,ut apprehendant abſolutè in Voluntate Hominis poſitum eſſe ut vacantem Rem ſuam faciat; &, poſtquam ipſius facta eſt, ereptam eſſe poteſtatem cuilibet alteri illam attingendi. Et non advertunt hanc ipſam manucaptionem oppoſitum teſtari: Nemo enim ſolam intrinſecam Voluntatẽ ad hoc valere exiſtimat, ſed addendum eſſe Mancupium Externum; ut & in pueris videmus quando aliquid inveniunt, qui in primâ occupatione partem ſibi voce optaverit, Jus ſeſe habere cum Inventore par exiſtimat; qui ſiluerit, nihil prætendit: Unde Externum quaſi Contactum adjici Voluntati neceſſarium putant. Palam, itaque eſt non ex Naturali vi Voluntatis, ſed ab expreſsâ aliis, hanc quamcunque Dominii initiationem pendere. Expreſſio verò ad Pacti naturam ſpectat: Teſtatur itaque Actio ex Conſenſu & Conventione pendere Jus Occupationis,

&

& non ex purâ Naturâ. Non conſiderant rurſus ipſa *Jura præſcribendi* oppoſita eſſe huic eorum phantaſiæ. Si enim ex eſſenſentiali quâdam Naturæ Lege foret,ut primò Occupans non poſſet ſuo jure priuari, Jus Præſcriptionis pura Injuria foret. Tandem Reipublicæ poteſtas in privatos repugnantes nulla foret:Cur enim prior Voluntas, quâ ſe quiſquam ſubmiſit, validior foret poſteriori per quam priori derogat? Et fortaſſis expellere refractarium poſſet Reſpublica, ſed non cogere vel punire. Eſt itaque hæc apprehenſio prorſus irrationalis; & nulla eſt Dominii vis vel Proprietatis, extra Conventorum firmitatem. Quoad cætera, ex Æquitate ſeu Ratione,in Agente conſiderante commenſurationem ſui cum Subjecto, pendet.

4. Jam ſuprà declaratum eſt Jus, id eſt, Juſtum Naturale inter Gentes, hoc eſt, inter eas inter quas pacta nulla interceſſerunt, proportionatam eſſe illi quod inter Titium & Caium expoſuimus. Intuendum itaque eſt quomodo Natura Homini dictet ſibi proſpiciendum de Æternitate eſſe, & ex iis quæ ante pedes ſunt ea attingenda quæ ipſi in hunc uſum commoda futura ſunt; cæteris, velut impedimentis, renunciandum. Cumque iter ad vitam futuram paſſi-

paſſibus Animi, hoc eſt, Intellectûs & Affectuum exercitatione conficiatur; hæc autem ſine corporeis auxiliis & valetudine non adminiſtretur, ad menſuram hujus optanda eſſe Corporea, hoc eſt, victum & tegumenta, quæ Corpus aptum & validum ad exercitia Animi conſervent; præterea, Inſtrumenta Scientiarum & actionum earum quibus Affectus ad Æternitatem præparandi ſunt.

5. Hucuſque Natura indulget ſingulis hominibus, & ſpectata abſtractè neminem vult ab his impedire. Unde ſi, ut ſuprà exponebamus, Caius & Titius Rem Humanam conſtituerent, non poſſet Titius Caio vim facere, niſi Cajus Titium à fructu aliquo horum prohiberet, imò, quomodocunque legitimè Caio vim faceret, non poſſet horum uſum Caio interdicere; neque poſſet Caius tantum peccare in Titium ut in pœnam aliquid horum ſibi eripi mereretur; niſi fortè propter conjunctionem aliorum cum his, quibus abuſurus foret contra hæc ipſa Caius. Cùm enim quamdiu Caius eſt Homo, tamdiu etiam à Titio tractandus ſit ut Homo, hoc eſt iter ei ad eſſentialem Hominis Finem ſeu Beatitudinem apertum ſit relinquendum, clarum eſt in his non poſſe cum Ratione lædi niſi ipſe

ſeſe

ſeſe non illâc agat neque agere velit. Sed quid inter ſingulares obſervandum ſit adeò rarum eſt uſui ſervire, ut non mereatur ſpeculationem. Acta inter Gentes ignotas tot hæc poſteriora ſæcula viderunt, ut quid Jure quid Injuriâ agi poſſit, operæ pretium ſit inveſtigare.

TRUTINATIO QUINTA.

DE

Iure inter Nationes ignotas ſibi.

1. QUæ de Titio & Caio expreſſa ſunt, palàm eſt majorem vim in multitudinibus hominum obtinere; id eſt, in Populis & Gentibus; (in quibus latitudo neceſſariorum eſt major, neque explicabilis niſi poſt Politicæ diſciplinæ deductionem;) Cùm enim ſinguli homines ſint Homines, quæ ex ratione Hominis conveniunt in Multitudinibus quoque par eſt reperiri. Ex his Bellorum ſuſcipiendorum Cauſæ pendent: ex his Moderatio in Victoria; Sed per multos gradus deſcendendum eſt ad

par-

particularia. Tria itaque Agendorum membra ſunto: Principium ſeu aggreſſio; Medium ſeu progreſſio; Finis, ſeu quomodò terminanda ſit Actio inter Gentes primò ſibi ignotas. Rurſus, cùm Duæ Partes ſeu quaſi Perſonæ ſint; Accedens ſcilicet, & ea ad quam acceditur; primò conſiderandæ ſunt conditiones Nationis Accedentis, quæ eſt Unde Actio inter illas incipit: Et ſtatim ſeſe offert Finis propter quem accedit, qui vel eſt Neceſſarius, vel Voluntarius: Neceſſarius, quando ſedium indiga eſt, & quærit neceſſarias ſibi ſedes. Sic Picti in Britanniæ Septentrionales partes remiſſi ſunt à Scotis qui Hiberniam incolebant; & nî fallor, jam Scotorum appellationem obtinuerunt cùm origine Dani forent; Veri ſiquidem Scoti Hibernorum Colonia fuerunt, hodie *Monteſtres* in Scotiâ dicti linguâ & moribus cognati Hibernorum; ſicut quos vocamus *Scotos*, ſunt Danorum. Sic plures Gentes & ſæpè in Romanorũ ditiones incurrerunt, eluvionibus Oceani ſuis Regionibus exciti; & proximos ſibi pellentes, donec quaſi continuatis fluctibus in cultas Provincias exundarent. Sic Regulus quidã Britannus ante trecẽtos annos coloniam traduxiſſe in Americã fertur, cum à Fratre Imperii parte debitâ excluſus fo-

foret; & alia Exempla quærentibus non deſunt.

2. Præ cæteris autem eſt Populus Hebræorum ab Ægyptiâ Tyrannide ereptus, & in Eremo à Deo collocatus. De his & ſimilibus ex lege ſuprà latâ quòd Ratio unicuique ſui curam præſcripſerit, evidens eſt Juſtum fuiſſe ſeu ex Rationis dictamine tellurem quæ facillimè & convenientiſſimè occupari potuit invadere & ſibi retinere, ejectis prioribus Incolis, ſi aliter non poſſent; vel etiam exterminatis, nihil impediente quantumvis antiquâ & pacificâ Poſſeſſione Gentis ejiciendæ. Unde patet quomodocunque ex parte Dei exterminatio populorum Chanaanitidis Vindictæ rationem habuerit, tamen abſque alio demerito talis Populi præter ſedium negationem, Actionem Hebræorum ex Rationis dictamine profectam confitendum eſſe: Quare & calumniam Manichæorum quâ Deum Hebræorum maleficum & ſanguinarium clamabant, ex ignoratione *Juſti* & *Neceſſarii* proceſſiſſe.

3. Neque minùs evidens eſt, ſi citra Neceſſum & ex Lucri cupiditate ad terras alienas alia Natio accedat, non eſſe ſecundùm Rationem ut quicquam per vim, ſeu dolum, ſeu aliter quàm per connaturalem libe-

libero arbitrio ducatum cum illâ agant. Sicut enim Natura Hominem ad Superbiam, avaritiam vel luxum dirigere non valet; ſic neque æquum facere, vel exiſtimare, ut ſplendoris ſeu vanitatis causâ quicquam mali alteri inducat. Video ſatis dubiam eſſe Neceſſitatis determinationem, præſertim in Republicâ cui neceſſaria eſt ſui defenſio adverſus circumſtantes hoſtes; ad hanc Exercitu, ad hunc fæcundo Ærario opus eſſe; & ad hoc, ex Gentibus divitibus, ſed imbecillibus, prædam agere; & hoc quo modo Reipublicæ commodum eſt; ſcilicet, ſi non poſſint per publicos ſumptus, idiotarum opem implorando perficere; Unde ſequatur magna licentia rapiendi aliena. Neque poſſum negare evidentia eſſe Principia ex quibus poſitas veritates concluſimus. Quid verò ex his ſequatur, niſi poſitis circumſtantiis, definiri non poteſt. Unde ſingulis permittendum eſt, ut quod recta Ratio ſuadet ſectentur, modò ipſam accuratè & ſeriò colant; quæ hoc requirit ut non Ambitio vel Luxus, ſed Libertatis defenſio ſuſcipiatur. Quòd ſi primò ſibi, deinde aliis proditores eſſe malint nè ipſi per malè deductas conſequentias velum Veritatis prætendant Malitiæ, non poteſt evitari; ſed num propterea ab e-

vi-

videntibus reſiliendum eſt Principiis?

4. Convertamus itaque mentem ad populum ad quem fit acceſſio; qui cùm ſua, non aliena curet, ex eodem lumine Rationis Accedentes ad ſe ex ſuo ipſius Bono æſtimat & tractat. Computat itaque primò Homines cujuſmodi nos tractamus, vitiatæ radicis eſſe & ad malum pronos cupiditatibus ſubditos; atque adeò quos (ut nè habeas ſuſpectos) tales ut cum iis tanquam ſuſpectis agendum ſit. Proximè agnoſcit ex hoc ſequi prudentis eſſe, curare, quantum in ipſo ſitum eſt, ne quis ſibi nocere poſſet; Eum enim qui non fidit non decipi, qui ſe autem temerè fidei alterius committit, ſuâ culpâ damnum pati, ſi quod obvenerit. Ex his elicit nihil Genti extraneæ permittendum, quo habito potentior ſit ad ipſi male faciendum ſi poſſit eam impedire, non habitationem vel ſtationem, non commercium, quicquid emolumenti promittat; memor illius ſententiæ;

—— *Timeo Danaos, & dona ferentes*;

hoc eſt, homines acutos & promittentes magna. Tandem neque Colloquium, niſi cum Gubernatoribus Reipublicæ, nè illudant bonæ mentis populo. Conſequens eſt ut vim vi repellere & ulciſci ex Ratione ſit. Vanè itaque conqueruntur qui Venationem,

tionem, Piſcationem, & Commercium indignantur ſibi negari, quaſi ex Jure Naturæ debita. Non enim Dominium rerum Poſitivum portioni alicui hominum à Naturâ conceſſum eſt; ſed Negativum; hoc eſt, non eſt alteri datum. Non itaque Juſtè vendicari aliquid vacans poteſt, ſi in damnum alterius cedat Poſſeſſio; ſed vi vel dolo obtinendum eſt, ſi ambienti ſit neceſſarium.

5. Videtur officere huic Veritati celebre quoddam inter Juriſperitos Axioma; putà, quòd non poſſit dari Bellum ex utraque parte Juſtum; quod ex ſancitis videtur omninò conſectarium. Si enim ex purâ Neceſſitate liceat uni Genti opprimere aliam, neque eâdem ratione negari poſſit invaſo auxiliari, utrique parti legitimum eſſe Bellum conſtat; &, quod ex eo conſit, axioma non eſſe ſincerum. Sed non advertunt hi Diſputatores ſe à Juriſconſultis tela deprimere; hoc eſt, ab iis quorum facultas eſt in conventis humanis æſtimandis poſita. Unde Axiomata ipſorum ad noſtram Theſim quæ ſupereminet omnibus Conventis, injuriâ applicatur. Dicendum itaque Bellum, in expreſſis conditionibus ex neutrâ parte Juſtum eſſe, ex neutrâ Injuſtum;

Sed Conforme Rationi ex utraque parte. Neque hoc novum eſt ut Ratio Perſonis privativè oppoſitis nonnunquam oppoſita ſuadeat, ſicut tota Natura Bello quodammodò conflata eſt, dum calida frigidis pugnant, humentia ſiccis; Animalia deſtruant vegetalia; &, inter Animalia, prædatoriis in eſcam cedant mitia, & piſces minores grandioribus.

6. Neque alia eſt ambigendi cauſa in Gentibus quàm in privatis, quibus alienâ vitâ ſuam redimere permittunt plerique; ut, ſi quis è turri præceps cadendo in alium ab interitu ſeſe eriperet, naufragus ſodali rapiat tabulam utrique ſervando imparem. Vide Naturam hoc ipſum dictare. Quo enim Jure Europæi Principes tam laudato bello perſecuti ſunt Saracenos? Quâ laude non buccinantur qui adverſus Turcam armantur? Et tamen non læduntur ipſimet bella incipientes, ſed alii qui ſolo Chriſtiano nomine conjuncti ſunt. Neque alio Jure fundatur glorioſus ille titulus tutandi ſupplices, ejectos reſtituendi, & oppreſſis ſubveniendi. Unde apparet Principes interdum, cogente Naturâ, nedum atteſtante, quædam agere, quorum ratio non niſi ab hâc Regulâ pendet. Videntur autem ipſa opera adverſari Virtuti, quia plerique non ultra

ultra hanc Legem tollunt oculos, quod res nata ſit cedere primò Occupanti. Obvium alicui eſſe poterit eandem eſſe Gentibus Legem, nihil impediente pactorum quorumlibet vinculo; quandoquidem Naturæ Lex à quâ habetur cura ſui, æque in Republicâ ſi non magis quàm in privatâ, prævaleat quibuſlibet privatis conventis. Verùm, facile eſt meminiſſe etiam vim Pactorum à Naturæ vi ſuam firmitatem trahere: Veritas enim fundamentum ipſius Mentis ſeu Naturæ Rationalis exiſtit, ex cujus amore Promiſſorum Obſervatio pendet. Unde inter Reſpublicas commercio & conventionibus colligatas, Pactorum obſervationem inviolatam eſſe oportet, & bellorum frequentiſſimam occaſionem ab eorum violatione pendere. Sed Neceſſitati cætera obedire ipſa Neceſſitas faciet, contra quam nullum eſt auxilium vel remedium, ut de ſe patet.

TRUTINATIO SEXTA.

DE

Juſtitiâ Legali inter Magiſtratum & Subditos.

1. DE cæteris Belli partibus convenientior erit inferiùs dicendi locus. Nunc aliam Juſti & Juſtitiæ partitionem ſequamur, quam in Juſtum *Legale* & *Concivile* (ſi ſic loqui licet) appellemus; utrumque enim *Civile* putatur. Aliter Generalem & Particularem nominant; neutrum ſatis aptè, ſed nominibus quæ habemus utendum eſt. Legalem Juſtitiam eam vocant quæ inter Subditos & Magiſtratus intercedit; eamque duplicem, ex terminorum differentiâ. Sed, ne ſaltu orationem præcipitemus, commemorandum eſt Obedientiam plurium ad Unum vel eſſe Univerſalem, hoc eſt, quoad omnia quæ Vitam communem integrant; vel quoad aliqua duntaxat, & certam operum ſpeciem, & hâc dimiſsâ prior intuenda eſt. Hæc in Rebuſpublicis cernitur; & de eâ

eâ quæritur, an verè reſpiciat *Juſtum*, ſive utrùm Magiſtratus Juſtum reſpiciat ut benefaciat Civibus, & rurſus Cives in Obedientiâ ſuâ versùs Magiſtratum etiam ipſi Juſtum quoddam operentur. Et, ſi Juſtum non ſonet niſi proportionem & commenſurationem unius ad alterum, ſic clarum eſt ex utraque parte Juſtum eſſe quod agitur, quia eſt id quod debet agi.

2. Verùm, latiorem eſſe hanc ſignificationem quàm intendant homines, credit quiſquis inter Deum & Hominem, inter Parentes & Filios, & tandem inter Servos & Dominos negat intercedere *Jus*. Cujus ratio eſt, quòd ubi totum quod eſt Bonum ex unâ parte ſeſe tenet & nihil ex aliâ, nulla eſt æqualitas operationis; &, quod ex eo fit, neque Agentium. Iuſtum autem ſonat æqualitatem quandam inter eos inter quos intercedit. Quòd verò hæc eadem ratio convincat inter Magiſtratum & Cives ſeu Subditos Ius nullum intercedere, ſic conſtabit: Hominis ut Hominis, hoc eſt, Sapientis (Sapiens enim hominem perfectum ſeu verè & per omnia Hominem ſignificat) opus eſt contemplari, ſeu Veritatem aut inquirere, aut adeptâ frui. Ab hoc operæ devocat Sapientem τὸ alienæ ſtultitiæ inſervi-

re, quod eſt opus Magiſtratûs; nempe probos ſed debiles adjuvare, peccantes & mala molientes reprimere, futuris conſulere, & cætera. Ex adverſo Subditi Magiſtratui quid afferunt? Opes & Honorem; quæ rectè Philoſophus non eſſe Præmia Virtutis, & generatum Præmium Virtutis nullum eſſe poſſe aſſerit. Deinde, reipsâ non niſi Inſtrumenta, & à Sapiente pro oneribus exiſtimata. Tandem, nihil niſi quod convertitur in utilitatem ipſorum Subditorum, cùm ipſe ſplendor Principis faciat Populum honori. Hæc cùm ſint vera, ſi Magiſtratus eſt qualis deberet eſſe, hoc eſt, Sapiens, ſolam Moleſtiam ex gubernatione metit, quantum Populus imputare ipſi poteſt.

3. Vertamus ſtylum, & dicamus quid Populus à Magiſtratu habet; &, quoniam loquimur de Magiſtratu in cujus ſidem tota commiſſa eſt ſingulorum vita, palàm eſt ſecuritatem & abundantiam à Principe poſſidere, Vitam, Virtutem, Commoda. Quæ, ſi ſic ſe habeant, prout ſeſe habere evidens eſt, quid clarius quàm nullam æqualitatem in agendo inter Gubernatorem & Subditos ex naturâ ſtatuum intercedere. Neque oportere Magiſtratum Imperium inter Bona computare,

ſed

ſed magis Quietem & eam Animi Voluptatem quæ in Scientiis & Contemplatione collocata eſt, illi præferre; ut Sapientia de ſuo Rege teſtata eſt. Addamus his ipſa opera quæ Princeps ſubditis imperat eſſe ipſorum ſubditorum Bona, & optima quæ Subditus poſſit agere. Namque & in univerſum perſuaſum debet eſſe Subdito rebus ſuis privatis eò meliùs proviſum eſſe, quò Publicis Commodis conſultiùs proſpectum eſt; & ſeſe, ſuâ operâ commodatâ Reipublicæ, ſuorum incolumitatem curare, ſi Princeps reipsâ optimum conſtituerit: Vel ſi ſecùs, Regiminis tamen contempti adeò grave vulnus eſſe, ut etiam minus bonum poſtquam imperatum eſt, & Optimum & Neceſſarium, hoc eſt, Solum Optimum evadat.

4. Ex his non eſt difficile colligere, quænam ſint illæ virtutes quæ duas illas partes Juſtitiæ dictæ Legalis conſtituant. Ex parte enim Principis eſt gratuita quædam Voluntas Patriæ ſuæ bona curandi, quæ fundata eſſe debet in Magnanimitate vel Animi quâdam Majeſtate; quâ, iis bonis circa quæ diſſidere ſolent homines major exiſtens, ea æquo animo eis relinquit, ſibi tantummodò retinens quæ exequendo huic Muneri neceſſaria ſunt vel conſen-

tanea. Et hæc Magnitudo Animi nata eſt ex plenitudine Scientiæ naſci, quæ doceat Bonorum humanorum merita & dignitatem. Hoc agnoverunt qui Philoſophos regnare, vel Principes Philoſophari juſtum exiſtimaverunt, ut Populis benè foret. Et confirmavit qui edixit *Bonum opus* deſiderare eum qui *Epiſcopatū* ambiret. Eſt enim, ſicut Epiſcopatus, ſic omnis Magiſtratus *Officium*, hoc eſt, Actionis Publicæ Principium; & non circumſtantia Bona. Ex parte verò Subditi eſt etiam Voluntas Publicum Bonum per ſuum miniſterium curandi; ſed quatenùs Publicum Bonum eſt, ſine quo Privatum haberi non poſſit, vel non adeò benè poſſit. Etſi enim quiſpiam extra ſuam Patriam Magnus eſſe poſſit, qui in ipsâ ſuâ regione ex multis unus ſit, tamen convictus eorum qui eorundē morum, ejuſdemque à Naturâ corporei habitûs & ab aſſuetudine animalis conſtitutionis ſunt, longè dulcior eſt. Unde, non præter Naturam locutus eſt qui pronunciavit illud:

Neſcio quà natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.

Hinc eſt, ut corruptæ naturæ cenſeatur qui alienam terram natali præfert, niſi magni alicujus Boni intuitu hoc agat.

5. Vo-

5. Voluntas itaque ſerviendi Publico in privatâ perſonâ, limitationem habet intrinſecam à fine Privati Boni quod per illud quærit, & ingenti differentiâ diſcedit ab affectu quo Princeps idem Bonum proſequitur; cùm affectus Principis à granditate Animi extantis ſupra affectus Bonorum eorum proficiſcatur, ex ſubjectione ad quæ ſurgit Amor Boni Communis in Privatis. Hæc ex naturâ rei dicta ſunt: nam & Principes indignos & Idiotas magnos Viros Natura non rarò exhibet. Sed miraris quomodò Privato vita pro Bono Communi repudianda ſit, ſi privati emolumenti intuitu regatur ipſius & Actio & Finis. Sed ex commixtione futurorum poſt mortem Bonorum cum præſentibus hoc contingit; & proculdubiò à Ratione prorſus exulat in iis qui ultra tumulum nihil ſperant. Verùm, ſuprà ad hanc quæſtionem reſponſum eſt.

6. Intereà hoc ſtatutum ſit, Virtutem quâ movetur Privatus eſſe Amorem Communis Boni; & Actionem quam exercet eſſe ſubmiſſionem Intellectûs ſui Intellectui alterius, ſeu conſtantem Voluntatem agendi quod Magiſtratus decernit eſſe agendum propter Commune Bonum; quæ Volitio illam reſpicit bonitatem

quia ſic expedit Communi Bono,alióqui eſt tota Inſtrumentalis & ſervilis.

7. Et quia Inſtrumentum imperfecti nomen eſt, idcircò Obedienti ſeu Subdito vel neceſſaria eſt vel certè conveniens ut Promiſſione firmetur hæc Volitio,quod contrà accidit in Magiſtratu,utpote perfecto,juxta illa, *Juſto non eſt Lex poſita*, &,*Juſtus ipſe ſibi eſt Lex*; hoc eſt, ex rectitudine Voluntatis facit, quod cogere Legis erat. Promiſſiones itaque & Juramenta quæ exiguntur à Principibus opprobrioſa ſunt, utpote ſignificantia Perſonam non eſſe parem dignitati: Non nego tamen eſſe neceſſaria, non ſolùm aliquando, ſed plerumque, in vitioſis ſeculis. Clarum ex hactenùs expoſitis eſt, poteſtatem ſeu Iuriſdictionem Principis vel Magiſtratûs formaliter non eſſe aliud quam Potentiam quandam Rationalem ex ſubmiſſione Populi genitam, quâ juxta prudentiam ſuam potens eſt procurare Populi Bona; Et tantundem eſſe Principem *poſſe* quàm Populum ex vi Sponſionis teneri ad obediendum; Materialiter verò vim quandam in Exercitu vel in aliquo Analogo exercitui quâ cogere poteſt invitos & refractarios. Unde rurſus evidens eſt Mandata Principis vim habere ex Voluntate Populi.

INSTITUTIONUM ETHICARUM, SIVE STATERÆ MORUM, EXAMEN SEPTIMUM, DE Legibus, & aliis Pactis Fæderatorum.

TRUTINATIO PRIMA. DE *Vi, & Materiâ Legis.*

1. EX dictis clarum eſt, Populum ſeu Multitudinem quodammodò priùs tempore habere poteſtatem in ſingulos quàm vel Principes vel Leges. Evidens autem eſt Populum ut con-

diſtinguitur contra Magiſtratus, non eſſe niſi tot capita, quorum nullum unum habeat poteſtatem in aliud; &, quod ſequitur, neq; Omnes in Unum poteſtatem aliquam habent. Non habet itaque Multitudo poteſtatem in ſingulares niſi ex Communi Conſenſu, quo ſinguli conſenſerunt in unionem & ſocietatem quandam communiter curandi bona ſua. Palàm itaque eſt Multitudinem, ex eo quòd Una Conſenſu & Ratione facta eſt, eo ipſo ex naturâ rei accipere poteſtatem in quamlibet partium proportionatam Bonitati ſuæ; ut, quantum Bonum Multitudinis eſt præſtantius, utpote habens rationem Totius & Finis reſpectu Boni unius membri, tanta ſit Poteſtas in Multitudine poſtquam Una eſt ad cogendum quemlibet ſingularem ad agendum quod neceſſarium eſt toti Multitudini. Inde habet Poteſtatem Vitæ & Necis, quoties malefacta vel omiſſa in periculum vocant Pacem & Incolumitatem totius Multitudinis; & fortaſſis etiam in cauſis minoris pretii.

2. Agnitâ Poteſtate Multitudinis clareſcit vis *Conſuetudinis* ſeu *Moris*; qui non eſt aliud quàm conſtans quædam Voluntas Multitudinis circa Actionē Communē ſeu Publicā, uſu non Scripto firmata. Evidens itaque

itaque eſt quòd hoc habet commune cum Lege, quòd ex naturâ rei utraque ſit perpetua; ſed Lex Scripto firmata eſt; Conſuetudo Actione & Uſu. Vis obligandi eſt voluntas Multitudinis; quæ, cùm ſit illa quæ Poteſtatem dat Magiſtratui, immediatior & fortior eſt voluntate Magiſtratûs; ſed Voluntas Magiſtratûs habet hanc eminentiam quòd credatur Prudentiâ & Conſilio regi, cùm Voluntas Multitudinis Temeritati obnoxia eſſe cenſeatur. Verùm, in Conſuetudine propriè dictâ, Experientia plerúmque ſupplet defectum Prudentiæ; ſi enim longo Uſu perſpectum eſt utilem eſſe Conſuetudinem aliquam, nihil opus eſt ulteriori prudentiâ: Sed, quia natus eſt Populus etiam noxias Conſuetudines velle tueri, propterea Principi Conſuetudinem abolenti parendum eſt, velut Rationi Naturæ vitium corrigenti. Sed bona Conſuetudo majorem vim habet quàm Lex ſcripta, propter eminentem in ipsâ Multitudinis Conſenſum; & ſic palàm eſt Populum firmius illi adhærere. Naturalior enim eſt Lege; & Populi Conſuetudinibus regebantur antequàm ſcriptæ forent Leges, & etiamnum reguntur in iis ad quæ Lex non ſe extendit; & ubiq; fundamentales Leges non ſunt niſi Cōſuetudines in Scriptū redactæ.

 3. Un-

3. Unde patet quid *Lex* ſit; nempe Ordinatio vel Regula quædam à Principe ſimul & Populo in perpetuum lata. Neceſſe eſt enim Legi, ut, ſi non fuerit prius per modum Conſuetudinis à Populo confirmata, ſit poſtmodùm per uſum acceptata, alioqui non niſi Mandati rationem habet. Differt itaque Lex à Mandato, quòd *Mandatum* immediatè à ſolâ poteſtate Magiſtratûs vim habeat, neque ſit Uſu introductum, natum ſit eſſe de ſervitute particulari & temporaria, & propterea non neceſſariò ſcriptum & fixum. Addit itaque ratio Legis ſupra rationem Mandati quòd ſit ex Neceſſitate Publicâ, Æterna, Acceptata, & plerúmque etiam Scripta. Mandatum tandem eſt nuda Voluntas Principis de quocunque in Bonum Reipublicæ agendo, ſive communi ſive particulari ſive æterno ſive temporali, ſive acceptato ſive tantùm acceptando, ſive ſcripto ſive ſolâ voce prodito. Vis ipſius ex purâ Voluntate Principis; & tamen, (quod mireris) plerúmque fortius eſt vel Lege vel Conſuetudine. Quod ex eo evenit, quòd Obedientia Subditi magis in eo implicata ſit; Qui enim refragatur Mandato Principis, videtur diſſolvere neceſſitatem Obedientiæ, hoc eſt, totam Reipublicæ machinam, quaſi vulnus

in caput vel cor infligat; cùm violatio Legis vel Conſuetudinis non ultra Bonum per eas intentum impetere putetur. Et ſic videmus graviſſimis pœnis ſubjici reſiſtentes Mandatis Magiſtratuum, quaſi Rebelles & non acceptantes Regimen Reipublicæ.

4. Ubi itaque Conſuetudo eſt perfecta, & etiam Lex & objecta ſunt æqualia, nequior eſt violans Conſuetudinem, quia fundatur in immediatâ & gratuitâ voluntate Populi. Si oppoſita eſt Lex & Conſuetudo, Legi ſtandum eſt tanquam Sapientiori. Contra utramque Principi obediendum eſt, & ipſius pleno Mandato, velut Unitatem Reipublicæ in ſeſe continenti, & veluti animatæ Legi ſeu Sapientiæ ultra vim Legis ſeſe porrigenti. Quando autem Mandatum perfectum eſt ex apertâ paſſione vel perſuaſione manifeſtè iniquâ, quid ſit agendum nondum dilucet.

5. Patet quoque ex dictis quæ ſit Materia Obedientiæ, ſeu in quibus oportet obedire. Cùm enim dictum ſit Obedientiam eſſe virtutem Conſulentis, & Conſulentem ſubmittere intellectum ſuum intellectui Conſulti, & Conſultum ex naturâ rei expectare ut conſulens ſequatur directionem ipſius, evidens manet materiam Obedientiæ

eſſe

eſſe illam in quâ Conſulens ſubmittit ſeſe & Intellectum ſuum conſulto. Diximus quoque in Republicâ perfectâ Subditum ſubmittere intellectum ſuum in omnibus quæ ad vitam communem ſpectant: Clarum itaque eſt omnia hæc ad Materiam Obedientiæ ſpectare. Veruntamen, cùm Obedientia pendeat ex ſubmiſſione Subditi, non poteſt amplecti plura quàm ipſa Submiſſio & Libertas ſubditi; quæ eſt poteſtas per quam renunciare ſuis valeat. Quare, cùm hæc non ſeſe extendat ad actiones malas, ad eas non poteſt ſeſe ſubmittere Subditus. Verbo, quia Natura & naturalis inclinatio, quæ eſt principium liberarum reſolutionum, non ſunt materia deliberationis, in his ſubmittere ſe non poteſt. Hæc autem ſunt Appetitus Beatitudinis, & eorum quæ ad ipſum habent rationem mediorum neceſſariorum, quales ſunt actiones quarum contrariæ non conſiſtunt hîc & nunc cum rectâ ratione; quas determinare totius pœnè Philoſophiæ Moralis opus eſt. Cætera itaque ferè omnia pertinent ad materiam Obedientiæ Subditi ad Magiſtratum, cùm difficile ſit nominare aliquam quam impoſſibile ſit interdum ad Convictûs Civilis meliorationem, hoc eſt, ad Bonum Publicum, reduci.

6. Non

6. Non tamen ex his ſequitur Actus Internos eſſe materiam Obedientiæ Civilis, ſive per ſe ſive per accidens. Cùm enim illæ ſolæ Actiones ſpectent ad Obedientiam quæ ad Commune Bonum ſeu Convictum Civium proſunt, Actiones verò ad alios non niſi exteriores pertingant, palàm eſt eas ſolas eſſe materiam Obedientiæ Civilis. Adde non poſſe ſubmitti Magiſtratui, cùm ipſa Submiſſio exterius aliquid ſit, & per conſequens ipſa Actio jam exterior ſit. Neque obſtat Actum Exteriorem non poſſe exhiberi ſine Interiori: Non enim prævia ad Actionem imperantur ex imperio Actionis; Ut, quando imperatur pugnare, imperatur habere Arma, quod plerúmque priori Mandato imperatum erat; Neque Comedere aut Dormire pridiè prælii, quæ tamen ad rectè præliandum neceſſaria ſunt: Sed ſufficit ut Actio imperata rectè fiat; cætera non imperantur magis quàm habere vitam vel membra integra, ſine quibus Certamen non rectè initur; attamen vel ſupponuntur, vel præviis mandatis jam parata ſunt ante hoc mandatum. Non itaque pertinet ad Principem quo affectu actio fiat; ſed ut fiat, & exeat proportionata Fini ipſius, qui eſt rectus Convictus Civium.

7. Con-

7. Conſequenter ad hæc tenetur; non rectè à ſubdito excipi contra obſervationem Legis quæ in uſu eſt, quòd ſit injuſta, noxia vel inutilis: Clarum enim eſt has exceptiones eſſe Iudicantis Legem & intromittentis ſeſe in gubernationem Reipublicæ. Unde etiam, ſi quis in Tribunali hæc objiceret, puniretur à Iudicibus. Palàm eſt itaque doctrinam illorum qui Leges ſimilibus cauſationibus negligunt, dupliciter contra Obedientiam peccare; & negligendo proprium finem Legis, & ſpecie quâdam Seditionis contra Poteſtatem Principis & Unitatem Reipublicæ. Unica itaque cauſa eſt in communi excuſans ab Obedientiâ, ſi prætexatur non eſſe Lex, hoc eſt, non eſſe in Uſu; ſive quia non eſt accepta, ſive quia deſiit. Quæ tamen non ſufficiunt ſi conſtet de Mandato; hoc eſt, quòd ſit Magiſtratûs abſoluta Voluntas; tunc enim, etſi non obliget in ratione Legis donec acceptata fuerit, obligat tamen in ratione Mandati, ut velut tale acceptetur & proficiat in Legem.

8. Quandoquidem verò in Legis ratione poſitum eſt ut lata ſit in perpetuum, abigendus eſt ſcrupulus non quæſititius de poſſibilitate hujus conditionis. Cùm enim Natura doceat Filios eſſe æquales Parentibus,

bus, quomodò poterunt Parentes Legem ferre quæ poſteros liget? Imò non poſſe, ultra quæſtionem lucet: quotidiana ſiquidem experientia contrà ſtat. Videmus enim priores Leges poſterioribus revocari; & vim in noviſſimis reſidere, extinctis iis quæ ſunt revocatæ. Hæc cùm ita ſe habeant, quomodò non perperàm in Lege requiritur ut ſit Perpetua ſeu in perpetuum lata? Verùm non eſt difficilis intellectu perpetuitas Legis, non obſtante revocabilitate: Satis enim eſt quòd figentes eam, non adverterunt aliquod inconveniens ex quo mutationem futuram neceſſariam judicarent. Proceſſit itaque Lex tanquam Æterna, quantum pendet à Conſilio & Voluntate ferentium. Sed & in aliquibus Legibus tanta eſt evidentia convenientiæ, ut obſervatio ipſius non poſſit non eſſe commoda Reipublicæ; ſaltem plerúmque, quod Legi ſatis eſt; &, quod ſequitur, ſemel manifeſtata obliget omnes poſteros; non vi quaſi Poteſtatis, ſed Evidentiâ & vi Rationis cui obedire tenentur poſteri, ex manifeſtatione factâ per Deceſſores.

9. Quid itaque? Nulláne eſt in Parentibus poteſtas obligandi natos ſuos, & ex iis gignendos? Putà, non valet ſponſio quâ Reſpublica familiam aliquam in Principes

ſuos

ſuos eligit, & vovet ſervitutem? aut ſi valet, in quâ vi ligat quorum Voluntas in nihil conſenſit? Et, primò quidem evidens videtur, eſſe à Naturâ inditum Parentibus bona providere poſteris vel nondum natis, vel necdum ſui potentibus: Unde fit Rationis juſſum Filiis illi Parentum providentiæ ſtare. Unde ſi Parentes ad extinguenda bella, quæ poſterorum vel exiſtentiam vel felicitatem ſuſtuliſſent, pacta tum temporis Rationi conformia firmaverunt; non dubium quin Poſteris, cæteris paribus, Ratio imperet eorundem tuitionem. Sed totum hoc ſine ullâ Poteſtatis Paternæ Iure vel eminentiâ peragitur, purè ex lege quâdã Gratitudinis, quâ curanti rectè rem tuam reſpondere mandat Rationalitas. Unde reſpectu cujuſlibet benevoli eandem operam tibi dantis, æqualis Obſervantia deberetur. Alia obligatio inde naſcitur, quòd Filii non quaſi per acervos vel meſſes unóq; cumulo ſuccedunt Parentibus, ſed pedetentim & pænè inſenſibiliter; ita ut ſimul Reſpublicâ ex pueris, adoleſcentibus, Viriſque conſtet; qui omnes adhuc Filii ſunt, & cum Parentibus vivunt. Unde, in ea quæ Parentes ſanciunt ſinguli priùs conveniunt, quàm Corpus hanc obligationem inſtituens ſit mutatum. Poſtquam verò ſuo ipſorum

ar-

arbitrio in conſtituta Patrum ierunt, ſerum eſt electionem factam revocare, quia per modum donationis & alienationis, non commodati vel mutui peractum eſt. Specialis ratio intercedit in ſingularibus Legi ſubditis; quando videlicet Pater obligat poſteritatem ſuam ad officia & ſervitutes alteri familiæ præſtandas; quia Lex & Bonũ Reipublicæ ſupra & Patrem & Poſteros poteſtatem habet, ex cujus Lege tenenda ſunt quæ ſic ſemel ſancita fuerunt. Ex quibus patet, quomodò intelligendum ſit, Voluntatem Filiorum eſſe in Voluntate Parentum; videlicet, non per quandam fictionem Iuris, ſed ex vi Rationis & naturalis progreſſionis Voluntatum ex eâ Naturæ multiplicatione, quæ induit continuitatem quandam Publicæ Voluntatis ex Neceſſitate inevitabili.

TRU-

TRUTINATIO SECUNDA.

AD

Quæ ſe extendat Materia Legis?

1. NUnc alia capienda eſt Scena, & quærendum Quid liceat Summo Magiſtratui imperare? Devii enim palantur qui tantundem putant eſſe licitè imperare & ex Ratione, quantum obligare Subditum ad Obedientiam. Obligatur enim Subditus, ex vi Boni Communis & Imperii ordinem non temerandi, obſequi Principis Voluntati; abſque examinatione, juſtáne ſit an injuſta, recta an ſecùs, gravéne ſit quod imperatur an ſuave, modò conſtet eſſe imperatum: Sed Poteſtas Principis eſt ad imperandum ex vi Boni Communis, ſeu ex opinione hâc quòd quicquid imperat ſit Optimum; vel ſimpliciter, vel certè eorum quæ ipſi in mentem veniunt ad hîc & nunc Rempublicam adminiſtrandam. Et quicquid mandat, parvum vel magnum, ex aliâ intentione non ſubordinatâ huic, ſi ſpectet materialiter gnbernationem Reipublicæ, ſive

ſive recta fuerit Actio ſive ſecùs, illicitè & nequiter imperatum eſt. Hæc enim eſt adæquata Regula Summo Magiſtratui propoſita, quam neque præter neque contrà eundum eſt; ut, quod optimum ipſi videtur omnibus computatis ad Reipublicæ adminiſtrationem hoc agat; &, quantum ab hâc Regulâ deviatur, tantum perperàm imperatur.

2. Neque in hâc abſtractione differenti facilè occurrit aliud enarrandum, niſi quorundam importunitas extorqueret quæri, Utrum ſit in poteſtate Summi Magiſtratûs imperare Subdito, ut ſemet ipſe de delicto puniat. Et nihil clarius eſt quàm ſi hoc faciat, Principem ei committere vices ſuas. Clarum enim eſt ex Naturæ vi (quod monuit Sacer Scriptor) quòd *non ſine cauſa gladium portat*, hoc eſt, inſtrumentum Vindictæ: Cujus autem eſt Inſtrumentum, ipſius quoque eſt Actio Inſtrumenti: Palàm eſt itaque eſſe opus Magiſtratûs, Vindicare. Neque minùs clarum eſt non pertinere ad nocentem, niſi fortè pœnitentem, hoc eſt, poſtquàm deſiit eſſe nocens; &, per conſequens, quando ex naturâ rei cauſa Vindictæ ceſſavit, ſeu jam non debetur Vindicta. Quid magis in ſe adverſum & repugnans eſt quàm habentem Voluntatem

tem perſiſtendi in Malo eundem eâdem uti Voluntate ad deſtruendum Malum ad quod afficitur. Palàm eſt itaque nihil Naturale eſſe in actione mandantis Reo ut ſe puniat. Præterea, quatenùs Actio eſt Voluntaria eatenùs non eſt Pœna, cum Pœna ſit Dolor, & Dolor reſiſtentia quædam ad Malum. Quatenùs itaque procedit à patiente, eatenùs non eſt pœna. Tandem pœna non dependet ex voluntate Rei, quæ de ratione Pœnæ detrahit. Verùm, adverſus hæc eſt Uſus quarundam Nationum: Turca dicitur mandare delinquentibus ut capita ſua ad Ipſum mandent; Imperator Iapanenſis ut effindant ſibi viſcera; Athenienſes mittebant cicutam epotandam; Alii modum mortis eligendum; quæ omnia Mandata quædam videntur ſeſe puniendi. Sed ad hæc exempla reponat quis, eſſe Barbarorum; Neque ſatis negari poteſt, niſi fortè de Optione ſupplicii: Etſi etiam cætera à Barbaris per modum Clementiæ agantur, ut mitior ſit pœna, quia non ſævitur in cadavera vel neceſſarios.

3. Sed, quicquid ſit, non ab Exemplis cogimur fateri eſſe ſecundùm Naturam vel ordinem Rationis ut quiſquam cogatur eſſe ſui Carnifex. Replicabis, ſimile eſſe quòd Matres Infantes cogant virgas qui-

quibus cæſi ſunt oſculari, & gratias agere quòd illis benè fecerint. Reſpondetur, Matres non per modum Vindictæ ſed diſciplinæ, ſeu ad appetitum formandum, hæc agere; quod à noſtrâ quæſtione prorſus alienum eſt. Expendat autem qui credit poſſe mandari alicui ut ſeſe puniat, quàm abſurda & ridicula res foret Magiſtratui, proponere Reipublicæ mandatum, ut quiſquis furtum feciſſet poſtridiè laqueo ſe necaret: Nonne clarum foret ejuſmodi Principem non intelligere poteſtatem Vindictæ in Republicâ poſitam eſſe ad cogendos nolentes ad Virtutem, non illos qui ex præciſo Juſſu ſeſe ſint Bonos effecturi. Unde & hi qui mandant ſubditis mortem vel pœnam, cogunt ad eam aſſumendam metu graviorum ſi recuſent. Videtur his obſtare quòd in poteſtate ſit Subditi, promittere Gubernatori ſe tales pœnas de ſe ſumpturum ſi flagitium fecerit; quare, cùm poteſtas Magiſtratûs ſit circa omnia quæ Subditus poteſt in ſeſe ſuſcipere, ſit clarum poſſe talem Legem condi ut ſeſe puniat delinquens. Verùm; non officiunt iſta: Illa enim impoſſibilia cenſentur Magiſtratui quæ contra naturam Regiminis ſunt; ſi enim Rector ſit, debet Regere;

cùm itaque Regere ſit per præmia & Pœnas efficere ut Subditi ſint boni, non poteſt horum alterum permittere ipſi Subdito. Verè enim talem Legem condere eſt eximere Subditum peccantem à Pœnâ; ſiquidem Regimen Civile de quo in præſens loquimur, ſupponit Delinquentes eſſe Malos; & ad hoc conſtituitur ut cogat eos eſſe Bonos. Non poteſt itaque talis Lex condi quæ Pœnas relinquat in arbitrio Delinquẽtis. Quid, inquies; non poteſt ita ſtatui, Qui furtum facit niſi ſponte ſuâ reddat quadruplum, ſuſpenditor? Non prorſus inficior; ſed ajo, ſi *ſponte* hanc vim habeat, ut, antequam, detegatur, vel in periculo cogatur reddere, Legem hanc non conſiſtere cum imbecillitate naturæ humanæ; neque ſimilem aliquam memini vel legiſſe vel audiviſſe: Clarum enim eſt, conditionem appoſitam non eſſe invitatoriam ad aperiendum ſuum crimen, ſicut cum Impunitas vel Præmium uni promittitur, ut Complices detegat; & alióqui, quid gravius eſt Delinquenti quàm pœnis ſeſe dedere, dum ſe liberum exiſtimat. Sin *ſponte* ſignificet *poſt detectionem* vel certè periculum; tum, non tam cogitur ad quadruplum ſolvendum, quàm ſuſpendii pœna, peccato debita, per hanc legem ei relaxatur.

4. Ex

4. Ex his conficiamus, eos qui Legem pœnalem ita definiunt, eſſe Prohibitionem actionis alicujus ſub *Pœnâ*, male dividere Legem in *Pœnalem* & *non-Pœnalem*: Omnis enim Prohibitio Pœnam involvit: Culpa ſiquidem in Jure Civili non eſt aliud quàm reatus Pœnæ; Nemo verò, niſi fallor, Prohibitionem aliquam putat, neque Culpam inferre neque Pœnam. Si itaque Culpa eſt reatus Pœnæ, confectum eſt in hâc explicatione, omnem Prohibitionem eſſe pœnalem. Neque refert quòd ſæpiculè non determinatur Pœna, vel dicitur ſub indignatione vel diſplicentiâ Supremi Magiſtratûs fieri Prohibitio; hæc enim eſt Pœna quædam arbitraria, quam Princeps, datâ occaſione, inferet cum ipſi libuerit. Hanc modò tolle, & quomodò explicaturus es rationem *Culpæ Civilis?*

5. Inferri credas non poſſe imperari alicui ut ipſemet ſolvat pecuniam quæ pro mulctâ imponitur, ſed tantummodò ut permittat auferri. Sed fruſtra: Imperari enim poteſt quando ita convenit Reipublicæ & adminiſtrationi Juſtitiæ faciliori, ſed ſub novâ pœnâ. Imperatur verò tũ non ut Pœna ſed ut Debitum Civile. Neque tunc imperatur ut quis puniat ſemetipſum: Non enim infligens malum vel damnum, punit,

ſed qui neceſſitat ad hoc malum ſubeundum. Sicut enim non dicimus flagellum vel ſecurim punire hominem ; ſic neque Carnificem ; ſed Judicem, in quo reſidet forma illa puniendi ſeu Juſtitiæ vindicativæ, ut quantum mali fecit tantum & patiatur : Et, cum Delinquens exequitur tale Mandatum Judicis, non reſpicit Judicem, ut Vindicem criminis, ſed ut adminiſtratorem Reipublicæ ſeu diſtribuentem Officia. Vindicta enim coactio quædam eſt à vi coactivâ procedens, & non per liberam Obedientiam. Unde, ſi non aliud quàm Vindicta reſpiciatur, non poteſt uti ſpontaneïtate & libertate Obedientiæ, ſed debet vi procedere. Neque Subditus, niſi aliquid aliud quàm pœnam cogitet, vel aliquid aget vel patietur, niſi invitus. Sic enim Violentum definitur, ut, *nihil conferente paſſo*, in eo fieri intelligatur. Unde Judices qui puniunt Delinquentes, ob reſiſtentiam non agunt ſecundùm Naturam. Secus eſt de Lictoribus & Carnificibus. Cùm enim horum opus ſit exequi Vindictam, reſiſtentes vi domare ad illos pertinet. Stet itaque Legem omnem pœnam vel præmium conjunctum habere ; & propterea eam Legem propriè Pœna-

nalem dici, quæ de pœnâ principaliter fertur.

6. Juriſperitis tamen reſpondendum eſt, qui Legum Uſum nobis allégant; alium in iis in quibus Iudex habet pœnam infligere, alium cum ipſum Ius infligit. Videtur enim ipſe reus ex vi Legis pœnis à Iure inflictis ſeſe exponere debere: Verùm, fallax eſt ſequela; Conſideranti enim apparebit medium. Verbi gratiâ; Sit Pœna Confiſcatio Bonorum quæ Uni crimini imponitur, velut pœna ad quam à Iudice damnandus ſit Reus, alii verò ab ipſo Iure impoſita per hæc verba, *Ipſo facto pertineant Bona ipſius ad Fiſcum*, vel æquivalentia: Nónne clarum eſt Bona hujus poſterioris Delinquentis, quæcunque ad Ipſum ſpectant, in ipsâ horâ Delicti ex vi Legis non amplius eſſe Ipſius ſed Fiſci; Bona verò prioris adhuc eſſe ipſius delinquentis donec Iudex ea Fiſco addixerit? Unde donationes, alienationes &c. hujus eſſe validas uſque ad ſententiam; Poſterioris verò, omnes irritas. Clarum itaque eſt medium quoddam eſſe inter hæc quòd ipſe tradat Bona ſua Fiſco, & quòd Bona adhuc maneant Delinquentis. Dices ſaltem, non poteſt Uti bonis ſuis quia non ſunt Sua.

Reſpondetur, quicquid de hoc ſit dicendum, non eſt hujus loci; nondum enim de particularibus agimus;ſatis eſt medium dari, & ipſum non teneri ſeſe punire.

7. Quærunt alii, an in poteſtate Principis ſit ea permittere quæ Naturæ contraria ſunt. Et, nè ſit æquivocatione labor irritus, non volunt idem eſſe *permittere* & *tolerare*; ſed *tolerari* dicunt illa quæcunque impediri vetantur, *permitti* verò quæ publicâ authoritate etiam adjuvantur. Exemplo patebit diverſitas. Si Fœnus & Fornicatio ſint ab ipsâ Naturâ illicita, dicetur Reſpublica tolerare Fæneratores & Fornicarias ſi vetet quempiam iis eſſe moleſtum, & ultrà non ſe immiſceat. Sin ultrà ſortem vel mercedem ſolvi cogat, *permittere* dicetur, etſi non approbet factum. Attamen, quicquid ſit de actionis bonitate, hoc conſtet, non eſſe quæſtionem de Poteſtate Reipublicæ, ſed de Prudentiâ vel Bonitate; &, quod ſequitur, ad hunc locum non ſpectare. Si enim prudenter procedat Judex, bonum erit Reipublicæ; neque dubitari poteſt quin ſit in poteſtate Magiſtratus illud imperare; Sin ſit noxium Reipublicæ; Judex non prudenter imperat. Patet autem ex ſupra reſolutis non facilè aſſumendum eſſe, aliquid contra Naturam imperari, cùm Imperans non

non niſi Actionem Externam imperet;& in ejuſmodi per-ſe-Malum non ſit natum reperiri.

TRUTINATIO TERTIA.

DE

Juſtitiâ Legali in ordine ad Subjectum.

1. Quare de Juſtitiâ Legali à parte Principis conſtat quòd non ſit propriè Juſtitia, ſed in Supremo Magiſtratu Virtus nobilior Juſtitiâ, nempe *Charitas Patriæ.* De Obligatione verò quæ in Principe eſt ex Promiſſione vel Juramento nihil dictum eſt, quia non pertinent ad Principem ut Principem; ſed quatenus vel in ſe, (ſi indiget tali modificatione,) vel in opinione Subditorum imperfectus eſt. Eſt itaque obligatio quædam quaſi ad æquales, & non pertinet ad Juſtitiæ Legalis dictæ rationem. Demùm, Juſtitia Legalis, prout in Subdito, eſt maximè obligationis ratione Materiei, quia verſatur circa Bonum Commune; ratione Neceſſitatis, quia ex violatione illius damna graviſſima & incompa-

rabilia ſequuntur; & ex ratione terminorum inter quos verſatur; quorum in uno eſt plenitudo Boni, in altero Indigentia; unde relatio Iuſtitiæ non eſt inter illos, ſicut neque inter Servum & Dominum, Prolem & Parentes; & fortaſſis minus fundamentum.

2. His ſtantibus, celebris illius Quæſtionis, *An Supremus Gubernator ſit ſubjectus Legibus*, non eſt difficilis Solutio, modò conſtet quid ſibi velit *eſſe ſubditum Legibus*. Si enim Senſus ſit, An poſſint expeti à Principe Pœnæ ob violatas Leges, eo ipſo ponitur Superior aliquis Principe quo ponitur eſſe cui pœnas pendat. Sin non eſt ſubjectus pœnis, neque Lex aliud efficiat quàm ut reus pœnæ ſit qui eam violat, ſtatim confectum eſt Legem nihil operari in Supremum Principem; non itaque Legibus obnoxius eſt. Tertium itaque eſt, ut Leges ſint illi per modum Regularum vel inſtructionis, ut indicent ei quid ſit melius vel quid ſit agendum. Sed neque ſic Princeps ſubditus Legibus cenſeri debet. Ut enim didicimus, *Juſto non eſt Lex poſita*; & docet Philoſophus quod Virtute præditus naturaliter ſeu ex habitu (Conſuetudo enim altera Natura eſt) operatur quæ Lex jubet.

bet. Cùm itaque Supremus Gubernator ſupponatur non Virtute prædítus duntaxat, ſed fons Legum; in hâc viâ dicendi aſſerendum eſt Leges eſſe bonas quia ſunt conformes pectori & Sapientiæ Principis, non verò Principem, quia eſt conformis Legibus. Sed *cognoſcitur* quidem Princeps bonus quia Actiones ipſius ſunt conformes Legibus, Leges autem ipſæ *ſunt* bonæ quia conformes Principi; ſicut ædificium eſt quale oportet quando & quia conforme Ideæ Architecti. Sicut enim Idea eſt Natura Artificis quatenùs talis eſt, ita Sapientia Legum conditrix eſt forma eſſentialis Principis, ut Principis; ſi non in ipſo Eſſe, ſaltem in eo quod convenit, & in eo quod ſupponendum eſt, & in eo ſecundùm quod machina Reipublicæ formanda & formata eſt.

3. Ex quo rurſus apparet tantò inſignius eſſe Vitium in Principe, quàm in particulari; (loquendo cæteris paribus,) quò vitioſius & deformius eſt in Eſſentia & Subſtantiâ deficere, quàm in Accidente. Subditus enim habetur pro eo qui per Legem faciendus eſt bonus, & propterea cui contingens ſit eſſe bonum, & qui deficere natus ſit, tanquam

R 5 non

non perfectus. Princeps verò, ut dictum eſt, tanquam Idealiter bonus, & propoſitus in exemplum Populo; in quo Populus videat quomodò executioni mandanda ſint quæ Leges docent & imperant. Subditus itaque à Lege, Lex à Principe, Princeps à ſolo Deo Bonus reputatur. Neque refert quòd in Senatu, imò in Republicâ in quâ Senatus ſub Duce regit, Senatus & Princeps ſeu Dux clare teneantur Legibus Senatûs: Verè enim hi non ſunt Supremi Magiſtratus, ſed particularia membra; Supremus autem Magiſtratus eſt ipſe Senatus cum tali Principe vel Duce; non ut condiſtinctâ parte Supremi Magiſtratûs, ſed tanquam uno è Senatu, ſine quo decreta Senatûs vim habent, & in quem. Si verò conſtitueret hujuſmodi Princeps condiſtinctam partem Supremi Magiſtratûs, tum neutra pars ſed utraque ſimul foret Supremus Magiſtratus, utraque quoque pars Subditi, niſi diviſio ſit inæqualis, & ex inæqualitate alteri parti agnaſcatur Principalitas.

4. Ex hactenùs explicatis ſatis claret, quomodo Juſtitia Legalis inter Magiſtratum & Subditos tum incipiat tum expiret. Nam & Princeps, ſi dignus eſt Principatu, & Reipublicæ causâ non ſui init Magiſtratum, pro regulâ habet neceſſitatem Reipublicæ,

blicæ, tum quoad ſuſceptionem, tum quoad dimiſſionem; ut qui intelligat ſibi melius eſſe quæ Idiotæ ſunt proſequi ; Suſcipiendam verò eſſe Rempublicam charitate Civium, quia illis vel non benè vel non æq; benè futurum ſit ſine illo. Quare, cùm claruerit illi vel melius fore vel æque benè citra ſuam opem, ſibi proſpiciet & dimittet Magiſtratum. Ex adverſo populus Principi non poteſt dicere *nolumus te regnare ſuper nos*, quia Populus Promiſſione tenetur; Promiſſio verò irrevocabilis eſt ſi ſemel in rerum naturâ exiſtit: Quod propterea addo ut eximam me ab examinatione conditionum neceſſariarum ad hoc ut promiſſio ſit Vera Promiſſio; hoc eſt, habeat poteſtatem obligandi; etſi omnes ad hanc unam reducantur, ut ſit prudenter facta; hoc eſt, concepta, & parta ſeu manifeſtata.

TRUTINATIO QUARTA.

AN

Promiſſio perfecta ſit revocabilis?

1. QUod itaque Promiſſio ſic perfecta ſit irrevocabilis ſic conſtat. Primùm, in Moralibus principium eſt, Nihil irrationabiliter faciendum eſſe, ſeu omnem Hominis actionem oportere à Ratione proficiſci & ab eâ gubernari. Unde ſequitur, poſitâ unâ Voluntate rectâ, ſubſequentes eſſe ipſi conformes; alioquin Animam deformem futuram; Volitionem itaque præteritam, ſi fuerit recta, ſubſequentes eidem conformes eſſe, ſi rectæ ſint: Et quoniam quæ ſemel præterita eſt jam non eſt mutabilis, ſubſequentes ab eâ pendentes neceſſitatas eſſe vel ipſi eſſe conformes, vel malas. Si autem ſequentes Voluntates ſunt conformes Promiſſioni, clarum eſt eas tendere ad impletionem ipſius, neque poſſe illam irritam & quaſi nullam facere, quantum ex ſeſe eſt. Ex hoc itaque mani-

manifeſtum eſt, non eſſe in poteſtate Promittentis implere Promiſſum; ſed, ſi non perficiatur opere; ab extrinſeco impedimento profectum eſſe. Unde itaque eſt quòd Viri probi non præſtent actu quod promiſerunt? Reſpondetur, hoc inde eſſe quòd Promiſſio ſit de Futuro, quale vocant Contingens, quod non habet determinanatum eſſe in cauſis; unde ſit ut poſſit devenire non-Ens invito Promiſſore. Unde fit quod erat *aliquid* quando promittebatur,ante impletionem evadere *Nihil*, & ſic non eſſe contra actum rationalem promittentis non perficere. Exempli causâ; ſi quis Filiam tradere nuptui promiſit poſt annum, interea verò ipſa moriatur; clarum eſt, cum Promiſſio fieret, in Cauſis fuiſſe hunc effectum, Filiæ nempe traditionem; Filiâ autem defunctâ,eam tradi nuptui non eſſe aliquid quod in poteſtate cauſarum naturalium ſit. Cùm itaque objectum promiſſionis ſit aliquid agibile, & ſine objecto Ars nulla poſſit eſſe, palàm eſt ex morte Filiæ Promiſſionem deveniſſe non-promiſſionem: Sicut ſi promittens, ante tempus actionis promiſſæ defungeretur, clarum foret promiſſionem ſimul expiraviſſe.

2. Attamen, quia ſive propter vocum

æquivocam vim, ſive propter ſimilitudinem ejus quod non eſt Promiſſum cum eo quod eſt Promiſſum, videntur viri Boni non tenere Promiſſionem, videtur incautis quod *P*romiſſio poſſit vel revocari vel diſſolvi; quod non ſic ſe habet. *P*erpendamus enim hoc Hominis eſſe, agere ſecundùm Rationem; *P*romiſſio itaque, ut Humana ſit, debet eſſe rationabilis; Quod itaque vocibus Promiſſionis quocunque modo continetur quod non ſit ſecundùm Rationem ut fiat, non poteſt ab Homine, ut tali rectè *voli*, & per conſequens ex regulis Rationis non poteſt obligare ad effectum, ſed habet naturam & vim vitioſi actûs. Loquendo itaque ex vi Naturæ, & abſtrahendo à Legibus vel aliis accidentibus, talis Promiſſio non eſt nata vinculum imponere Rationi, neque eſt objectum debitæ Promiſſionis. *S*i itaque vir prudens inveniat ſeſe circumventum ſeu dolo ſeu inconſideratione propriâ, non ſe putabit obligatum tali actu, niſi aliquid extrinſecum cogat.

3. Faciamus (inquies) ex inadvertentiâ, citra culpam utriuſvis partis, malè factam Promiſſionem; & ex fide datâ Promiſſarium eò ſe demiſiſſe ut grave damnum paſſurus ſit niſi impleatur Promiſſum;

Num

Num Promiſſio non erit tenenda? Reſpondetur, non quæri modò quid agendum ſit ex Valore Promiſſionis, ſed quid ex aliâ aliquâ Virtute & quâdam ſpecie Pœnitentiæ quâ Vitium præteritum ſarciri debeat; & per diſtinctionem Culpæ & non-Culpæ dividenda erit Quæſtio ex regulis nondum expenſis. Sicut autem Promiſſio per ignorantiam præſentis rerum ſtatus facta non eſt Vera Promiſſio, ſic etiam quæ facta eſt per ignorantiam futurorum eventuum. Ratio itaque hæc eſt adæquata; Quod non eſt rationabiliter promiſſum, non eſt perficiendum ex vi Promiſſionis. Unde corrigenda eſt illa quorundam explicatio qui mutationem circumſtantiarum faciunt irritare Promiſſionem, quoties Promittens non voluiſſet promittere ſi intellexiſſet conditiones ita mutatum iri. Cùm enim Actus ex ſeſe non ſit revocabilis, & ſit proinde firmus ſi bonus, non pendet ex diſpoſitione Agentis (qui per timiditatem vel aliam cupiditatem, fortaſſis ſecundùm Rationem non egiſſet) ſed purè ex Irrationalitate Actûs quod non teneat. Non tamen cupio intelligi fortaſſis eandem non eſſe mentem Authorum, ſed ſaltem Voces eſſe corrigendas credam, ut ratio cur non teneat Promiſſio ſit clara.

4. Et

4. Et ex his perſpicitur quare vitioſa Promiſſio nil cogat; quia, ſcilicet, ſequentes actus oportet eſſe diſſormes promiſſioni vitioſæ, & nullos eſſe effectus ipſius quatenùs eſt vitioſa. Et hinc evidenter ſequitur promiſſionem mercedis pro re illicitâ non tenere, neque ante factum, neque poſt, quantumcunque laboris vel periculi ſubierit mercenarius. Si enim Turpe ſit eſſe Conſtantem in actione turpi, Fidelitas autem Conſtantia eſt ſeu Conformitas ad Promiſſionem turpem, certè hoc ipſo Fidelitas turpis eſt. Non itaque ex vi Promiſsionis acquiritur aliquod Jus promiſſario, vel aliqua Subjectio promittenti inducitur. Quid autem ex aliis capitibus contingat ad illa pertinet; præſertim, ſi non tantùm ex Naturâ, ſed etiam ſecundùm Leges poſitivas ſit illicita actio. Notandum tamen eſt, eſſe obſervandas Naturæ Univerſalis Leges etiam in promiſsionibus; nempe, ut Subſtantia promiſsionis ſit nulla; alioqui enim ſi quoad Subſtantiam ſit licitus actus, etſi ex accidente vitioſus, poterit obligationem inferre; alióqui paucæ promiſsiones tenendæ forent: Rari enim ſunt actus humani ex omni circumſtantiâ perfecti.

5. Non tamen ſine lite ſecura eſt propoſita

poſita Concluſio ; neque enim vis eſſe aliqua in Promiſsione videtur ſi non ei ſtetur, niſi quatenus conveniens erat circumſtantiis in quibus ad implenda eſt dicta Promiſſio. Hoc enim poſito, fit Actio, non quia promiſſa eſt ; ſed quia, etſi non fuiſſet promiſſa, Rationis juſſu jam erat facienda : Quod præter irritationem vis Promiſsi, etiam militat adverſus communem hominum ſenſum : Quoties enim dicunt Prudentes, *Niſi pollicitus fuiſſem non præſtitiſſem quod modò facio, ſed nolo dicto impar eſſe?* Præterea, in Pactis hâc lege nihil certi foret, ſed reſcindenda forent quæcunque in effectu gravarent paciſcentem. Neque quiſquam injuſtè agere creditur, ſi Pacta exigat etiam cum damno Paciſcentis ; & Promiſſarius ſe ſecurum facit, non ex æquitate rei, ſed ex eo quòd indecorum ſit Pollicito non ſatisfacere expectationi quæ de ipſo habetur. Dubio itaque omni procul non rectè reſponſum eſt, tunc Promiſſis deeſſe virum probum, quando, viſo eventu, non fuiſſet ex Ratione fidem ſuam interpoſuiſſe.

6. Veritati nihilominùs propoſitæ ſtamus, dicimúſque, Promiſsioni quædam per accidens hærere, quæ de vi ipſius actionis nulla pars ſunt ; atque imprimis ipſe

ipſe Promittens nonnunquam non intelligit ſe promiſiſſe quæ videtur eſſe pollicitus: Interdum, quando intelligit Promiſſionem ex ſeſe non eſſe firmam, tamen apprehendit cæteris non ſic viſum iri, & idcircò vult obfirmare ſe ad actionem quomodocunque ſibi damnoſam, honoris ſui causâ. Tandem Promiſſio omnis ex naturâ rei oneroſa eſt, hoc eſt, damnoſa Promittenti, & non rectè fit niſi Charitatis vel Benevolentiæ causâ, quæ aliquantum Agenti incommoda eſſe ſolent quoad externa; licèt, quia Virtutis opera ſunt, propterea magis ſint proficua. Quibus dictis conſtat quare Senſus hominum hâc in parte ſæpiculè diverſus ſit à rei veritate; putà, propter obſcuritatem rei, quæ videtur vel ipſi vel aliis alia eſſe quàm de facto ſit; quæ cauſa eſt ut reverâ ſit ex ratione Promittenti perficere quandoque quod Promiſſio ex vi ſuâ non exigit. Præterea Promiſſarius obnoxius eſt periculo vel etiam damno ex eo quòd fidat Promittenti. Unde Promittens videtur damnum dediſſe; & quantumvis citra culpam Promittentis, imò interdum per culpam Promiſſarii temerè fidentis probitati Promittentis, tamen pleriſque adparet ex honeſtate Promittentis eſſe damnum facere potiùs quàm deſe-

deſerere Promiſſarium, niſi nimiùm patula ſit imprudentia ipſius.

7. Amoto jam periculo ex ſenſu hominum, ad objecta non eſt difficilis reſponſio. Cùm enim ſtare Promiſſis manifeſtè ſignificet Conſtantiam, hoc eſt, Perſeverantiam, hoc eſt Identitatem; ejuſdem autem cauſas oportet eſſe eaſdem; clarum eſt eandem rationem quæ movit ad promittendum, debere eſſe cauſam cur eandem Promiſſionem continuet; &, per conſequens, in circumſtantiis actionis eandem rationem debere imperare. Qui verò ſe profitentur agere nè dictis facta ſint minora; clarè non intelligunt ſe non dixiſſe, quæ modò perficiunt; ſed exteriori Vocum ſono deluduntur. Patet etiam obligationem illam ſeu ſubjectionem Promittentis Promiſſario, in quâ potiſsimùm videtur obligatio Promiſsionis conſiſtere, nullam eſſe: Si enim Promittens non dixerit quæ Promiſſarius exigit, evidens eſt non ſe ſubjeciſſe Promiſſario ad hæc. De Reſciſsione verò Promiſſorum pertinet ad publicam gubernationem, cujus Leges interdum addunt ſupra Leges puræ Naturæ ſecundùm quas jam loquimur: Etſi in ipsâ Naturâ Quantitas mutationis ſpectanda ſit, ut ſuprà diximus; Non enim propter quamlibet

bet mutationem irritatur Promiſsio , ſed propter Subſtantialem. Neque mirum eſt etiam cum damno Paciſcentis exigi pacta ; quia , ut dictum eſt , Promiſsio , cùm ſit ex benevolentiâ , ſupponit aliquo modo eſſe grave Promittenti. Deinde , Pactum videtur eſſe Promiſsio utrinque oneroſa ; &, tandem , Pacis communis ratio habetur, quæ ambiguitate tollitur. Unde Leges verbis exterioribus ſtant , niſi Æquitas ſit manifeſta in contrarium.

TRUTINATIO QUINTA.

DE *Pactis Gentium, & Belli motivis.*

1. SAncito hoc Principio, licet ad Gentium ad invicem Juſtitiam diſcutiendam procedere ; quæ, cùm ſint nulli communi Gubernationi ſubditæ, ad invicẽ comparantur ſicut Caius & Titius, ut ſuprà explicatum eſt ; hoc eſt, vel ſolo Naturæ & Rationis dictamine , vel vi Promiſsionum adjunctarum præcisè , abſque intuitu aliarum Legum vel Poteſtatis. Dicamus itaque (quo-

(quoniam de puro Rationis dictamine ſuprà actum eſt) inter hujuſmodi Gentes vel *Pacta* eſſe quæ intercedunt, vel *Fœdera*. *Pacta* voco ea Conventa, quæ Pacem & Commercium, hoc eſt, communem vivendi modum reſpiciunt; *Fœdera*, quæ mutua auxilia & Belli communionem tangunt. Et non eſt difficile videre Pacta univerſaliter violari, hoc eſt Pacem & Commercium negari, poſt ſemel compoſitas de iis Leges, poſſe in vivâ & premente Neceſſitate; vel potiùs non violari, ſed nulla à principio in dicto caſu fuiſſe: Conſtat enim ex dictis de Promiſſione, non fuiſſe hujuſmodi articulos in communibus pactis concluſos.

2. Excipies poſſe in Pactis exprimi talem conditionem, ut pereundum ſit Reipublicæ potiùs quàm Pacta infringantur, vel ſaltem abſque eo quòd tanto priùs tempore indicatur Bellum. Verùm, quando addita eſt hæc conditio, vel prævila eſt neceſſitas veriſimiliter invaſura, vel non: Rurſus, ſi præviſa eſt, rationabile fuit hoc Pactum nihilominùs ſtatui, vel non fuit: Et, ſi quidem vel non eſt præviſa Neceſſitas, vel non fuit ex Ratione initum Pactum, ex dictis conſtat non obligare eum quæ fecit; ſicut è diverſo, ſi tunc Ratio mandabat fieri Pactum, etiam nunc Ratio aget idem ob-

obſervari. Et de Pactis ſic evidenter reſponſum eſt. Sed inſtari poterit, an Ratio ſuaſiſſe non potuerit, ſimulanda eſſe Pacta etſi ea facere non fuerit ex Ratione; Unde ſequetur non iis ſtandum quia non ſint verè facta. Sed hæc Inſtantia quoniam ex ſolâ Veracitatis naturâ pendet, cujus prætereundæ gravior eſt occaſio cum de Reipublicæ ſalute agitur quàm cum de re privatâ, ex regulis in diſcuſſione de Veracitate traditis pendet & ſolvenda eſt.

3. Faciamus modò Neceſſitatem non eſſe prementem, eſſe tamen Neceſſitatem. Sed, ne ambiguitate vocum eludatur Veritas, quid nomine *Neceſſitatis* veniat ſignificandum, aperire conveniens eſt. Sicut itaque, cum de privati hominis Neceſſitate diſputatur, Extrema Neceſſitas appellatur quando ad vitam perpetuandam, vel ex præſenti diſcrimine eximendam aliquid ſic requiritur ut alio modo ſuppleri non poſſit, ſic Neceſſitas Reipublicæ ſignificat articulum in quo de ſubſiſtentiâ vel ruinâ ipſius agitur. Cum itaque quæritur de Neceſſitate ſed non premente, intelligitur Finis actionis eſſe Conſervatio Reipublicæ, non ditatio illius; & diſputatur an propter meliorem Conſervationem illius (exempli gratiâ, ad hoc ut porrigatur terminus ipſius ad

ad Fluvium, vel Mare, vel Montes, quò fiat ut ſecura ſit ex illâ parte) violari poſſint ſtatuta ſemel pacta, ſi occaſio ſe offerat ſecurè & faciliter perficiendi opus, modò violentur *Pacta*. Et quidem hujuſmodi occaſiones natæ ſunt provideri, neque plerumque ſunt inexpectàbiles, ut dicantur non eſſe incluſæ pactionibus; quæ ſi ita ſe habeant, clarum eſt *Pacta* non eſſe ſolvenda.

4. Quòd ſi Fortuna ſeu *Providentia* prorſus inſperatam & inexpectabilem opportunitatem objecerit, quid conſulendum eſt? Æſtimanda eſt Bonitas propoſitæ Securitatis, appendendique contrà fructus diuturnæ *Pacis* habitæ & habendæ; ſed & Mala Belli quæ ſuſtinenda ſint ab Inferente, quandoquidem nil peccavit qui illud patitur. Etſi, his omnibus perpenſis, præponderet clarè Securitas, non eſt abs ratione ut *Pacta* violentur, ſed quàm licet mitiſſimè. Urgebis eſſe ultra ſphæram humanæ providentiæ proſpicere iis quæ tam procul abſunt; non itaque poteſt ejuſmodi eventus pro non prævіſo haberi, cùm non ſit objectum *Prævіſionis*. Et hoc quidem fatendum eſt; ſed non minùs quod tanto minùs Pactis vel Promiſſis contineri potuit; &, quod ſequitur, *Promiſſionem* non in-

infringi ſi videatur Pactis non ſtari dum ex hâc occaſione ab iis receditur. Redit itaque per ſimiles nodos circumſtantiarum deliberatio ad Naturæ Leges; & Pacta quaſi Naturæ vi irritari, utpote imparia ipſi.

5. Ducit nos ulteriùs Ratio ad contemplanda Motiva Belli, quæ ut plurimùm eorundem originibus prætexuntur; ut violationem Pactorum, injurias, depopulationem, fraudes, contumelias, defenſionem hoſtium, & Malefactorum, protectionem Oppreſſorum, & plura ſimilia. Quibus ut regulam aliquam figamus, hoc primò perpendamus quod ſit Belli Malum; quod ſtatim apparet ex Pacis Bono eſſe æſtimandum. Sunt autem Pacis Bona, poteſtas ut quiſque vivat prout ſibi melius videtur; hoc fit per Quietem & Sufficientiam; Quies Malorum abſentiam, Sufficientia Bonorum præſentiam nominat. Hi ſunt itaque fructus Pacis, Quies & Sufficientia. Bellum comitantur Egeſtas, & occupatio in iis quæ ad fœlicem vitam non ſpectant, ſed magis ab eâ avertunt; qualia ſunt meditari cædes, rapinam, ſcelera omnia. Bellator itaque, cui datur Pacem tollere de terrâ, hoc principaliter facit, quòd impediat populum cui bellum infert nè vivat ſecundùm Naturam;

præ

præ quo levia ſunt cætera, ut cædes hominum, violatio feminarum, conculcatio Sacrorum, demolitio civitatum; & cætera, quæ Summa videntur oculos non niſi in carne habentibus. Hîc ea Lex ſe offert, *quod tibi non vis fieri, alteri non ſit faciendum*: Philoſophicè ſic enuntiatur; quòd, quoniam Ratio docet omnes homines eſſe Homines, & quod convenit uni convenire & alteri, non tractatur Homo rationaliter & ex mandato æquitatis, niſi ei permittatur, vivere ſicut Homini vivere conſentaneum eſt: Populo itaque Pacem tantum Boni eſſe, ut nullo alio compenſabile ſit. Si igitur non plus Mali inferendum ſit quàm pro modo delicti, ſit non eſſe aliam Belli cauſam ex nomine Criminis juſtam, quàm quia Bellum inferenti non licet quietè & in Pace vivere niſi Bellum ordiatur; ut monuit Apoſtolus, *Quantum eſt ex nobis, ut pacem cum omnibus habeamus*; noſtrâ profectò causâ, æque atque alienâ: Bellator enim ipſe inquietam ſanè & indignam Homine vitam agit; niſi Neceſſitate, & per conſequens Brevitate, excuſetur.

6. Hoc firmato, cauſa ſeu occaſio Belli quæ datur per Delictum, vel

 eſt

eſt Realis vel Criminalis. Criminalem dico, quæ non conſiſtit in Facto, ſed Voluntate, vel certè Verbis & Signis, imò & actionibus prætereuntibus terminatur: Realem, ubi res vel perſonæ avertuntur & detinentur. Criminalis videtur Vindictam poſcere, Realis Reſtitutionem. De utrâvis hoc examinatur, sítne perfecta, hoc eſt finita & præterita injuria, an ulteriorum radix & principium? Si finita eſt Injuria neque timeatur ulterior, eſt quidem injuria, & aliis conandum modis ut ſatisfactio habeatur; ſed tanti Mali quod in Bello latet nequaquam juſta cauſa, modò Pacem hâc non obſtante injuriâ retinere poſſis. Si cavetur futura Moleſtia, neque ſecura aliqua Pax abſque Vindictâ ſperatur, licitum eſt Bellum, tentatis remediis minoribus & præviis.

TRUTINATIO SEXTA.

DE

Vindictâ, & motivis Belli ſecundariis.

1. VIdetur ex doctrinâ datâ excludi ab ipſo Bello *Vindicta*; quo nihil magis inopinatum pleriſque accidere poteſt. Nam, & particularibus prohibetur Vindicta, cum hâc cautione quòd reſervatur Magiſtratui; Principibus verò, quia non habent celſiorem, fermè ab omnibus permiſſum eſt ſuam Vindictam exercere: Et Bellum quidem ipſum Vindicta quædam eſſe videtur; Certè nihil frequentius neque magis ex merito videtur quàm in Bello Vindictam exercere; hoc in multorum animis altè inſedit, eum non eſſe Magnanimum qui pœnas & Vindictam non expetit à lædente; & videtur ipſa Actio Militis, cujus eſt vim vi repellere. Tandem Vindicta inter Virtutes nominatur, & eſt pars Juſtitiæ. Clarè itaque in Bello, ſi uſpiam, exercenda; & ſi in Bello, pro quantitate Criminis ipſa Bellum movebit.

 2. His

2. His non obſtantibus, parendum eſt Evidentiæ, & dicendum, neque Bellum Vindictæ amore movendum, neque omninò in hoſtem exercendam eſſe Vindictam. Non dico mala non eſſe illi inferenda; ſic enim neque Bellum gerendum foret, neque caveri poſſet de futuris malis; Sed non Vindictæ gratiâ malis Hoſti inferendis eſſe indulgendum. Meminerimus Principem Prudentiæ & Virtutis nomine Adminiſtrationi præfectum, Prudentem paſſionibus ſuis dominari, atque eum qui aliis præpoſitus eſt etiam illorum vitiis providere oportere; Eúmque qui ex Prudentiæ lege ſua expedit, nihil præter Rationem exequi; Rationem non niſi Bonum ſequi; & Rationem Publicam, qualis eſt Mens Gubernatoris, Boni Publici proſecutionem ſibi propoſitam habere. Vindicta modò intueamur, quid ſit; Quid, niſi ut tantum Mali habeat Delinquens quantum Boni injuſtè ſibi arrogârit? Hoc, cui Bonum eſt? Paci Reipublicæ? Ergo inter Cives tenenda; qui, cùm imperfecti cenſeantur, aliquid etiam paſſionibus eorum fortaſſis cedendum eſt ut meliùs contineantur. Paci ab Hoſtibus? Providentiæ hoc eſt curare. Non itaque puniendi ſunt Hoſtes ex lege Delicti, ſed ex

Le-

Lege Sapientiæ; neque vel Puniendi, ſed Malum illis inferendum ut diſcant non provocare fortiores & meliores.

3. Dicimur quidem punire Liberos cum volumus bonos facere; ſed tantundem Canibus & Avibus prædatoriis facimus, neque *punire* dicimur ſed *erudire*; quæ vox etiam Liberorum coërcitioni propria eſt, & vocibus nos falli permittimus. Certè Odio vel ſaltem Irâ ferri videmur quando vindicamus. Ira enim Vindictæ appetentia eſt. Hæc utraque à Gubernatore etiam adverſus Hoſtem exulare debet; modò ſit qui cenſetur eſſe: Non itaque *punit* Hoſtem; ſed neque propriè *erudit*, ſed *coërcet* & timore comprimit. Terrore itaque agit non Vindictâ; Vindicta enim Juſtitiæ pars, ſed Diſtributivæ eſt; & ad Legalem Juſtitiam pertinet, & eſt Virtus Imperantis: Hoſti vero non imperat Hoſtis, &, quod ſequitur, non habet locum exercendæ Vindictæ, ſed vi eum coercendi. Et hæc eſt eſſentialis ratio cur Vindicta in Hoſtem exerceri non poſſit: Quia, cùm pares cenſeantur Hoſtes, utpote nullis pactis inter ſe uniti, non eſt ſpectandus Hoſtis tanquam Jure diſceptans, ſed tanquam Vi & Naturâ; neque

Juſtitiæ in eum eſt agendum, ſed Naturâ; Natura autem non docet ut aliquid agamus præcisè ad appetitum ſenſitivum in nobis placandum (qui Servus debet eſſe non Judex & Director actionum noſtrarum,) ſed ex eo quod Ratio docet; hoc eſt, ea, quæ conducunt ad Bonum Publicum, & ex illo fine metienda eſſe mala quæ Hoſtibus inferimus.

4. Ex his patet in quo fallatur objiciens; fortaſſis quòd Vindictam pro quâcunque Mali illatione, & non pro eâ ſolâ quæ ex ratione Juſtitiæ infertur, accipiat. Sed veriſimiliùs ex eo quod credat Hominibus eſſe quandam Juſtitiæ Legem innatam citra Communitatem Pactorum. Hinc Bellum quædam Vindicta eſſe videtur: Sed non eſt fidendum militum moribus, quibus nihil corruptius eſt. Certè Vindicta quam adverſus invicem exercent, contra diſciplinam eſt, & quam adverſus Hoſtem, ſæpè ipſiſmet & Reipublicæ magis noxia, dum incrudeſcunt partium odia & ſanguis utrimque prodigitur, & ab intentione propter quam Bellum geritur longiùs receditur. Sed & Magnanimitatis eſſe Vindictam contemnere, & facilè in gratiam redire, docent Ethici. De quo magis laudatus eſt Cæſar, quàm quòd clemens & be-

nignus

nignus in ignoſcendo fuerit? Et, è diverſo, anguſti eſt animi injuriarum eſſe memorem, & crudelitati odióque addictum, teterrimis humanæ vitæ vitiis, quæque infeſtiſſima ſunt Naturæ, & Generi Humano prorſus abominanda.

5. Ex dictis de Vindictâ deducitur clarè, neque Oppreſſorum defenſionem, neque Supplicum preces eſſe cauſam juſtam inferendi Belli, niſi arctior aliqua neceſſitudo intercedat. Quandoquidem enim & Supplices & Oppreſſi, quantum eſt ex vi horum titulorum, ſint Alieni, (præſertim ſi ſubditi Reipublicæ de quâ conqueruntur) non redditur per hoc talis Reſpublica obnoxia correctioni alterius. Quare omnis violentia illi illata eſt irrationalis. Secùs eſt ſi oppreſſi ſint cum Invaſore fœderati, maximè per modum protectionis. Huc pertinet cauſa Religionis, & eo titulo quòd ipſa ſit origo Fœderis inter Chriſtia nos hoc eſt, quòd omnes Chriſtiani, q uan do Religio impetitur, eo nomine Fœderati ſint. Tum quia, qui alium tanquam criminoſum perſequitur, quia agit quòd tu profiteris agendum, eo ipſo te reum peragit, & tibi injuriam facit, vel certè te lædit & accuſat.

6. Rurſus, ex principiis poſitis, de quâ

 libet

libet causâ Belli iudicari poteſt. Quandoquidem enim quæ contra Invaſorem fiunt, qualiacúnque ſint in ſemetipſis, vel ſunt Realia vel Criminalia;& in utriſq; ſpectandum ſit an tollant Quietem Reipublicæ, palàm eſt ſi res raptæ non reddantur propter egeſtatem vel impoſſibilitatem abſque periculo ut eadem Mala ſæpiùs repetantur & moleſtiam populo Invaſoris quaſi perpetuam creent, non eſſe legitimam Belli cauſam. At, ſi ex pertinaciâ & Superbiâ non reddantur, unde veriſimile fiat iterum & ſæpiùs iiſdem malis aggravatum iri populum Invaſoris, tum legitima eſt cauſa Belli, quia Inquietudo prævenitur. Ejuſdem rationis eſt, ſi Malefactores vel inſidiatores Regni, & Perduelles ab alio protegantur à ſupplicio debito; modò extra Regnum & datâ ſecuritate non ulteriùs nocendi, non eſt legitima cauſa Belli: Sin in præjudicium Invaſoris protegantur, Belli cauſa erit.

7. Negatio ſimiliter *Homagii*, ut vocant, ſi ſit purè Honoris actio, non eſt vindicanda Bello: Sin trahat ſecum Jus Auxiliorum quæ conſequenter defutura forent in neceſſitate, licita eſt cauſa Belli. Hoc etiam videndum, Num debens Homagium excidat proprietate Regionis alicujus aut Civitatis ex negatione Homagii: Belli enim cau-

cauſa tum non foret Negatio Honoris ſed occupatio Terræ, quæ jam ex Pactis non foret ſua. Ad hoc ipſum caput reducuntur Irriſiones, & Contumeliæ, & mala Legatorum tractatio; modò non pertinaciter defendantur, ſed per tumultum vel paſſionem geſta ſint. Tantundem eſt, ſi Civitas vel Regio ex pactis devolvatur ad aliam Rempublicam & negetur; non enim ex eo præcisè eſt cauſa Belli. Sed videndum an Reipublicæ invadenti ſit neceſſaria, vel certè Reipublicæ invaſæ Bonum eam copulari invadenti; & ex quantitate publicorum Bonorum æſtimandum an meritò ſit cauſa Belli, nécne. Neque opus videtur ad plura deſcendere; Eâdem enim Lege de omnibus judicium exercendum eſt. Et benè determinatum eſſe teſtantur mores Principum; qui cùm libuerit ex aliis cauſis Bellum inferre vel omittere, his prætextibus aut utuntur, aut eos negligunt.

TRUTINATIO SEPTIMA.

AN

Fides ſervanda ſit Infidelibus.

1. VErùm, non eſt dimittendus hic locus abſque eo quòd celebrem illam Quæſtionem agitemus, Utrùm Infidelibus tenenda ſit Fides? quæ plurium malorum origo Rei Chriſtianæ ſæpiùs extitit. Diſtinguenda autem venit primò hæc vox *Infideles.* Poteſt enim accipi pro iis qui non conſueverunt ipſis Pactis ſtare, vel pro Fidei Chriſtianæ ſeu Catholicæ expertibus; etſi à priori ſenſu ad poſteriorem derivata videatur ipſa Quæſtio. Tamen priùs in priore ſenſu examinanda eſt, & rurſus diſtinguenda Vox *Infidelis*: vel enim accipitur pro eo qui habitu & conſuetudine eſt Infidelis etſi in præſens non ſit ejuſmodi, hoc eſt reſpectu illius cum quo pacta iniit; vel *Infidelis* ſonat, etiam reſpectu horum pactorum eſſe Infidelem: Et hoc, duobus modis

dis contingere poteſt; vel ut Pacta facto violaverit; vel ut meditatus ſit, & conſilia cum aliis agitaverit, de pactis infringendis; etſi non venerit uſque ad effectum. Et quidem, ſi uſque ad effectum pervenerit, jam non ſunt Pacta ſervanda: Pactum enim non eſt Pactum niſi utramque partem includat. Si itaque voluntas alterius partis deſivit, palàm eſt non ſupereſſe quod obſervetur Pactum: Voluntas ſiquidem conditionata non aliter quàm poſitâ conditione eſt verè dicta Voluntas.

2. Ex hoc manifeſtè ſequitur, neque illum in quo non eſt Habitus ſeu voluntas habitualis obſervandi pacta, etſi de facto obſervet, inducere obligationem Pacti in adversâ parte. Cùm enim promiſſio abſque Voluntate non ſit Promiſſio, qui autem ſemper paratus eſt ad infringendam promiſſionem verè non habeat Voluntatem eſſentialem promiſſioni, verè non promittit; &, quod ſequitur, deeſt ſuæ parti pactionis; non itaque inducit veram & ſolidam obligationem in eum quocum paciſcitur. Neque huic itaque ex neceſſitate tenetur Fides ex vi Promiſſionis; ſed, ad ſummum, ex cauſis per accidens; ut poſſit ſeſe, iis quibus ne-

ceſſum eſt, innocentem declarare.

3. Non tamen valet hæc conſequentia ad illum qui ex Inconſtantiâ aptus eſt à Pactis diſcedere. Cùm enim verè ex animo loquatur dum paciſcitur, modò non contraveniat dictis ſuis per poſteriora geſta, verè paciſcitur, ſed infirmè & imbecilliter; & propterea ſatis facit ad inducendam obligationem in compartem ſibi; & prudentiâ opus eſt in Paciſcente nè fallatur per imbecillitatem illius qui ſpopondit; ſed ſtandum conventis, quamdiu conſtans eſt Compaciſcens. Et hactenùs fermè ſine lite proceſſum eſt.

4. Nunc ad Infidelitatem prout Fidei Chriſtianæ, ſeu, quæ eadem eſt, Catholicæ, privationem ſonat. Et inprimis videtur clarum, poſſe in Viro experte Fidei Chriſtianæ ineſſe ſimulachrum quoddam Virtutis & Conſtantiæ veræ ſicut aliarum virtutum; quo reddatur, ſi non conſtans, certè pertinax in tenendis Promiſſis; ſive ex ſtudio Honoris & Iactantiâ; ſive ex alio quolibet motivo vero vel falſo, modò ad Certitudinem Promiſſorum idoneo. Quare, cùm in hâc quæſtione non agatur niſi de actionis Subſtantiâ, ſeu de eo quod *fit*, non autem

autem de Fine *propter quem* fit, palàm eſt eſſe Fidem in tali viro ſufficientem ad transferendam Voluntatem Compaciſcentis de conditionatâ in abſolutam; hoc eſt, eam quæ hujuſmodi erat, *Volo, modò hoc mihi præſtetur*, facere abſolutam, ſeu talem, *hoc volo facere.* Clarum itaque eſt defectum Fidei Chriſtianæ non facere ipſum inhabilem ad terminandam promiſſionem; &, quod ſequitur, veram Promiſſionem illi fieri. Promiſſionem autem Veram obligare & ſuprà dictum eſt, & prudentium omnium, Naturâ Duce, eſt conformis ſententia.

5. Et (ſi verè volumus loqui) in hâc Quæſtione non tractatur an fides deſit in eo quem vocamus Infidelem, ſed an deeſſe debeat illi quem Fidelem eſſe non dubitamus. Si enim Fides, Conſtantia quædam ſit, palàm eſt illum qui rectè pepigit & non ſtat Pactis non eſſe Fidelem; & doceri ab aſſerentibus Fidem non eſſe ſervandam, eſſe Infidelem. Sævior eſt autem conſequentia cum eò uſque perducitur ut Doctrina Catholica, hoc eſt, Catholico neceſſaria, videatur eſſe, *Non opus eſſe teneri Fidem Infideli.* Præterquam enim quòd de facto

tollit omnia Pacta & Pacem cum Infidelibus, & ulterius exponit omnes ſubditos Rebuspublicis Infidelibus huic improperio quòd non ſint idonei cum quibus commercium habeatur, infamat ipſam Fidem & Eccleſiaſticam Diſciplinam, indignos humanâ Facie mores & credulitatem iis affingens; & qualem Experientia & ipſe Uſus adverſam perſuaſioni quæ in ipſis regnat eſſe palàm declarat. In hujuſmodi enim Regionibus plerumque Fidei magis ſartæ & integræ præ reliquis eſſe in negotiatione & profitentur, & plerumque judicantur. Indubitatum itaque debet eſſe inter Catholicos, quòd non minùs teneantur promiſſionibus & pactionibus cum Hæreticis & Infidelibus factis (modò ſint licitè, hoc eſt, de rebus honeſtis) quàm cum religioſiſſimis Catholicis.

TRU-

TRUTINATIO OCTAVA.

DE

Facto Concilii Conſtantienſis verſus Hæreticos in eo condemnatos.

1. OBſtare videtur huic reſolutioni factum ConciliiConſtantienſis quod duos Hæreſiarchas *Ioannem Hus* & *Hieronymum Pragenſem*, non obſtante ſalvo conductu, igni adjudicatos extremo affecit ſupplicio : Unde palàm eſt non exiſtimaviſſe Fidem iis datam fuiſſe tenendam. Verùm, ſi accurratiùs hiſtoriam ſcrutemur, apparebit eſſe calumniam & reipsâ non eſſe violatam illis aliquam Fidem datam; ſedà ſectariis, eorum Complicibus, hominibus factioſis & turbulentis, quique à fide illorum prorſus diſceſſerunt, umbram tumultuandi captatam eſſe, rei veritate vel neglectâ vel occultatâ. Attamen quia à Defenſoribus Fidei Catholicæ minùs diligenter, quantum ego vidi, tractatus eſt hic locus, viſum eſt operæpretium à fundamentis queſtionem excutere; ut In-

Innocentia Concilii, atque adeò Eccleſiæ Catholicæ, pateat iis qui Hiſtoriæ copiam non habent; vel reſponſis imbecillibus ſeducti, rem ſecùs quàm factis deducta eſt, intelligunt; &, quantũvis ſibi ſatisfaciant, tamen acriter objicientibus congruam evidentiam exhibere nequaquam valent.

2. Erat itaque principio quinto-decimi Sæculi Bohemia Florentiſſimum Germaniæ Regnum, inqꝫe eâ Academia Pragenſis ejuſdem Germaniæ nobiliſſima, quando *Wicleffi* Doctrina furtivè irrepſit per *Trialogum* & alios ipſius libros ex Angliâ advectos. Principabantur in Academiâ Germani, qui tanto numero concurrebant ut ſtudioſorum plura millia Germani forent. Dolebat hoc Bohemis, maximè cuidam Joanni, à pago in quo natus fuit cognominato *Hus*, Viro acri & in Theologicis exercitato ſed Wicleffi paradoxis imbuto; quæ, quantumvis Anno 1408° *inter Principales & principaliter vota dans* ſtigmate ſevero notaviſſet, per tenebras tamen diſſeminabat; donec, ejectis per ſeditionem Germanis, cum duobus millibus ſtudioſorum, victis Academiæ Legibus, obtentá per fraudem à Rege (rerum ſuarum ignaro & negligente) poteſtate, ipſe in eâdem rerum potitus publicè & libros Wicleffi & Doctrinam profeſſus eſt.

3. Acci-

3. Accidit autem occaſione diſſidii Eccleſiaſtici de agnoſcendo vero Eccleſiæ Capite ingens & celeberrimum Concilium, ex totâ Occidentali Chriſtiani nominis multidine *Conſtantiæ* colligi; tantâ cum celebritate, ut ſimul in unâ Civitate triginta equorum millia computata ſint (& ad apprehenſionem Joannis Hus poſt fugam octoginta hominum millia confluxiſſe ferantur) Principum & Præſulum tanta multitudo confluxerat. Huc vocatus eſt Joannes Hus juridico more de ſe reſponſurus, operâ Sigiſmundi Regis Romanorum, Imperatoris & ſapientiſſimi & celeberrimi: &, cùm non arbitraretur ſe poſſe ſuis auditoribus & clientibus ſatisfacere ſi judicium Eccleſiæ recuſaret (ait hiſtoria) non detrectavit adeſſe. Comparuit itaque & 17° Aprilis, Anni 15ti Sæculi quinti; dati ſunt Commiſſarii magni nominis & notæ, ſinguli pro ſingulis quatuor Nationum ex quibus conflabatur Concilium, cum poteſtate cauſæ tum examinandæ tum decidendæ; & eodem die citatus eſt Hieronymus de Pragâ, Vir eloquens, & habitus doctior Joanne Hus; dignitate verò non niſi Magiſter Artium, quantum reperio. Hic ante citationem clanculùm Conſtantiam venit, & profeſſus eſt affixâ ad

valuas

valuas. S. Stephani ſchedâſe publicè reſponſurum de obiectis ſibi, modò ſaluus conductus datus foret. In ipſâ citatione datus eſt cum hâc clauſulâ ; *Ad quod à violentiâ, (ſaluâ ſemper Iuſtitiâ) omnem ſaluum conductum noſtrum, quantum in nobis eſt & Fides exigit Orthodoxa, preſentium tenore offerimus & etiam pleniùs aſſignamus.*

4. In Carcere poſitus uterque à Viris Doctis convictus & perſuaſus eſt renunciare ſuis erroribus, adeò ut à Concilio decretum fuerit eos in Monaſterio aliquo Sueviæ, additâ honorificâ penſione unde poſſet uterque binos famulos ſuſtentare, retinerentur; & totius Civitatis campanæ præ gaudio ſunt pulſatæ. Sed cum eò perventum foret ut Revocationem ſuam ad Bohemos reſcriberent, reſilierunt à promiſſis. Et ratio quam reddiderunt planè declarat fictam fuiſſe & ſubdolam ſponſionem quam fecerant : ſubjecerunt enim ideò ſe non velle ad Bohemos reſcribere, quia nullos velint è regno cælorum revocare quos per Divinam Doctrinam in illud perduxiſſent. Corde itaque premebant hi Apoſtoli Bohemiæ doctrinam quam predicaverant eſſe veram, quantumvis libenter ſe & revocaturos dogmata, & ſigillis pro-

propriis atteſtaturos ſe erraſſe & falſa docuiſſe & predicâſſe, voce tenus pollicerentur. Uterque quoque tentavit fugam ſecretam, & retractus eſt; alter propè ipſam Civitatem, alter cùm fermè ad Bohemiam perveniſſet. Uterque tandem combuſtus eſt; prior Ioannes Hus; poſt cujus mortem Hieronymus Pragenſis ſolennem fecit abjurationem ipſis verbis à Concilio ipſi præ ſcriptis, & Chirographo ſuo ſignavit: *S*ed authoritatem ſuam apud Proceres Bohemos quibus oppoſita prædicaverat, imminutam ſentiens; & neque ſibi ſatis à Catholicis fidi, & Huſſitas perdi, fugam cogitavit; &, à Duce Bavariæ retractus, pertinaciter adhæſit iis erroribus quos publicè damnaverat, & talis mortuus eſt.

5. Hæc ſumma eſt Hiſtoriæ. Hoc jam inquiritur, Utrùm ſive Concilium ſive Imperator reipsâ fidem datam violaverit utrivis illorum. Et, quantum ex Hiſtoriâ claret, neutrum factum eſt. Ad evidentiam hujus propoſitionis cogitandum eſt Authoritatem Concilii Conſtanti enſis ex occaſione propter quam coactum eſt, propter labores & peregrinationes Sigiſmundi Ceſaris, propter celebritatem concurſus ex totâ Europâ, nunquam aliud par ha-

habuiſſe. Unde manifeſtum fit non fuiſſe integrum his duobus HæreſeosDoctoribus defugere ipſius Judicium, præſertim in illâ ætate, cùm nondum dementati erant populi ſpecie Verbi Divini abſque Interprete judicaturi. Ex adversâ parte, Joannis Hus & Hieronymi Pragenſis & Superbia, quâ ſemetipſos Universâ Chriſtianitate doctiores & peritiores credebant; & Joannis Hus maxima calliditas quâ accuſatores vel eludere vel avertere poſſe credebat, penſandæ ſunt. De Superbiâ teſtimonium fuerunt quòd contempſit & Papam, & Regem, & tandem ipſum Concilium; reliquias Sanctorum ſpernens, impios pro ſui ipſius defenſione publico imperio capite plexos pro Martyribus propoſuit, rapinis & cædibus & tumultibus Civitatem Pragenſem replevit; tandem Pompa itineris, cùm deduceretur à tribus Baronibus & compluribus amicis, & Literas Imperiales deferret quibus omnes tenerentur ipſius iter adjuvare & promovere, nullum vectigal exigere, ſed permittere ipſum liberè tranſire, cum miniſtris, equis, oneribus, impedimentis, & omnibus rebus ſuis, per omnes tranſitus, portas, pontes, terras & Dominia. Sic progreſſus eſt ad Concilium ſperans, quà ſplendore Comitatûs, quà Doctrinæ eminen-

nentiâ, quà calliditate & aſtutiâ Victoriam de adverſariis apud Concilium referre.

6. Vanior adhuc fuit Hieronymus, etſi non adeò callidus; qui cùm Conſtanſtantiam perveniſſet ſecretò comitatus ab uno, & ad valvas Eccleſiæ provocationem affixiſſet, & hoc facto clàm ſe ſubduxiſſet; non potuit ſe continere quin ad Sylvam Conſtantienſem, in mensâ Plebani cui complures Sacerdotes intererant, & malè de Concilio loqueretur, & jactaret ſeſe & Joannem Hus ſummo cum honore palmam obtinuiſſe, adeò ut nulli Doctores vel Prælati obſiſtere potuerint, cujus rei teſtes ſe jactabat habere literas ſeptuaginta ſigillis munitas: Cùm tamen adeò latenter, & vel feſtinanter vel trepidè Civitate exiviſſet, ut gladium apud hoſpitem vel oblitus fuerit vel non ſit auſus recipere, neque ante ſex dies diluxerit ubi fuiſſet diverſatus. Hæc ipſius Jactantia cauſa fuit captivitatis ipſius, Sacerdotibus illis ad Præfectum Vici tanquam hoſtem Concilii, quod *Diaboli Scholam* & *Synagogam Satanæ* nominaverat, deferentibus. Captus, rurſus mentitus eſt ſe Salvum Conductum habere, quem non potuit accepiſſe cùm poſt publicationem Pro-

Provocationis ſuæ ſit conceſſus: ſed non ei profuit mendacium.

7. Aſtutia verò quâ confidebat Ioannes Hus, in tribus maximè conſiſtebat: Quòd teſtimonia vi & dolo de Innocentiâ ſuâ Pragæ corrogaret; ubi præ violentiâ populi nemini licebat quicquam contra ipſum teſtari. Sic Summi Inquiſitoris & Archiepiſcopi teſtimonia negativa, quòd ipſi non ſcirent aliquam in eo Hereſim, obtinuit per Notarios ſignata. Tentavit etiam Univerſum Clerum congregatum, & perſonaliter, & per Procuratorem; ſed rejectus, de rejectione publicum Inſtrumentum confecit. Deinde, in tegendâ doctinâ, & criminibus, & etiam teſtibus rejiciendis: Sic de remanentiâ Panis, mentitus eſt ſe Panem Spiritalem non Materialem dixiſſe manere: Crimina negabat, vel in alios transferebat. Teſtibus objiciebat quòd inimici ipſi forent, vel indigni; cùm tamen plerique & doctiſſimi, & ignoti ferè forent, qui libros ipſius duntaxat legerant. Unde Acta ipſius, ab amico ſcripta teſtantur, viginti teſtes adverſus ipſum ſtetiſſe, qui erant Doctores, Prælati & magnæ exiſtimationis viri. Cum accuſaretur defendere errores Wicleffi, pernegabat; eâ ut videtur fraude, ut *ſententias* non ne-

ga-

garet, ſed erroneas eſſe; quod ſemel in ſcriptis eſt inventum. Cum defenderet Sacerdotem in peccato non conſecrare, explicabat ſeſe addendo, quòd *non dignè conſecraret.* Et quòd errores non poſſet abjurare quia eos non tenuerat, quia ſcilicet non exiſtimabat eos Errores in corde ſuo, etſi nihil ore proferret. Item, quòd non conſenſiſſet damnationi errorum Wicleffi, ut audiret juſtam illorum confutationem. Cùm objiceretur Animam ſuam optaviſſe cum animâ Wicleffi inveniri, reſpondit ſe neſcire quòd fuerit malæ vitæ & ſperare eſſe ſanctum; & ideò velle in iſtâ ſpe ut anima ſua foret cum animâ Wicleffi; quo reſponſo movit riſum Univerſo Concilio.

8. Hiſce & hujuſmodi artibus inſtructus, ſuâque ſcientiâ & Hieronymi eloquentiâ confiſus, ſe ſperabat Concilio & toti Chriſtiano Orbi vel perſuaſurum vel certè impoſiturum. Propterea, in Bohemiâ tribus linguis, Latinâ, Bohemicâ & Germanicâ; in Urbibus verò Germaniæ, per quas tranſibat, Latinâ & Tentonicâ, vulgavit & ad Eccleſiæ valvas affixit, ſe & in Bohemiâ & coram Concilio velle reddere rationem de ſuâ Fide & Spe quæ in ipſo eſt; item videre & audire omnes & ſingulos quicumque

que voluerint ipſi ullum pertinacem errorem ant hæreſim imputare (ſub lege talionis) & innocentiam ſuam in nomine Ieſu Chriſti demonſtrare : Adeò & cauſæ ſuæ ſecurum, & Victoriæ certum ſeſe faciebat. Verùm, cum collectam Catholici Populi & Principum Majeſtatem, cum prudentiam & Doctrinam adverſariorum ſuorum expertus fuiſſet, cùm adeſſe ex Bohemiâ conſtantes ſui & intrepidos accuſatores; Et quos neque muſſaturos adverſum ſe ſperaverat, palàm & fortiſſimè loqui percepiſſet; procul abeſſe Baronum Bohemiæ auxilia: nihil poſſe tumultuantis per quam Pragæ dominabatur, populi inſolentiam; demiſit aures & magis de turpi fugâ quàm de Victoriâ cæpit uterque cogitare; quam Ioannes occæpit, Hieronymus tantùm non perfecit.

TRU-

TRUTINATIO NONA.

AN

Concilium violaverit Salvum Conductum Hæreticis datum?

1. HÆc tam latè deducta ſunt ut cognoſcat Lector quâ perſuaſione Conſtantiam adierit, & quòd verè profeſſio & intentio ipſius fuerit ſeſe Judicio Concilii ſubmittere, ex hâc præſumptione quòd in nullo periculo foret causâ cadendi, ſed in magnâ ſpe magnæ gloriæ adipiſcendæ. Unde non eſt veriſimile quòd alium Salvum Conductum popoſcerit niſi ut audiretur, neque alium acceperit; quantumvis Sectatores ipſius, Viri vel Juris inſcii (quales ferè ſunt Milites) vel Mendaces (quales ſunt ferè primi Archihæreticorum Sectatores) nomen Salui Conductûs in invidiam traxerint; rem ipſam non explicantes, ſi re ipsâ intellexerint.

2. Et quòd ita ſe habeat patet, primò de Saluo Conductu dato Hieronymo de Pragâ, in quo expreſſum eſt quod dictus Hieronymus affirmaverit ſe venturum

dummodò ad veniendum Salvus & ſecurus Conductus ei præberetur; quem Concilium præbet vocibus ſuprà recitatis. In quibus notandæ ſunt hæ voces *ſalvâ ſemper Juſtitiâ*; quæ clarè explicant Salvum Conductum datum ut haberent copiam ſiſtendi ſe & acceptandi legitimum Judicium juxta Canones. Patet itaque neque illos aliud prætendiſſe à Concilio, neque Concilium aliud præſtitiſſe; maximè quia vocibus citatis proximè anteriores ſunt hæ, *compareas ſecundùm tenorem prædicti ſcripti tui, reſponſurus ad ea quæ tibi aliquis vel aliqui in causâ Fidei voluerint objicere, recepturus & facturus in omnibus Juſtitiæ Complementum.* Quæ voces non poſſunt aliter intelligi quàm ut dictus Hieronymus deberet præſtare ex parte ſuâ quæ Juſtitia poſcebat, & Juſtitiam etiam à Concilio expectare. Et tamen dictus Hieronymus hunc Salvum Conductum pro ſe allegavit Præfecto Vici, qui (ut videtur) ignarus erat formæ, ſed conſultum putavit ad Concilium referre.

3. Proxima evidentia eſt, quòd quidam ex Sectatoribus Joannis Hus, tantus illius fautor, ut proteſtaretur ſe ſcribere *ſimpliciſſimè hiſtoriam certaminis & mortis laudabilis Magiſtri Joannis Hus Prædicatoris*

toris Sancti Euangelii, & multa narret quæ in laudem Joannis Hus & odium Concilii referre ac trahere videtur, & multa commemoret de violatâ Salvi Conductus Fide & dicat Regem (Sigiſmundum) promiſiſſe ſcripto Salvum Conductum ad ſecurè eundum illuc & redeundum in Bohemiam, tamen ſubjungit formam ipſam Salui conductûs, in quâ hoc non reperitur. Clariſſimum itaque & indubitatum eſt ſponſionem redeundi non eſſe factam. Neque dubium eſt huic Authori quoad hoc credendum, cùm profiteatur ſe ſcriptis complecti quæ ipſemet viderit, audierit & veraciter expertus fuerit, ſciens verum eſſe teſtimonium ſuum.

4. Tertia evidentia ex factis ipſius Ioannis Hus deſumitur, in totâ cujus defenſione nullum verbum eſt de violatâ fide Salui conductûs, excepto quòd allegaverit ſe non debere vinciri quia Saluum conductum haberet. Author citatus multas ipſius querelas interſerit, nullam tamen vocem de violato conductu. Rex Sigiſmundus ſæpè ab ipſo petiit ut ſe ſubmitteret Concilio, conteſtans niſi deſiſteret à pertinaciâ ſuâ Concilium uſurum in ipſum jure ſuo juxta cenſuram Sacrorum Canonum; ſeſe promiſiſſe Concilio ſeipſum non manuten-

turum, quódque mallet per ſeſe pertinacem Hæreticum comburere, quàm defendere. Poſtea adfuit ipſe Rex ſeu Imperator in habitu Imperiali & Regali Coronâ, circumſtantibus ſacri Imperii Principibus Electoribus juxta ordinem & officiũ ſuum, cum Sceptro, Pomo aureo & Gladio; aliiſque Principibus vel Proceribus Imperii Romani pro more ſolenni, dum peractis circa Ioannem Hus quæ ex præſcripto Canonum ſolent, pronuntiata eſt ſententia Concilii, quâ dictus Hus tanquam Hæreticus convictus, relictus eſt brachio ſæculari. Quâ pronunciatâ Imperator ait Duci Bavariæ, *Vade, recipe eum*; qui eum recepit & tradidit Lictoribus. Inter hæc omnia nunquam conqueſtus eſt Ioannes Hus violatam eſſe fidem Salui Conductûs ab Imperatore, vel aliquam injuriam contra Leges Canonicas ſeu Civiles eſſe adverſus ipſum perpetratã.

5. Quarta evidentia ex Actis Imperatoris trahitur. Conſtat enim Imperatorem & ſtuduiſſe tutelæ perſonæ Ioannis Hus, & paci Bohemiæ dum ſperabat benè de Huſſo; & non niſi vi Juſtitiæ, & per obedientiam ad Jura Eccleſiaſtica, conſenſiſſe in mortem ipſius, & tamen ſponte, & ex judicio ſui Intellectûs, ut patet ex vocibus ipſius citatis, in eam conſenſiſſe. Palàm itaque eſt Impe-

ratorem

ratorem non fuiſſe ſibi conſcium violatæ alicujus Fidei. In Epiſtolâ ſuâ ad Barones Bohemiæ tumultuantes occaſione mortis Ioannis, profitetur ſi Hus ſecutus fuiſſet ipſius Conſilia & ad ipſum veniſſet, neq; ſe inſcio in Concilii poteſtatem ſemetipſum tradidiſſet, meliùs cum ipſo actum fuiſſe futurum: Quòd causâ ipſius è Concilio ſæpè iratus diſceſſerit, imò ex ipsâ Civitate; Quòd Conciliũ timuerit diſſolvendum, ſi ulteriùs perſtitiſſet; proteſtante ipſo Concilio quòd ſi non permitteret Iuſtitiam fieri nõ ultra permanſuros eſſe Patres: Quòd reveritus ſit non Eccleſiaſticos duntaxat ſed & Legatos omnium Regum & Principum Chriſtianorum, & teſtatur Concilium benè gubernatũ fuiſſe. Unde liquet hoc Judicium quaſi ex conſenſu omnium Chriſtianorum Principum perfectum eſſe. Quis autem cogitare queat ſaltem Laicos approbaturos ſi Imperator Fidem Imperialẽ violaviſſet, in quâ nitebantur omnia fœdera cum ipſo pacta vel paciſcenda? Præterea, quorſum ſeſe toties immiſcuit & ſuam Perſonam ad agendum publicè cum Ioanne Hus, ſi exprobrare ei poſſet violatam Fidem? Cur hortatus eſt Concilium ut procederet contra ipſum, teſtatus ſemetipſum illi non credere, neque putare Concilio fidendum eſſe verbis ipſius quicquid

promitteret? Quid opus erat tantâ ſolennitate & præſentiâ Electorum & Principum Imperii ad condemnationem, & ſuâ voce tradere eum Duci Bavariæ, ſi involueretur ignominia ipſius Imperatoris in ipſo facto? Clariſſimum itaque eſt nihil calumniæ vel ſuſpicionis de violatâ aliquâ Fide in pectore Imperatoris vel circumſtantium inſediſſe; ſed apertiſſimam Juſtitiam & notiſſimam tum Principibus Imperii tum Legatis Chriſtiani Orbis omnis geſta eſſe, & clamores de violato Saluo Conductu fuiſſe duntaxat inter aliquos ipſius fautores, quos puduerit in publicum eos efferre ut examinari poſſent.

6. Non ſupereſt, niſi ut iis quæ ab Hæreticis affetuntur reſponſum feramus. Inprimis declamant contra Concilium quaſi ſtatuerit non debere fidem publicam obſervari reſpectu reorum violatæ Fidei catholicæ. Verùm clara eſt calumnia. Concilium enim non aliud declaravit quàm quòd Laicorum ſaluus conductus à Curiâ ſæculari abſoluebat, ſed non ab Eccleſiaſticâ. Unde non poterat impedire Judices Eccleſiaſticos ſuam Juſtitiam exercere; quam doctrinam applicando ad caſum noſtrum, non poterat Imperator impedire quin Ioannes examinandus foret, & de hæreſi

con-

condemnandus; & ſic, (quod Conſuetudinis Eccleſiaſticæ eſt,) tradendus brachio ſæculari. Quod & actum eſt, & ab Imperatore ſuſceptus eſt: Quo non obſtante, ſi vel Imperii rebus noxium erat, vel adverſus Fidem ab Imperatore datam, exequi quæ ſolent ſequi ſententiam Eccleſiæ; in ipſius erat poteſtate, vel non exequi, vel differre executionem: Quod & ipſum facturum fuiſſe non poteſt dubitari, tum ex iis quæ Carolus Quintus invitâ Eccleſiâ egit, & quæ ipſe Sigiſmundus poſtmodùm ad recuperandum ſibi Bohemiæ Regnum patravit.

7. Aliud quod objici poteſt ſit, quòd in Catholico Scriptore invenitur Ioannem Hus allegaviſſe Saluum conductum, & Imperatorem eum voluiſſe liberare, ſed impeditum eſſe à Viris Doctis, qui reſponderunt Imperatori, nullo Jure deberi Saluum conductum Hæretico in hæreſi ſuâ perſiſtenti. Reſpondetur, hanc hiſtoriam eſſe imperfectam, utpote à cive Conſtantienſi, viro (ut videtur) probo ſed indocto, Teutonicâ linguâ ſcriptam; atque proinde cui minùs fidi poſſit in rebus ad ſcientiam pertinentibus. Sed hiſtoria talis eſt. Fugerat Ioannes Hus & retractus eſt; cúmque timeret ſe vinculis propter fugam conſtrictū

 iri

iri allegavit ſaluum conductum, aſſerens ſe propter ipſum liberum eſſe debere à vinculis. Reſpondit qui retraxerat, decretum eſſe ut cauſam ſuam juſtificet quòd non ſit hæretica, aut moriatur niſi retractaverit. Hus hæc audiens deſiluit ex equo, ut ſeſe in multitudine quę ad eum videndum captum concurrerat maxima, ſe occultaret & ſubduceret; ſed inventus eſt & in palatium abductus (ut credo) in Cuſtodiam. Unde patet ipſum priùs liberè in diverſorio verſatum fuiſſe. His ſubjungit Author eas voces, *Quem Rex Romanorum libenter propter Saluum Conductum liberáſſet, niſi à doctis accepiſſet reſponſum, nullo jure deberi Saluum Conductum hæretico in ſuâ hæreſi perſiſtenti.* Ut tota hæc hiſtoria ſibi conſtet. Palàm eſt Joannem prætendiſſe Saluum Conductum Imperatoris priùs datum non ſtare cum Incarceratione, & Imperatorem fortaſſis idem exiſtimaviſſe, ex eo quòd Saluus Conductus liberam audientiam apud Concilium præſtaret; Theologos autem & Juriſconſultos reſpondiſſe hujuſmodi Saluum Conductum non debere hæreticis pertinacibus; putà quia non aliud iis præſtandum foret, quàm ut audirentur ſecundùm Canones. Et hic apparet eſſe ſenſus reſponſi, quod non agit de Saluo Conductu jam præſtito;

ſtito; quid enim intererat debitúſne an indebitus, hoc eſt, utrum gratis & extra ordinem, an ex vi Canonum datus foret, modò datus fuiſſet. Patet itaque de dando non de dato fuiſſe ſermonem; Et Hus datum allegaviſſe, non quia in formâ Salui Conductûs fuiſſet expreſſum, ſed ex vi nominis *Salui Conductûs* illud ſequi exiſtimaviſſe quod Doctores reſponderunt non ſequi, neque eſſe extendendum ultra voces. Et ſic patet non eſſe violatam aliquam fidem Joanni Hus neque verbo, neque opere; neque Concilium talem ullam doctrinam tradidiſſe, ſed eſſe meram calumniam illatam Sanctæ Eccleſiæ. Neque poſſum diffiteri ortam eſſe aut dilatatam à Theologis noſtris, qui non diligenter inſpectâ causâ ad excuſationes diverterunt; aliqui defendentes non eſſe ſervandam Fidem Hæreticis; alii verò ad Poteſtatem Concilii ſupra Imperatorem, qui teneretur obedire mandatis Concilii etiam contra fidem à ſe datam, quorum nulla umbra eſt in Hiſtoriâ.

INSTITUTIONUM ETHICARUM, SIVE STATERÆ MORUM,

EXAMEN OCTAVUM, DE Contractibus & Æquitate.

TRUTINATIO PRIMA. DE *Donatione in Vitâ & Morte.*

1. VT ad ulteriora nos promoveamus: Palam eſt ſi qui homines, Cajus & Titius, ſaltem commercio jungantur, eos diviſionem rerum pro ratâ habere: Videndum

itaque

itaque eſt quid Natura, hoc ſolo ex promiſſione accepto fundamento, inter illos operetur. Et, ſi hominum opera inſpicimus, alia in vitam, alia in mortem ordinant; non contenti uti ſeu frui bonis dum inter mortales agunt, ſed etiam diſponentes per ultimas voluntates quid futurum ſit iis poſt mortem. Verùm, ex dictis colligi poteſt hoc invitâ & repugnante Naturâ fieri. Palàm enim eſt Naturam non Dominium nobis ſui, ſed Uſum tradidiſſe. Rapacitas itaque eſt extendere manus ad eam poſt exceſſum ex vitâ. Præterea, injurium eſt ſuperſtitibus non poſſe uti iis quæ à Deo & Naturâ illis porrecta ſunt. Præterquàm quòd poteſtas naturalis hominis non ſe extendit ultra quàm vires Ingenii & Corporis; & hoc poteſt quod vel Intellectus negotiatione perſuadere vel externis viribus cogere valet. Hæc autem duo morientem deſtituunt. Adde quòd *Mandare* non dicit amplius quàm *erudire*, niſi ſit addita poteſtas aliqua ex pactis & conſenſu aliorum, quâ poſſit conſtringere non volentes. Non itaque ex Naturâ eſt Teſtamentum condere, ſed magis oppoſitum, & plerúmque ex aviditate imperandi voluntas nata.

2. Sed quoniam & ex Legum Inſtitutione confirmata eſt hæc extenſio poteſtatis

tis humanæ ad futura, obſervanda eſt ſicut illæ; maximè quia ex pietate filiorum, Parentum ultimas preces reveritorum, originem cepiſſe creditur. Inter quos non eſt mihi tacendus Frater meus Richardus Albius, cui cùm per Leges permiſſum foret ultra voluntatem communis Patris noſtri & Matrem & Fratres reſtrinxiſſe, magis indulſit & extendit Patris in nos benevolentiam. Reddat illi Dominus in retributione Juſtorum. Verum eſt, ſatis ex convenientiâ ad res humanas inſtitutam eſſe hanc morientium poteſtatem: Cùm enim Parentes & prudentiores Filiis & eorum amantes, plerumque ſint, ſemper habeantur, melius ipſis plerumque eſt ſi ex eorum prudentiâ bona poſt mortem adminiſtrentur, quàm juvenili fervore exultantium Neophytorum. Nolim tamen hoc ipſi Naturæ negare, ut poſſint Parentes perſuaſionibus & illiciis Filios pertrahere, ut polliceantur ſe ſtaturos diſpoſitioni Paternæ etiam poſt mortem ipſius; quâ ſponſione poſitâ, tenebuntur poſt mortem Parentum exequi promiſſa ſua. Sed objicies, ſi Bona poſt Mortem non poſſint legari, quo jure vel vi perveniunt ad Filios? vel fortè non perveniunt niſi ex vi Conſuetudinis & pactorum implicitorum?

citorum? Et in hoc ultimo dicto rei veritas continetur. Sed addendum eſt, ſuppoſitâ rerum diviſione, vi Poſſeſſionis ad Filios cum Parentibns conviventes continuari proprietatem, propter continuitatem poſſeſſionis; ad cæteros nihil attinere purâ Naturæ vi. Neque ampliùs hoc loco de diſpoſitione rerum poſt mortem neceſſum erit deducere, poſtquam declaratum eſt totaliter ab Legum & Conſuetudinum inſtitutis pendere. Tantùm notandum eſt eâdem evidentiâ evinci, omnia pacta quæ citra Legum vim clauſulam includunt de futuris poſt mortem ſeu adventitiis per mortem bonis, eatenùs eſſe irrita.

3. De Commercio verò inter vivos, ſi velimus cum rigore loqui, duæ ſunt formaliter ſpecies; Donatio & Permutatio. Hæ enim comprehendunt alias omnes cum ſolâ diverſitate materiei. Hæ autem ſunt adeò diſtinctæ ut Permutatio non ſit Donatio, ſed quaſi Retentio ejuſdem rei in æquivalente, Donatio verò ſit abſoluta Privatio talis rei. De Donatione in communi, quantum Naturæ eſt ſatis, ſuprà dictum eſt. Contractus qui ad eam reducuntur, ſunt Promiſſio, Commodatio, Mutuatio, Servatio Depoſiti, & Precarium. Promiſſio eſt alienatio quædam ſeu Donatio liber-

tatis noſtræ circa diſpoſitionem alicujus rei vel operationis; de quâ etiam ſufficienter ſuprà actum eſt, quid ex vi Naturæ poſſit. *Commodatio* & *Mutuatio*, ſi præciſè ex Naturâ ſpectantur, ſunt donationes rei ad tempus; differunt materiis, quòd Commodatio eſt rei quaſi ſtantis & permanentis; Mutuatio, fluentis. Pro quo advertendum eſt, ſi actionem humanam penitiùs intueamur, Rem aliquam non eſſe niſi uſum rei; Unde dare Rem, eſt dare Uſum in perpetuum; & commodare Rem, eſt dare partem Uſûs. Rurſus, palam eſt omnia mortalia Uſu conſumi; aliqua tamen uno actu, aliqua continuatione: Sed quæ uno actu conſumuntur continuari ſpecie vel equivalentiâ; ſicut aquam in flumine; quæ etſi nunquam eſt bis eadem, ſemper tamen eſt eadem: ſic itaque in Mutuo Uſus datur, ſicut in Commodato, ſed ut Res reſtituatur non materialiter eadem, ſed æquivalenter. Unde patet Commodationem Mutuationi præſtare, quia plus datur, & per conſequens plus eſt Benevolentiæ in Commodatione quàm in Mutuatione; cùm in Commodatione Res ſemper revertatur deterior, in Mutuatione vero æqualis.

4. Sed ſingulæ ſunt inſpiciendæ. In primis

primis itaque palàm eſt Commodantem exercere Benevolentiam in Commodatarium, hoc eſt, de ſuo donare; primò Uſum rei, hoc eſt, non poſſe interea uti; ſecundò, quantum inſtrumentum commodatum ex uſu intento per Commodatorem deteriorari natum eſt: tertiò, incurrere pericula, quæ ſint vel communia, vel majora apud Commodatarium quàm apud ſe; ſi ſint præcognita, vel non dolo celata, nec à Commodante cautione præventa: Et in his includuntur mala quæ ex ipſo uſu moderato ſurgunt; ut, ſi equus claudicet, vel etiam curru obruatur, ſine culpâ utentis. Cùm enim hæc omnia inſint Commodationi ſeu uſui, & ſint conſequentia ipſius, Commodans hæc omnia vult quando commodat, niſi expreſsè vel tacitè præcaverit; tacita autem præcautio nulla eſt niſi ex Conſuetudine vel Lege. Sic itaque ſi Commodatarius utitur re cum eâ fide& curâ quâ quiſque ſuis rebus proſpicere creditur, damna ſunt Commodantis; ſive ex communi Naturæ defectu, ut caſualia; ſive ex particulari rei tractatione ſequantur. Unde etiam patet ex vi contractûs neceſſarios ſumptus eſſe Commodantis, ut alimenta equi, refectionem eorum quæ teruntur vel franguntur &c. Qui enim dat uſum dat prævia

ad

ad uſum. Verùm, quia in voluntate dantis eſt quantum velit dare, hæ pendent ex intentione commodantis, modò nota ſit. Attamen commodans uni non facit poteſtatem commodandi alteri: Unde, ſi quid damni exinde provenit, Commodatario incumbit; quia hæc poteſtas non eſt facta. Commodator clarè non poteſt repetere, quia pro tempore vel uſu rem ipſam alienavit æquè ac ſi dediſſet. Hactenùs ex naturâ rei dictum eſt, abſtrahendo à Legibus & Conſuetudinibus.

5. Contractus *Mutui* quantum eſt ex naturâ rei idem eſt qui Commodationis; materialiter tantùm differens, ex eo quòd Mutuatio dicitur Accommodatio rei ſenſibiliter ſeu ad ſenſum conſumptæ uſu, ſed intelligibiliter manentis in æquali: Commodata autem res, prout eſt diſtincta à Mutuatâ, ſenſibiliter quidem manet eadem, ſed intelligibiliter minùs eadem quàm res mutua. Cùm enim uſus vel valor, hoc eſt, idoneitas ad uſum, ſit illud quod æſtimatur inter homines; ille manet perfectiùs, ſcilicet nihilo deterioratus; cùm res commodata ex naturâ rei Uſu deteratur & pejor evadat. Sed Juriſperiti aliud in Mutuo inveniunt quo eſſentialiter à Commodato differat; videlicet

licet quia proprietas rei transfertur in Mutuo, & non in Commodato: ut Pecunia, (exempli gratiâ) quando ſic commodatur, fiat Recipientis; Equus autem commodatus maneat commodantis Sed, ſi interiùs inſpiciatur nihílne maneat Domino de commodatâ pecuniâ, invenitur manere ſecundùm Juriſperitos *Jus* quoddam, hoc eſt, ut explicuimus, vis quædam effectiva paris pecuniæ, hoc eſt æqualis pecunia; quod eſt quod diximus manere intelligibiter eandem pecuniam, quia illud Ius (exceptis iis quæ in mutuatione gratuitâ ſunt) eadem efficit, vel efficere nata eſt, quæ ipſa pecunia.

6. Sed neque ex Contractû, ſed per accidens, transfertur proprietas rei materialis: Ut, ſi quis volenti mutuò accipere decem libras argenti, vel tritici, vel fæni, monſtret centum; & det facultatem auferendi ex acervo decem prout uſus habuerit, & ille auferat per partes, nunquid ſi relicta pars aliqua pereat, peribit mutuario? an, non potiùs mutuò-danti? & ex converſo, ſi commodetur equus eâ conditione ut vel eundem vel æqualem poſt tres menſes reſtituat Commodatarius, & præſtet quæcúmque pericula; Num propterea non erit pactum Cõmodationis? vel Equus non erit Com-

Commodantis ? aut erit alia quàm materialis differentia inter Contractus, ex eo quòd Pecunia vel Triticum uno uſu evaneſcit, Equus pluribus ſenſimque atteritur?

7. Ex alio itaque capite & non præciſè ex vi Mutuationis & Commodationis proveniunt illæ diverſitates quòd pereat Actori vel Patienti res tradita; nempe ex eo quod res mutuata, cùm ſit ſpecies quædam, non poſſit perire Mutuanti. Unde, ſi ſic mutuum dederit ut accepturus eſſet Mutuatarius pro libito, etſi materialis res (de quâ locutus eſt mutuans) perierit, pacto Mutui tenebitur nihilominùs, juxta leges tamen Promiſſionis. Unde patet etiam mutuatum creſcere & decreſcere mutuò danti, ut ſi pretium tritici ſit majus vel minus tempore reſtitutionis quàm acceptionis; ſicut Equus vel aliud Inſtrumentum commodatum, ſi melioratum fuerit, melioratio vel pejoratio accreſcit Commodanti, quia nempe res eſt Ipſius.

8. Depoſiti Contractus eſt Promiſſio operæ ſuæ ad cuſtodiam rei pertinentis ad Deponentem. Statim patet ex vi Contractûs non poſſe Depoſitarium tangere, hoc eſt, *uti*, re depoſitâ aliter quàm ex voluntate Deponentis; quæ ſi interveniat, non

eſt

eſt purus Contractus Depoſiti, ſed mixtus Commodatione vel Mutuatione. Si invito Deponente uſus eſt, & lucratus citra deteriorationem Depoſiti, injuſtè fecit; Verùm, Lucrum accreſcit Depoſitario quantum eſt ex purâ vi Contractûs, quia Crimen fuit non Damnum; ut, ſi quis die Feſto laboraviſſet non propterea non fuiſſet lucratus quod pro labore accepit. Palàm quoque eſt Depoſitarium ſatisfacere debito ſuo, ſi cuſtodiat eâdem diligentiâ quâ res ſuas quæ ſint æqualis pretii; modò ex commendatione Deponentis non ſit requiſita, & in ſeſe ſuſcepta, major. Si quando verò vel Commodatio vel Mutuatio vel ſuſceptio depoſiti fit ſine ſpecificatione temporis, dicitur Contractus *Precarii.* Nihil ex Naturâ purâ ſpeciale continet niſi illimitationem temporis; unde neque latiùs de eo in hoc loco eſt diſputandum.

9. Ad Donationem quoque reducitur *Præſcriptio*; quæ, quando ex Naturæ vi acquirit aliquid, ſupponit Dominum rei ex voluntate vel Neceſſitate, hoc eſt, Naturæ juſſu, voluntatem poſſidendi rem præſcriptibilem reliquiſſe, ſeu quaſi donaviſſe illam cuilibet volenti. Quando verò ex Jure, tum ſupponitur Dominus ex vi Legalis Juſtitiæ ejuſmodi poſſidendi voluntatem

re-

reliquiſſe, ſeu Publico rem dediſſe. Et evidens eſt hos Contractus eſſe omnes qui ſunt purè liberi ſeu ſine onere; cùm Res omnes quæ poſſint dari, vel ſint Stantes vel Fluentes; pro tempore determinato, vel ad liberratem facientis; vel tandem Actiones ſeu Operæ: Actiones rurſus vel Fluentes, vel Stantes; Datio Actionis ſtantis eſt ſuſceptio Depoſiti; Fluentis, Promiſſio. Datio Rei Stantis ad tempus, Commodatio; Rei Fluentis Mutuatio; Cujuſlibet Rei vel Actionis ad tempus indeterminatum, ſeu pro libertate Dantis, dicitur Precarium.

TRUTINATIO SECUNDA.

DE

Permutatione, & ejus Diviſione.

1. ET hi quidem licèt à Iuriſperitis nomine *Contractuum* celebrentur, & proptereà in illâ Arte ſic exiſtimari debeant, ex Naturâ nihilominùs non habent ra-

rationem Contractûs; cùm palàm ſit hoc nomen indicare cooperationem ſeu conjunctionem plurium qui ſimul trahant, & in unum trahantur. In his autem Una pars duntaxat eſt Activa, altera Paſſiva. *Permutatio* itaque, & Contractus qui illius naturam ſortiuntur ſeu dividunt, magis propriè Contractus dicuntur; Qui etiam, quia circa eadem verſantur omnes, non niſi Permutatio ſunt. Sed permutatur Uſus unius rei cum Uſu alterius vel ſimpliciter, vel ad tempus; & Res ſunt vel Stantes vel Fluentes: Ut ad ſpecialia deſcendamus. Quando Uſus unius rei in perpetuū cum Uſu alterius commutatur, volunt Iuriſconſulti ſi pro Pecuniâ fiat mutatio, eſſe *Emptionem* & *Venditionem*: Si pro aliâ merce vel re de ſe Utili, eſſe communi voce dicendam *Permutationem*. Et, ſi quidem uſui eorum ſervit hæc diſtinctio, rectè facta eſt; ſed in Naturâ nulla ſubeſt occaſio talis diſtinctionis; cùm Pecunia, ſive menſura communis permutabilium, ſive metallo conſtet, ſive aliquo fructu, vel aliâ re utili, habeat æqualitatem cum rebus cum quibus permutatur, ſi quidem benè eſt ordinata Reſpublica. Videmus enim, ſi abundet pecunia, ex neceſſitate commoda regionis illius cariùs di-

diſtrahi quàm ſi rara ſit. Aurum itaque & Argentum, & quæcunque Pecunia manifeſtè valorem ſuum habet; Unde Permutatio pro Pecuniâ ſeu Venditio non differt à quâlibet aliâ Permutatione, niſi vi Conſuetudinis vel Legis.

2. Porrò in Permutatione; ſicut in cæteris actionibus humanis, Veritatis & Charitatis Leges obſervandæ ſunt. Per Veritatem cavetur de Dolo, per Charitatem de Oppreſſione. Qui itaque emit vel vendit ſub fide ſuâ, niſi res ſit par rei cum quâ commutatur, pactum nullum eſt. Compars enim non conſenſit in Contractum niſi dependenter à Fide Promittentis, quæ nulla fuit. Charitas autem poſcit, ut damnum nulli abſque neceſſitate inferamus. Unde, ſi videamus aliquem ignarum valoris rei permutandæ, etſi volenti eam pretio inæquali auferre, vendere non licet. Similiter in Neceſſitate exiſtentem premere, contra Charitatem eſt. Advertendum ulteriùs alium eſſe valorem rerum Naturalem, alium Moralem ſeu Politicum. Valor Naturalis rei eſt ſecundùm uſum quem Naturæ præſtat; unde invenitur in iis rebus quæ vitæ hominis neceſſariæ ſunt; puta victum, veſtitum, habitationem, & ſi qua ſunt alia quæ

Na-

Naturæ defectus ſupplent. Moralis & Politicus valor rerum eſt ex Conſuetudine vel Lege, qualis eſt in Pecuniâ, Gemmis, ſuperfluíſque ſive Ornamentis ſive utenſilibus. Hic Valor non pertinet ad hunc locum; & inter illos qui ex Naturâ vivunt, neque aliud commune habent quàm ut diviſionem Bonorum mutuò obſervent, nullus eſt. Solus itaque prior Valor, qui Naturalis eſt, attenditur inter Gentes quæ nullam habent Legem, conſuetudine vel pactis inter ſe firmatam; & ſecundùm hunc Dolus & Oppreſſio in præſenti æſtimanda ſunt.

3. Ex dictis elici poteſt Permutabilia, eſſe Utilia, hoc eſt, Inſtrumentalia, & per conſequens Corporalia & Materialia; & quæ ſunt his majora, putà quæ ſe habent tanquam Fines, ut Homo & partes Hominis, præſertim Animæ, non eſſe Permutabilia, niſi fortè inter ſemetipſa. In primis neque Homo, neque aliquid Hominis poteſt vendi vel pro Utili commutari (Non dico quòd operæ ipſius non poſſint vendi) ut, ſiquis offerat Pecunias vel aliud Utile ut liceat ipſi occidere hominem cæteróqui innocentem, vel mutilare ipſum, Contractus ſit futurus nullus; ex eo quòd Homo non ſit aliquid Permutabile. Rurſus, Ani-

ma

ma non poteſt vendi; verbi gratiâ, ſi Pecunia offeratur ut liceat Hæreſim propagare, contractus eſt nullus; quia Bonum Animæ non eſt aliquid Permutabile. Rurſus, Actus Humani ut Humani, non ſunt permutabiles; verbi gratiâ, Prædicatio, Adminiſtrationes Sacramentorum Cæremoniarumq́; &c. Addo Conſilia Spiritualia, & hujuſmodi. Hi enim omnes Actus, cùm ſimiles ſint effectibus quos nati ſunt producere, ſunt Humani ut Humani; & quaſi partes, & proprietates Animæ, & ſuperiores iis quæ vocantur Inſtrumentalia. Tandem Scientiæ, ſaltem Metaphyſica, Moralis & Phyſica, non ſunt vendibiles; quia perficiunt hominem ut Hominem erga Ultimum Finem; & in ratione Hominis, quatenùs eſt Homo; & per conſequens non ſunt Inſtrumentalia neque Permutabilia. Omnis itaque Contractus qui fit per modum Permutationis pro his eſt invalidus, quia omnia hæc ſunt ſupra compenſabilitatem per alia quælibet.

4. Ex dictis de Donatione conſtat Contractus *Declaratione Mentis* perfici; &, per conſequens, in Permutatione per Externos Conſenſus, citra Traditionem, Dominium rerum mutatarum invicem transferri; ex quo patet cui pereant vel decreſcant, & cui

cui creſcant res mutuatæ ſecundùm legem Commodationis & Mutuationis; quæ enim communia ſunt, repetenda non ſunt.

Quid itaque dicendum eſt de his omnibus qui Homines & Scientias & Actiones ejuſdem naturæ paſſim divendunt & divendere permittuntur. Reſpondetur, qui Servos vendunt, (modò Servitus ſit legitima) duntaxat Operas eorum vendunt. Unde non liceret vendere Servum Anthropophagis, vel iis qui ad medicamenta conficienda eos occiſuri forent: Neque Hæreticis, vel aliis nequam hominibus, qui Animos eorum ſeducturi forent ad impietatem. Qui verò Scientias vel Actiones quodammodò Sacras vendere permitti videntur, ſi hoc ſic intelligant, devii errant. Non enim deberent aliud quàm commodum victum exigere;qui etiamſi ad eoſdem ſumptus redeat, non tamen permutatur cum Actione factâ, ſed accipitur tanquam Inſtrumentum & neceſſarium ad Actionem faciendam. Neque refert quòd Actio fortaſſis præterita ſit ante acceptionem pecuniæ, quando enim dicimus accipi ut neceſſariam Actioni, intelligitur Vitæ Hominis quæ in hujuſmodi actione collocata eſt.

5. Et hæc de Permutatione proprie di-

ctâ quæ reſpondet Donationi:Nunc iis quæ Commodationi & Mutuationi reſpondent dandus eſt locus. Sunt autem *Locatio* & *Fæneratio*. Locatio vel eſt Rei ſtantis, vel Perſonæ ſeu Operarum : Locationem Rei longam, placuit *Emphyteuſim* dici apud Iuris Imperialis conſultos; longiſſimam verò & perpetuam, *Feudum* ſeu *Infeudationem*. Elocatio Operarum ſimiliter alia eſt brevis, cui correſpondet Conductio; & longa vel perpetua, quæ Feudum appellatur. Media tam rara eſt ut nomen particulare non meruerit. Sed quomodò hi Contractus nominandi ſint, & quæ ſit earum Logica diverſitas parùm refert; dummodò ſciatur naturam Locationis in omnibus eſſe, etſi ſæpè mixtam cum Commodatione. Quòd enim ſemper aliquis Uſus maneat Locanti, ſive poſt determinatum tempus, ſive in aliquibus caſibus, ut ſi extinguatur Familia, vel ex crimine ſi Penſio vel Homagium non exhibeatur, aut aliâ ex causâ Unde Uſus non eſt abſolutè abdicatus, ut in Emptione & Venditione, ad Commodationem ſpectat. Quare, ex naturâ priorum contractuum, hi contractus, quantùm liberi ſunt à pactis addititiis, ſatis noti manent.

TRU-

TRUTINATIO TERTIA.

DE

Elocatione rerum uſu conſumptibilium.

1. NUnc quærendum eſt an aliqua Locatio reſpondeat Mutuationi, ſeu an res Fluentes elocari poſſint; hoc eſt, quæ vicem recipiunt, ſeu ut loquuntur Juris Magiſtri Functionem. Et, ſi vera ſunt quæ de Mutuatione dicta ſunt, pars affirmativa eſt evidens. Si enim non ſit aliud Mutuatio quàm Commodatio ſecundùm Speciem & non ſecundùm Individuum, clarum eſt non minùs elocari poſſe rem in Specie atque in Individuo: Cùm enim Intellectus humanus ſit per quem celebrantur Contractus, ille autem abſtrahat ab Individuo, ut in Promiſſis evidens eſt; in quibus ſi promitto centum aureos nihil promitto in Individuo ſed tantùm in ſpecie, & per hoc ſit ſuperior Senſu per quem ſit Traditio; ſit etiam Locationem poſſe

in Specie fieri quoad rem, ſive nomina ſint applicanda ſive non: Nulla enim quoad hoc poteſt eſſe differentia inter Locationem & Commodationem. Manifeſtum quoque eſt Campſores & Mercatores, quorum eſt intelligere valorem rerum Utiliū, manifeſtariè & ſine omni dubio definire Uſum vel poteſtatē Pecuniæ vel alterius rei Fluentis eſſe Utilem. Et certè oportet evidentiſſima negare ſi volumus de hoc dubitare. Adde, Pecuniam labore acquiri, &, quod ſequitur eſſe Labore æſtimandam; & fructum ipſius & uſum Pecuniæ quodammodò valere Pecuniam quâ æſtimantur Operæ quibus acquiri nata eſt, ſi æſtimatio rectè fiat. Si itaq; Uſus & Poteſtas rei Fluentis eſt utilis, palàm eſt pretium ſuſcipere, & vendi poſſe.

2. Deinde, quis dubitat quin Jus aliquod poſſit vendi, aut Mutuantem dare Mutuatario Ius utendi pecuniâ, vel aliâ re Fluente. Item, quid poteſt dici quare in hoc Cenſus non habeat idem impedimentum? Certè vendens Cenſum, accipit Uſum Pecuniæ; & ſoluit plus, quia tempus quo differtur ſolutio majus eſt. Rurſus Elocator non concedit niſi Uſum rei ſuæ; ſed hunc non minùs concedit Mutuator, etſi ſimul Subſtantiam videatur dare. Prætereà, qui daret triticum ad ſeminandū non poteſt dici non dare rem

fru-

fructiferam; poterit itaque in meſſe plus recipere. Tandem quid commodatur vel locatur qnod fructificet ſine induſtriâ? Ligo, Equus, Ager, Domus, niſi per induſtriam applicentur; quid fructûs afferunt Locatario? Eſt itaque prorſus ratione alienum credere Pecuniam non eſſe fructiferam, quia ſcilicet requirit induſtriam.

3. Verùm, inculcant Theologi replicatas Sacrarum Literarum ſententias, quibus etſi reddi poſſet, nos abſtrahere ab omnibus Legibus, & res ex purâ rationis æſtimatione examinare, non tamen hâc defenſione opus eſt; ſed magis inſtamus, ut ipſi textus expendant quos allegant; niſi appareat Sermonem tantummodò eſſe de mutuo Pauperibus faciendo, ſi ullum verbum ſit quo poſſit colligi Legem latam quæ obſer vari debeat inter Divites, causâ cadam. Imò ſi non æqualis ſit commendatio Pignoris reddendi, ad quod hodiè nemo putat ſe teneri, & tamen æqualis eſt ratio. Vide Exodi 22°. expreſſam eſſe conditionem Paupertatis; mandatum ut non urgeatur, ut non opprimatur; ut veſtimentum pro pignore acceptum ante Solis occaſum reſtituatur Levitici 25°, *Si attenuatus fuerit, non accipies amplius quàm dediſti*. Sed quid poteſt evidentiùs de-

ſiderari quàm 15°. Exodi. *Non deerunt pauperes in terrâ habitationis tuæ; idcircò ego præcipio tibi ut aperias manum Fratri tuo egeno & pauperi qui tecum verſatur in terrâ.* Deuteronomii 23°, numerantur pecuniæ, fruges, & additur neque aliam quampiam rem, & *Fratri tuo abſque uſurâ id quo indiget commodabis.* Unde apparet clarè ſe extendere hoc præceptum ad Commodatum æquè atque ad Uſuram. Ezech. 8°. Pignus debitori reddere connumeratur cum acceptione Uſuræ; & praxis reperitur utriuſque æqualiter apud Eſdram, lib. 2°. capit. 5to. Ad idem ſpectat quod in Deuteronomio eſt, *Cave nè ſubrepat tibi impia cogitatio*, putà de adventu Anni Sabbatici in quo remittebantur debita. In Novo Teſtamento etiam præceptum clarum eſt de Mutuo dando, ut Lucæ 6°. *Benefacite & mutuum date*; & quòd etiam in his ſpectet ad Pauperes evidens eſt, quia Matth. 5°. dicitur, *Qui petit à te da ei, & volenti mutuari à te nè avertaris.* Sicut itaque non dicitur ut demus Divitibus, ſic neque ut gratis Mutuum ipſis faciamus; ſed Pauperibus, *ut poſſint vivere apud nos*, ut explicat ſe ſacer textus in veteri Lege.

4. Clarum itaque eſt Theologos transferre

ferre Præceptum Miſericordiæ factum in gratiam Pauperum ad mercimonia Divitum, de quibus nullum verbum,neq; Deus vel Chriſtus Dominus de iſtis ſolliciti fuerunt: Imò in veteri Teſtamento licitum,& commendatum etiam fuit fænerari alienis, Deuteron. 23°, & 15°. Sic itaque patet Sacras Literas malè traduci ad hanc Quæſtionem. Sed ipſa quoque Quæſtio non legitimè tractatur; Sicut enim aliud eſt Commodatio aliud Elocatio, ſic duo quoque ſunt Mutuatio & Elocatio *Pecuniæ*; & ſicut pro Commodatione nihil accipi poteſt, quia non erit Commodatio ſed Elocatio; ſic neque in Mutuatione aliquid accipi poteſt, quia non erit Mutuatio ſi aliquid accipiatnr. Sed hoc non impedit quin Elocari poſſint Pecuniæ; Commodatio enim & Mutuatio ſunt quædam Donationes, ut explicatum eſt; Locatio verò quarumcunque rerum eſt quædam Permutatio, non minùs licita in Pecuniâ & rebus Fluentibus quàm in Venditione; in quâ res vel Stans vel Fluens permutatur cum Pecuniâ. Toto itaque (quod aiunt) cœlo in hâc quæſtione à veritate diverſi abeunt Theologi.

5. Objicies Concilium Viennenſe cum Clemente Quinto definiviſſe Hæreticum eſſe cenſendum qui pertinaciter aſſeruerit

Uſuras eſſe licitas. Reſpondetur, non pertinere ad nos; quia intelligitur eſſe Hæreticum aſſerere eas non eſſe prohibitas Iure Divino & Eccleſiaſtico, nos autem ex puro Rationis dictamine procedimus. Adde quòd Clementinæ per errorem cenſentur eſſe Decreta Concilii Viennenſis, cùm quæſtiones illarum non ſint ventilatæ in Concilio; ſed ſit liber purè approbatus in Concilio, tanquam Catholicus, & Papâ non indignus; vel, ad ſummum, quòd pro Iure Pontificio meritò ſuſcipi ab Eccleſiâ poſſet: Nemo verò Theologus alicujus nominis pro definitis habet quæcunque in Iure Canonico ſcripta ſunt. Tandem, quod difficultatem prorſus interimit, Papa accipit Uſuram pro contractu Vitioſo Mutui, Elocatio vero Rei Fluentis de quo nos loquimur tam diſtinctus Contractus eſt à Mutuatione quàm Locatio à Commodatione.

6. Interea, hoc conſtet, vehemens & coactivum eſſe præceptum Mutuandi pauperibus, & etiam Dandi illis ſecundùm poteſtatem ſingulorum illa quibus opus habent; & adeò proficuum ſaluti hominum, ut Chriſtus Phariſæis, quos de Vanitate cæremoniarum externarum & de avaritiâ & ſuperbiâ arguebat, nihilominus dixerit, *Date*

te

te Eleëmoſynam, & omnia munda ſunt vobis: Hoc eſt, ex animo diligite Fratres & ſucurrite neceſſitatibus eorum, & cætera peccata veſtra in venialia computabuntur, *Charitas* enim *operit multitudinem peccatorum.* Ex dictis facilè eſt deducere contractum Locationis Rei ſive Stantis ſive Fluentis eſſe illicitum, & Rationi contrarium, quoties Neceſſitas Proximi poſcit ut commodetur vel mutuò detur. Quod ſi obſervetur, ſuccîſæ erunt innumeræ lites quæ oriuntur ex falsâ notione *Uſuræ.* Quantum enim pro Elocatione Rei Fluentis accipi poſſit, vel ex Decretis Reipublicæ vel ex abacis Mercatoriarum computationum deſumendum eſt; non ex conjecturis Theologorum quorum eſt hæc neſcire.

TRUTINATIO QUARTA.

DE

Uſurâ & Cambio.

1. ETſi in Contractu *Mutui* nihil Lucri poſſit ſperari, tamen Amicitia, Gratitudo & promptitudo ad obſequium expectari poſſunt; ſed eâ lege ut, ſi non eveniant, non propterea ſit tardior mutuans ad iterùm mutuandum; quia eſt actus Benevolentiæ Mutuatio, pendens ex ſolâ Bonitate Mutuantis & Egeſtate Mutuatarii; cætera verò ſunt accidentalia. Similiter excitare Mutuatarium licet ad ea quæ officii ipſius ſunt, modò non ſit ſpecies Coactionis, Eſt enim tanquam liber, & non per Imperium ſeu armatas preces movendus. Poteſt quoque deduci in Pactum ut reſtitutio fiat in aliâ ſpecie, modò non gravet Mutuatarium. Nihil poteſt accipi pro Damno Emergente, vel Lucro Ceſſante ex naturâ Contractûs; quia ut de Commodato dictum eſt, ex eo quod contractus eſt Miſericordiæ & Beni-

Benignitatis, hæc tanquam conſequentia facti ſimul donantur, niſi prædícat Mutuator: Tum enim, quia in Voluntate eſt Mutuantis quantum velit mutuare, fiet contractus medius inter Mutuationem & Locationem. Pro Periculo nihil poteſt accipi, neque pro Carentiâ Pecuniæ, hæc enim faciunt Locationem ex Mutuatione. Eſt quoque expreſsè contra rationem Mutui cavere de pœnâ, vel eam exigere, quia Mutuans non debet urgere, ſicut exactor facit, ſed debet expectare commoditatem Mutuatarii. Verbo, dicendum Mutuum eſſe Contractum cum Paupere, vel in Neceſſitate poſito, & debet habere omnes qualitates Eleëmoſynæ. Non tamen debet eò uſque eſſe miſericors quiſquam ut notabiliter ſeſe lædat, niſi caſus egeni hoc requirat. Sed quæ diximus, ex naturâ Contractûs, qualis plerumque eſt, ſunt intelligenda.

2. Patet rurſus, Uſurarium fieri Dominum Uſurarum quas exigit; peccat enim quia facit Contractum Elocationis quando tenebatur Mutuum dare; ſed tamen Contractum validum facit, niſi ex Legibus ſit illicitus; de quo non quærimus in præſenti, ſed de Naturâ Contractûs. Eſt alius Contractus, quo qui tradit rem ali-

quam ſtabilem vel Fluentem in magnâ quantitate, recipit majorem per partes poſt tempus debitum: Ut, ſi quis domum, vel villam, vel talentum permutet pro fructibus, operis, aut pecuniâ, ſolvendis certis temporibus; verbi gratiâ, ſingulis annis, vel in æternum, vel pro vitâ, aut alio ſpatio temporis. Et qui obligat vel agrum, vel operas ſuas, vel Perſonam ſuam dicitur Cenſuarius, qui verò pretium dat Cenſitor; & Contractus, contractus Cenſûs; Perſonalis, ſi Perſona obligetur; Realis, ſi Res aliqua, verbi gratiâ, ager vel villa. Hæc dico abſtrahendo à Juribus; has enim Permutationes eſſe poſſibiles nemo dubitat; an verò ſint licitæ, unuſquiſque ex principiis ſuis diſputat. Nolunt aliqui Permutationem Pecuniæ pro Pecuniâ vel aliarum rerum Fluentium admittere, ſed volunt Jura quædam permutari in Cenſu: Sed parùm intereſt, nemo enim dubitat etiam in Contractu cujuſſibet pecuniæ vel alterius rei Fluentis poſt tempus reddendæ, pecuniam in præſenti datam commutari cum Iure exigendi & habendi aliam finito ſpatio de quo concordatum eſt; ſive pecunia reddita ſit eadem, ſive major. Unde non poteſt Cenſus eſſe licitus, ſi Elocatio Pecuniæ non ſit licita.

3. Per-

3. Permutatio Pecuniæ pro Pecuniâ vocatur *Cambium.* Quæritur an Lucrum ex Cambio ſit juſtum: Et notandum eſt Cambium Reale duplex eſſe; prius, quando una ſpecies pecuniæ pro aliâ permutatur; poſterius, quando indifferens eſt quâ ſpecie tradatur, ſed tradenda eſt alio Loco. In primo, quia clarum eſt propter aliquam Commoditatem Pecuniæ acceptæ quæri Permutationem, palàm eſt origo Lucri; verbi gratiâ, ſi petat aurum pro argento vel argentum pro ære, vel monetam regionis pro peregrinâ, vel peregrinam pro Patriæ monetâ, ſemper Quærens à Campſore melioratur & Commodum refert; Unde non mirum ſi Campſor Lucrum faciet. Par eſt in Locali; quia Quærens pecuniam in alio Loco indiget eâ ibidem, & vel propter inopiam amicorum, vel propter difficultatem itineris non poteſt illam illò transferre, & utitur operâ Campſoris; qui etſi videatur aliquando æquale aliquando plus dare, tamen in ipsâ re ſemper minus dat, & lucratur.

4. Et jam quæretur quo titulo minus det? Et, quamvis interdum vilior ſit pecunia in regione ubi redditur, vel etiam plus mercium pro eâdem pecunia emi

poſſit, neutrum tamen horum per ſe pertinet ad Campſorem, ſed potius ad Mercatorem; Campſor autem non aliud reſpicit ex vi contractûs Cambii, quàm utrùm Pecunia ſit magis neceſſaria in hâc civitate quàm in illâ, & quantùm magis neceſſaria ſit. Ex quibus definit quo pretio debeat concedi ut Ipſe ſemper lucretur, ſive plus det ſive minùs quàm acceperit; & modus pretii eſt quantũ Negotiatores plerique, qui in his circumſtantiis verſantur, nati ſint offerre ut habeant pecunias paratas ad mercimonia ſua exercenda. Conſiſtit itaque Ars Campſoria in ſubtilitate ſuperiori ad Mercatores.

5. Sed quod nos attinet eſt, quòd illud quod Campſores vendunt ſit illa Utilitas vel Exceſſus utilitatis quem habet Pecunia in his circumſtantiis; quæ, quia quotidie variatur, idcircò neceſſe eſt menſuram Cambii in perpetuâ mutabilitate ſitum eſſe. Et quantum poſſint accipere, videant ipſi. Quod nos de Cambio habemus dicere eſt, quòd ſi Utilitas præſentis Pecuniæ vendi non poſſit, illicita eſt tota Campſorum negotiatio, quæ tamen cum magno Mercatorum fructu ubique exercetur: Si autem vendi poſſi, ultra diſputationem Elocatio Pecuniæ quæ eſt Venditio Uſûs Pecuniæ pro tanto tempore, clarè ex vi Na-

turæ

turæ non eſt illicita. Tantundem liquet in Cambio cum Re-cambio; verbi gratiâ, qui non habet pecuniam Londini accipit pecunias velut ſoluendas Pariſiis, ubi habet pecunias vel re vel poteſtate; & mandat Procuratori ſuo Pariſiis ut poſt duos menſes per literas Cambii ſibi pecuniam mittat quâ ſoluat debitum ſuum Londini. Hic Contractus cenſetur licitus, cùm præter ambages, non ſit aliud quàm poſt duos menſes ſoluere pecuniam acceptam cum pretio Cambii, hoc eſt (niſi inter divites fieret) Contractus Uſurarius.

TRUTINATIO
QUINTA.
DE
Voce & Mente Legis.

1. CONvertenda tandem oratio eſt ad Uſui propiora, & eam Juſtitiam quæ inter Cives exercetur; & quærendum, quid ex impoſitione Legum aliter ſe habeat quàm ex puris Naturæ Legibus eſt juſtum? Ad quod hoc inprimis memoriâ ferendum eſt, Legem eſſe vel vim habere cogendi homi-

minem ex pacto & voluntate ipſius hominis, non cum alio ſingulari homine, ſed cum Multitudine; quorum omnium intereſt illud pactum obſervari, utpote neceſſarium ſaluti omnium; &, inter omnes, ipſius quoque paciſcentis. In Privato itaque Pacto non reſpicitur niſi Fides Paciſcentis, uni homini firmata, & bonum illius unius Perſonæ; vel etiam Paciſcentis, prout dependet ab altero Compaciſcente: In Cive autem violatur Bonum Univerſale; & Privatum, quantum ex illo pendet, & Fides, ut Toti Multitudini data. Palàm itaque eſt Injuſtitiam Civilem longè graviorem eſſe illâ quâ purè Naturalis obligatio Pacti violatur, & hoc ex eo quòd ſit contra legem. Excipies ſaltem illam Juſtitiam quæ commercio Gentes colligat neglectam violare concordiam duarum gentium, & proinde peiorem eſſe quàm Civilem. Verùm, hoc inprimis obſtat quòd inmanis ſit differentia inter Bonum Pacis domeſticæ & Bonum Commercii, quod reſpectu Pacis leve Bonum eſt. Deinde, Charitas erga Cives longè ſtrictior eſt quàm erga aliam Gentem, & pænè par Charitati Conſanguinitatis; propter perpetuam Converſationem, & auxilia mutua quotidie occurrentia, & Matrimonia intertexta.

2. Rur-

2. Rurſus notandum eſt, quæ differentia inter Legem Juſtam & Validam intercedat; Lex enim Juſta, cùm de ſeipſo bona ſit, circa illa eſt quæ de ſe agenda forent etſi nulla Lex lata foret, modò ignorantia non excuſaret. Natura enim impellit omnem hominem ad agendum quod melius eſt, ſeu quod ſecundùm Rationem eſt magis eligibile. Lex autem Injuſta idcircò tantummodò obſervanda eſt, quia alióqui præjudicium Reipublicæ eveniret ex violatione obedientiæ debitæ publicis rerum Adminiſtratoribus. Subſumendum eſt, quæ Lex Valida cenſeatur; nempe illa, cui reſiſti non debet; hoc eſt, illa quæ non ſecum infert apertam & immediatam ruinam Reipublicæ, quæve non totâ Converſione Reipublicæ redimi mereatur. Ex quo patet, ferè non poſſe accidere ut ex vi materiei Lex fiat invalida niſi forte in ſpiritualibus; in quibus quando ſe miſcent Laici, facilè Leges perverſas condunt, vel per ignorantiam, vel per incuriam.

3. Ex his deducitur, quòd, ſi quando Lex videatur eſſe oppoſita Æquitati quæ apparet eſſe præſcindendo à Lege, reſpondendum ſit ſecundùm Legem & non ſecundùm Æquitatem abſtractam. Etſi enim

enim Lex ſæpiùs eſt animadverſio Æqui quod ſecundùm Naturam eſt inter Perſonas, tamen hoc non eſt perpetuum etiam in Iuſtis Legibus: Ex eo enim quòd Perſonæ ſunt partes Communitatis ſeu Reipublicæ, jam accidit aliud eſſe Juſtum ex conſideratione Publici cujus partes ſunt, quàm quod foret ſi ſingulæ tantùm Perſonæ reſpicerentur. Sed prætera etiam Injuſta Lex præferenda eſt Æquitati abſtractæ. Cùm enim ſit in poteſtate Legem ferentis, ut qui voluntatem omnium ſubditorum in ſeſe præhabet, facere particulares Perſonas imò ipſam Univerſitatem cedere Jure ſuo, & relictum ſit ipſi ſoli judicare quando hoc neceſſarium ſit & quando non; palam eſt Legem facere illud Juſtum quod de ſe eſt Injuſtum & Irrationabile, ſi tale ſit ut Conſenſus totius Populi poſſit illud rationabile efficere.

4. Ex quo iterùm ſit clarum, ſi conſtet de integritate Legis quòd verè Lex ſit, non poſſe aliter vitari Obedientiam ei debitam præterquam cauſando eam non eſſe Legem in hâc circumſtantiâ; ſeu etſi voces Legis eam comprehendant, tamen Mentem Legis non ſe ad eam extendere. Cùm enim Mens & non Vox conſtituat Legem, ſi clarum eſt Mentem non ſe extendere

re ad expoſitam cauſam, clarum quoque erit obedientiam non eſſe præſtandam vocibus. Conſequenter patet cujus ſit judicare an Mens Legis ſit alia quàm voces ſonent: Nam, cùm nemo ſciat quid ſit in Homine niſi ſpiritus hominis qui eſt in eo, evidens eſt per ſe pertinere Jus declarandi Mentem Legiſlatoris ad Ipſummet, ſeu ad Supremum Magiſtratum Populi. Verùm, quoniam ſub Ipſo ſunt Judices mediati, uſque ad ſingulos quorum eſt obedire, ſed & in iis eſt Obedientia Rationalis, ſi quando vel levitas materiæ vel difficultas ſupremi Magiſtratûs adeundi impedit ipſius interpretationem, pertinebit ad reliquos: Sed cum hâc diminutione quòd ſententia ipſorum non faciat Legem, neque habere poſſit rationem Exempli ſeu prejudicii reſpectu alterius Iudicis, ſed quòd finiat duntaxat litem pro hâc vice, in quâ Neceſſitas fecit hoc Tribunal ſupremum. Ex naturâ autem cauſarum quæ ad Iudices deferuntur, intelligitur quæ qualitas materiæ ſit talis ut ad ſuperiorem vel inferiorem deferri poſtulet.

5. Ut autem ipſe Obediens ſit Iudex in cauſâ ſuâ, requiritur ut immediati Magiſtratus non exiſtiment Legis executionem ad ſuam curam pertinere; vel certè non ex-

exerceant ejuſmodi curam; vel quòd plerumque, vel ſaltem in hoc articulo eidem non poſſint invigilare. Tunc enim pertinebit ad ipſum cui nulla eſt poteſtas ſeu ratio Magiſtratûs, quàm poteſt prudentiſſimè perpendere an Verba Præcepti ſint præhabenda Malo quod per ipſius impletionem eventurum eſt, & ex eâ conſideratione deſcendere ad agendum quod ipſi videtur. Virtus quâ hæc Interpretatio fit dicitur *Epiikia*. Diſtinguenda autem eſt materia *Epiikiæ* à materiâ Diſpenſationis: Convenit enim utraque in hoc quòd ſint comprehenſæ Vocibus Legibus, ſed differunt in eo quòd materia Epiikiæ eſt actio aliquo modo noxia Reipublicæ, ſcilicet vel immediatè, vel mediatè; quatenus eſt ita noxia Perſonæ, ut non ſit Utilis Reipublicæ. Materia autem Diſpenſationis eſt quando Subſtantia actionis eſt utilis Reipublicæ, ſed propter aliquam circumſtantiam extrinſecam præſtet eam non facere. Poſitâ itaque Lege in obſidione nè aperiantur Portæ, ipſas ad auxilia admittenda aperire eſt actus Epiikiæ, & infirmum comedere carnes eſt actus Epiikiæ. Sed Principem Matrimonium cum cognatâ contrahere, vel Scipionem aut Pompeium ante ætatem inire Magiſtratum

caſus eſt Diſpenſationis, quia per accidens non per ſe mala ſunt iis oppoſita, & proculdubiò in intentione Legis comprehendebantur.

6. Advertendum ulteriùs eſt, Leges alias ad æqualitatem inter Cives cònſtituendam ſeu dicendam eſſe fixas, alias verò non de ipsâ Æquitate, ſed de quibuſdam quaſi Munimentis Æqui compoſitas eſſe. Hæ ferè ſunt de formulis Iuris; qualia ſunt, ut Teſtamentum non ſit Validum niſi tot adſint Teſtes, ut Notarii vel Iudicis ſententiâ aliquid confirmetur, & ſimilia; qualia & neceſſaria ſunt in Republicâ, & tamen non definiunt ipſam rationem Officii inter Civem & Civem, ſeu Civem & Rempublicam, ſed quædam accidentalia, & neceſſaria duntaxat per hominum avaritiam & nequitiam. De hoc ſecundo Legum genere notum eſt, aliquos à peritiâ Iuris per eas conſtituti eſſe liberos; ut, inter Romanos, erant Milites. Sic itaque ſi quis ab hâc Juris Scientiâ liber quicquam bonâ fide egerit, palàm eſt Epiikiæ vi Legis rigorem evadere: Turpe enim homini eſt, vel eſſe poteſt, tantam Legum Scientiam ſive habere ſive exercere, ſi non huic homini ſingulariter, certè ſecundùm Genus, & pleriſque: Quare & hæ Leges non compre-

prehendunt Ipſos, etiamſi non ſint expreſſi. Sed ii quos Ignorantia Iuris non excuſat obedire, tenentur ejuſmodi Legibus. Dices ſi conſtat de Voluntate Contrahentis, Iudices ſecundum Voluntatem judicaturos. Reſpondeo, ſi infrequenter Iudices hoc agant, præjudicant Legi; ſi verò conſtanter egerint, induxerunt Conſuetudinem contrariam Legi & deſtructivam ipſius; nos autem de Lege vigente agimus.

7. Dices, poſſe Civem renunciare Legis beneficio, & per conſequens ſeſe debitorem conſtituere; non obſtante libertate quam Lex ei facit. Sed prorſus negandum eſt: Cùm enim voluntas Subditi ſit obligata Legi, non eſt in ſubditi poteſtate Contractum validum repugnante Lege facere; &, per conſequens, non poteſt ſeſe debitorem conſtituere. Poteſt quidem tantundem refundere per modum doni gratuiti vel Gratitudinis, honoris ſui gratiâ; ſed ex vi Iuſtitiæ non poteſt vel debere, vel ſolvere. Et, ſi quis putet per has Leges intendere Magiſtratum pervenire ad æqualitatem rei quæ ſervanda eſt inter hominem & hominem, atque proinde ceſſare Legem quoties hanc impedit, malè colligit. Sicut enim

enim duæ ſunt Leges ita duplex eſt intentio Reipublicæ : Quare, non una duntaxat, ſed utraque ſpectanda eſt. Et in poſteriore intentione tendit ſtrictiùs ad Bonum Commune; Leges enim hæ de Formulis Iuris habent pro fine ſuo ut æqualitas rei plerumque conſervetur, & non in hâc ſingulari perſonâ; ſed vel cum detrimento ipſius, quando ſic expedit, ut medium Rei plerumque attingatur. Non itaque dictabit Ratio ut forma Iuris violetur quò Particularis Perſona æqualitatem ſibi debitam obtineat. Quare recta Ratio non ſupponit Intentionem Legis vice Vocum, niſi quando utraque intentio concurrit; hoc eſt, quando eſt contra Intentionem immediatam nullius Legis.

TRUTINATIO SEXTA.

De iiſdem.

1. EX his procedi poteſt ad celebrem illam quæſtionem; Utrum Judex teneatur contra privatam Scientiam ſuam condemnare eum, qui ſecundùm formam Legis convictus eſt criminis. Clarum enim eſt ex vi propoſitionis cauſæ, Legem de formâ Judicii eſſe oppoſitam Æquitati materiali; quare, cùm declaratum ſit illam, utpote reſpicientem Bonum Communitatis, eſſe præferendam, tenebitur Judex condemnare innocentem convictum. Neque ſive pronunciando ſententiam, ſive exequendo, lædit rectam Rationem; cùm & Traditio Innocentis ſit expoſitio quædam Partis pro Toto & per conſequens rationabilis, & ſententia data ſit vera; utpote cujus ſenſus non ſit alius quàm quòd reus, ex vi allegatorum & probatorum, ſit nocens ſeu obnoxius pœnæ à Legibus conſti-

conſtitutæ. Neque ſpecialis eſt ratio Supremi Magiſtratus ſeu Legiſlatoris; quia ſi ſemel putavit ordinationem Legum eſſe ſalutarem Reipublicæ non poteſt citra Inconſtantiam judicare Executionem eſſe injuſtam & noxiam. Non tenet autem hic diſcurſus quando Pœna Innocentis vergeret in gravius damnum Reipublicæ quàm obſervatio Legis Utilitatem afferret; quod, quia ſpectat ad conſiderationem Supremi Magiſtratus, non autem inferioris Iudicis, facit inter ipſos differentiam latam in ejuſmodi articulis; qui non ſunt frequentes, & propterea non digni commemoratione

2. Alia ratio quâ Vox Legis comprehendit aliquem ad quem non videtur pertingere Intentio, eſt quando Lex univerſaliter loquitur de actione quæ diſtributivè Executioni committitur. Ut ſi Lex ferat, ut omnes Cives Excubias obſervent; & ſenſus ſit ut per partes hoc agant prout vocantur; hîc ſi quis poſſit efficere ut non vocetur, Legis Intentio non pertingit uſque ad perſonam ipſius. Quæritur, an qui fraude vel corruptelâ vel amicitiâ, poſſit Legis effectum à ſe avertere, cenſeatur ſatisfacere Legi & officio Boni Civis? Et clarũ eſt non ſatisfacere: Intentio enim Legis eſt

X mode-

moderari laborem & ſervitutem ſingulorum per viciſſitudinem multorum idem onus ſubeuntium vicariè. Quare, cùm per ſubtractionem ſui interimat hunc fructum ſperatum Legis, palàm eſt eum adverſari Intentioni Legis & non ſatisfacere Legi. Nova ſpecies Epiikiæ videtur quando Lex mandat plus quàm intendit: verbi causâ; Intendens Magiſtratus ex portorio recipere quinquaginta, mandat Mercatoribus ſoluere in proportione centum; ſciens fraudibus Mercatorum, vel recipientium, reliqua quinquaginta defectura. Videtur itaque qui ſimplici corde ſoluit in proportione quinquaginta ſatisfacere intentioni legis, quantumvis avertat à Republicâ proportionem aliorum quinquaginta. Sed res ex oppoſito evenit, immediata ſiquidem Intentio Legis eſt ut ſoluat unuſquiſque in proportione centum, mediata verò Intentio ut ipſa Reſpublica recipiat quinquaginta. Unde patet, quòd puniat ſoluentem in ratione quinquaginta ſi poſſet eum convincere de averſione reliquorum quinquaginta. Intendit itaque Lex ut ſinguli ſoluant centum, etſi non ſperet neque expectet hoc eventurum. Si autem vir probus patiatur ex malitiâ nequiorum, infortunii loco habendũ eſt, ut quod univerſaliter eveniat

vi-

viventibus inter improbos, quod evitari non poteſt.

3. Ad Epiikiam quoque videtur ſpectare modus Obedientiæ debitæ Legi notoriè injuſtæ. Cùm enim non ſit bona Reipublicæ ſed noxia, & tantummodò obſervanda ſit nè generali unioni Reipublicæ aliqua ſciſſura inferatur, quoties vitari poteſt abſque exemplo repugnandi Magiſtratui, non videtur includere particulares: Non quia Intentio Legiſlatoris non ſit nota, ſed quia notum ſit quòd Intentio non ſit Legiſlatoris ſeu Legiſlativa: In dubio enim obediendum eſt tanquam juſtæ, quia non eſt integrum ſubdito dubitare de Iuſtitiâ Magiſtratûs, cui reſignavit Iudicium & ſenſum ſuum quoad ordinationem Reipublicæ. Ex quo iterum evidens eſt rarò licere adverſari conſiliis Supremi Magiſtratûs, vel infideles eſſe commiſſo ſibi muneri, ſive in Pace ſive in Bello; quia etſi conſcii ſint Bellum (verbi gratiâ) excitatum fuiſſe ex aliquâ Libidine vel Concupiſcentiâ illicitâ dominandi, rarò tamen deſunt aliæ cauſæ propter quas Bellum licitum eſſe poſſit videri Summo Magiſtratui.

4. Ex quibus etiam patet quid reſpondendum ſit de Iuſſis; verbi causâ, ſi

ſummus Magiſtratus imperet Judici condemnare hominem non legaliter convictum; ſive hoc Reipublicæ conveniat, ſive tantùm ex libidine Magiſtratûs imperetur; vel Satelliti imperet Innocentem ſine formâ Juridicâ trucidare; Nempe, ſi ex ſubitâ & tranſeunte paſſione imperetur, dandum eſſe locum refrigerationi; ſi verò ex conſtante voluntate imperetur, non eſſe defugiendum imperium. Cùm enim in Paſſione Imperans non ſit ſui compos, verè non eſt imperium Magiſtratûs quod ſic expromitur. Ex adverſo verò quando conſtans eſt mandatum, repugnat Regimini qui illud negat perficere. Obligatus itaque eſt ex ratione pacis & Unitatis Reipublicæ miniſterium ſuum exhibere.

5. Obviabis, ergo licebit Judici & in Judicio quidem falſum profari: Verba enim Judicis, etiamſi abſolutè pronunciata, vim habent hujus enunciationis, quòd reus ex Legum ſententiâ convictus ſit criminis, quod non ſolum injuſtum eſt, ſed etiam falſum. Reſpondetur, quoad præciſam rationem Falſitatis judicandam rem eſſe ex iis quæ dicta ſunt de Veritate: Quoad Juſtitiam autem penſandum eſt, Judicem non agere in poſitis conditionibus ex poteſtate ordinariâ ſibi conceſsâ, ſed ex poteſtate exorti

orti ſummi Magiſtratûs; in cujus poteſtate eſt derogare Legibus; vel juſtè, cum Bonum Publicum cogit; vel de facto, cum vitioſa libido fecerit auſpicium. Judex itaque, in quantum ſuâ ratione utens, tradit Partem internecioni ut ſervet Totum; hoc eſt, Pacem Reipublicæ. Et quoniam hoc facit in poteſtate ipſius, cui nec injuſta agenti repugnandum eſt, Juſtè facit; quia ex Neceſſitate facit, & non poteſt defugere factum abſque læſione illius Poteſtatis in cujus obſervatione ſtat Salus totius Reipublicæ. Et hæc de Epiikia dicta ſunto; quamvis non longe abſint ab illâ Virtute quæ ſequuntur dicenda. Eſt autem (ut ex dictis patet) *Epiikia* virtus, quæ colit Jus & Æquum, non contra Leges, ſed ultrà; quaſi ſupplens Legis defectus; &, quod ſequitur, videtur pertinere ad Iuſtitiam Legiſlativam; niſi quòd ferè circa particularia, quaſi Prudentiæ pars, magis laboret quàm circa Univerſalia, ad quæ Leges ſeſe extendunt.

TRUTINATIO
SEPTIMA.
DE
Diſpenſatione & Privilegio.

1. CONſequens itaque & proxima eſt Epiikiæ *Diſpenſatio*. Quæ, ut ab Epiikiâ differat, debet eſſe à Lege, cujus non ſolùm Verba ſed etiam Intentio comprehendat eum cum quo diſpenſatur, & actionem ipſius. Debet itaque actio eſſe intrinſecè vel bona vel indifferens, quæque ex præcepti vi poſſit fieri bona; &, quod diſpenſari cum illâ poſſit, proveniat ex accidente aliquo extrinſeco, ut ſuprà dictum eſt. Unde, cùm certum ſit actionem de ſeſe eſſe bonam, palàm eſt non poſſe diſpenſari in Lege niſi Extrinſecum Bonum melius ſit; & adeò melius, ut reddat hoc malum. Ad ſciendum itaque quid ſit Diſpenſabile quid non, comparatio facienda eſt bonorum; &, in primis, ex parte Obedientiæ tenet ſe Bonum quod eſt Finis Legis; & ipſum Bonum

num aſſuefaciendi ſe Obedientiæ, quæ utraque ſunt bona ipſius ſingularis Obedientis. Deinde verò Bonum *Exempli* quod eſt duplex; Negativum, nè ſcandalizetur infirmus aliquis, ſive trahendo ad exemplum ſive ad obloquium; & Poſitivum, quo propagatur virtus & ſplendor Chriſtianæ Bonitatis inter illos qui opus habent. Et hæc duo ſpectant ad Bonum Publicum. Et quidem, quod ſpectat Bona privata, quoniam Virtutes modificantur congruis diſpoſitionibus Corporis, & ad has requirantur congrua Fortunæ Bona, neque ſine illis infirmi Animi ſeſe ad magna erigunt; ſi Ratio ſuperior libera ſit, non eſt difficile compenſationem Bonorum ſpiritualium æſtimare in comparatione cum corporeis & temporalibus; ut appareat an melius ſimpliciter, hoc eſt quoad vitam Æternam, futurum ſit per Diſpenſationem illi cui impenditur.

2. Conſideratio verò *Exempli*, ſicut evidens eſt quòd ex naturâ rei ad curatorem Publici Boni ſpectat, ſic apparet eſſe Prudentiæ ſingularis; & per conſequens ad Miniſtrum Pnblicum ſeu Iudicem ſpectare, neque in adeò imparibus comparandis ferè locus eſt *Regulis*, ſed Prudentiæ committendum eſt. Patet in-

tereà non pertinere caſum ad Diſpenſationem, ſed ad Epiikiam, quando adeò premit ut non ſit locus adeundi Iudicem. Clarum item eſt, Diſpenſationem in Iudice requirere duas conditiones; Scientiam ſive Prudentiam quâ poſſit æſtimare Malum Scandali & Bonum contrarium, & comparare illud cum Bono adipiſcendo per diſpenſationem; &, præter Scientiam, legitimam diſpenſandi poteſtatem; ſine quibus duabus irrita eſt Diſpenſatio. Scientia autem plerúmque ſupponitur eſſe in eo qui legitimam poteſtatem habet, & defectus ipſius, niſi valdè notorius ſit, non officit diſpenſaſationi.

3. Sed ulteriùs patet quòd cum Bonum & Malum Famæ ſit limitatum ſecundùm qualitatem Perſonæ & Facti ſeu actionis, (major enim eſt Fama de Perſonis nobilioribus, minor de obſcurioribus) ex naturâ rei Diſpenſatio pertinebit ad illum Iudicem cujus Poteſtas, & per conſequens ſuppoſita Scientia, æqualis eſt, ſeu extendit ſe quantum Fama Diſpenſationis nata eſt ſe extendere; & neque ſuperior Iudex, qui etſi intelligat communem Famam non tamen intelligit privam diſpoſitionem Provinciæ intra quam ſe continet Fama Diſpenſationis obſcuræ, aptus eſt ad tales Diſpen-

ſpenſationes concedendas : Neque Inferior Iudex, qui non eſt capax æſtimandæ famæ Regionis ampliſſimæ per quam vagari nata eſt Fama Illuſtrium Perſonarum, aptus eſt qui in illarum negotiis vim diſpenſandi obtineat.

4. Neque obſtat quod Summus Magiſtratus ſoleat arrogare ſibi potentiam diſpenſandi in quibuſvis particularibus, & quod hoc videtur Principii & Axiomatis loco recipi : Nam hoc accidit, quòd, ſuam Poteſtatem intuentes, de Scientiâ non ſint ſolliciti. Verùm, non rectè æſtimatur Iuſtum ex quâcunque conſuetudine ; ſæpè enim corruptela in Conſuetudinem ducitur ; & dulce eſt aliquibus etiam in minimis imperare : Sed hoc vel leviorum ingeniorum eſt, vel avarorum quibus iuſta lucra non ſatisfaciunt : Prudentes verò nolunt ſe inferiorum actionibus miſcere niſi ſi quando opus ſit correctione imprudenter ab Inferioribus commiſſi Criminis, ſeu per Appellationis modum.

5. Utcunque tamen hoc ſe habeat, ſaltem (inquies) Diſpenſatio Supremi Magiſtratus *Valida* eſt, cùm non ſit dubium quin Poteſtatem habeat. Reſpondetur,

tur, non unam eſſe rationem Summi Magiſtratûs ad Inferiorem;neque quæri modò de Summo Magiſtratu exercente poteſtatem ſuam exortem, ſed ſecundùm Leges. Advertendum proinde eſſe, triplicem eſſe quaſi eſſentialem differentiam Superioris Poteſtatis collatæ ad Inferiorem. Aliquando enim Inferioris Poteſtas, etſi ſecundùm Jura cenſeatur Ordinaria, tamen quoad efficaciam eſt purè Delegata, utpote quæ ſit tota & totaliter à Superiore. Interdum, quaſi directè ex oppoſito poteſtas eſt particularium, inque eos Superior non habet vim niſi ex conſenſu, eamq; velut Deputati cujuſdam ab illis. Inter has extremas media eſt quædam, in quo aliqua Poteſtas ſeu potiùs Poteſtas in aliqua eſt abſolutè Superioris, Poteſtas in alia abſolutè Inferioris; ſed ſic ut Superior Poteſtas illi invigilare habeat; &, ſi quid peccet, vel poſſit per ſe vel per alios emendare. Et de ſe evidens eſt diſpoſitionem immediatè factam à Superiore in Jure Inferioris quæ ſit in duabus poſterioribus claſſibus, quaſi in primâ inſtantiâ, hoc eſt, præviè ad diſpoſitionem inferioris quæ non ſit in morâ, eſſe omninò invalidam; Sed in primâ claſſe eſſe tantummodò injuſtam, ſed non invalidam. Etſi enim neque talis Superior ſuppo-

po-

ponatur habere Scientiam ſufficientem ad Diſpoſitionem ſiue ad Diſpenſationem particularem; tamen, quia Poteſtatem habet, vel magis quia Inferior non habet Poteſtatem niſi ab Ipſo delegatam ſeu quaſi delegatam, & cui derogare poteſt pro libito; propterea Superior, etſi in communi non præſumatur habere Scientiam deſcendentem ad particularia, tamen quoties deſcendit, ſupponitur ſpecialiter de iis circumſtantiis ſpecialem curam habuiſſe; & Scientiam acquiſiviſſe. *Valida* itaque eſt Diſpenſatio ipſius; ſed non ſecundùm Jura, & propterea *Injuſta*, niſi de facto excuſetur per ſufficientem cauſam agendi ſupra Leges.

6. Patet rurſus, quia Diſpenſatio præjudicat Legi, hoc eſt, facit ut actio aliqua non ſit ſecundùm Leges; & ut aliqua Perſona non ſit ſicut cæteræ; quòd ſit ex naturâ rei odioſa; & per conſequens non poſſit fieri ſine causâ, ex purâ liberalitate Summi Magiſtratûs; neque ſit amplianda, ſed ad rigorem Vocis reſtringenda, quia eſt ex naturâ rei in detrimentum reliquorum membrorum Reipublicæ; quibus, etſi non decedat aliquod reale commodum, tamen hoc ipſum quod eſt alium præferri, ſeſe gregem eſſe, odioſum &

proinde incommodum eſt. Unde fit ut Magiſtratus qui Liberalitatem conatur exercere in hujuſmodi, non ſolùm de alienis velit eſſe liberalis, & in privatum commodum convertat Publica, Sed etiam Injuriam faciat; dum quo unum majorem facit, reliquos eo ipſo minores reddit. Reſpiciendum itaque eſt Bonum Commune, & non niſi ex illius intuitu Diſpenſatio facienda eſt.

7. Attamen ſi Magiſtratus exceſſerit quid agendum erit? Eſtne Valida Diſpenſatio? Et non quæritur quando Magiſtratus credit ſe legitimam cauſam habere; tum enim clarum eſt Diſpenſationem eſſe non Validam tantùm ſed etiam Iuſtam; præſumendum quoque eſt, etiam quando evidens eſt eſſe deceptum, quòd bonâ fide procedat; Hoc enim niſi concedatur nulla poteſt eſſe conſtans adminiſtratio Reipublicæ; ſed quando profitetur Magiſtratus ſe ex purâ Libertate & quaſi Dominum Legis diſpenſare *quia vult*. In hoc caſu dicendum eſt validitatem Diſpenſationis obnoxiam eſſe diſtinctioni, ſi enim Validitas accipiatur quaſi negativè, & non ſignificet aliud quàm quòd nemo poſſit vel debeat impedire eum, cui data eſt, illâ uti; ſic Valida eſt Diſpenſatio; Patet enim alióqui ad-

adminiſtrationem Magiſtratûs impediri: Si verò per Validitatem intelligatur talem eſſe ut ſecundùm rectam Rationem is cum quo diſpenſatum eſt eâ poſſit uti, Reſpondetur ſic non eſſe Validam. Quoniam enim jam firmatum eſt Diſpenſationem non ſine legitimâ cauſâ dari poſſe, clarum quoque eſt neque accipi poſſe; &, per conſequens, ſicut iniuſtè egit Magiſtratus diſpenſando, ſic & ſubditus exercendo datam. Quod intelligendum eſt, niſi ſummus Magiſtratus omninò obliget ad uſum, ita ut in ſcandalum obedientiæ tranſiret neglectus; tunc enim omne Iniuſtum euadit Juſtum, ut ſuprà declaratum eſt. Verùm, quod dictum eſt de ſummo Magiſtratu diſpenſante ſine cauſâ, explicandum eſt de ſupremo Magiſtratu qui ſit immediatus Obſequenti: ſi enim alius Magiſtratus intercedat, obſervanda ſunt Jura ipſius ut explicatum eſt.

8. Ex adverſo, Naturale eſt ut Inferior diſpenſet in lege ſuperioris, quia ad ipſum pertinet quod ordinatum eſt in Communi applicare particularibus ſibi concreditis pro eorum capacitate & Neceſſitate. Spectat itaque ad ipſum per ſe loquendo, quando opus eſt, diſpenſare in Lege Superioris quæ Communis eſt & extendens ſeſe ad plures, &

propterea ſubdita erroribus niſi ſit q
propiùs inſpiciat & accommodet ipſa
particularibus. Ex conſequente patet S
periorem Magiſtratum regulariter n
poſſe diſpenſare in Lege Inferioris, etian
illam confirmaverit; quia, ſcilicet, non pe
tinet (per ſe loquendo) ad Superiorem n
ſe quid particularibus ſecundùm circu
ſtantias particulares conveniat. Sed qu
ties obſervatio Legis ab Inferiori latæ i
fert præjudicium Communi Utilitati Su
ditorum Superioris (quod interdum eve
præſertim quando bonum Legis conſiſ
in relatione inter ſubditos inferiorum M
giſtratuum ſub uno communi) tunc per
pertinet Diſpenſatio ad Superiorem, cuj
eſt contemplari Publicas Utilitates q
præferendæ ſunt particularibus; & in h
juſmodi conditionibus poteſt Virtut
diſpenſandi ſibi retinere. Summus aut
Magiſtratus non eſt, cum quo ſit diſpen
bile. Cùm enim non obſervet Leges q
illæ Juſtæ ſunt, ſed quia Ipſe juſtus eſt,
Leges Juſtæ ſint quia ab Ipſo Juſto ſunt
Ipſe videat Legem non eſſe ſibi obſerv
dam, ſeu potiùs, non ſibi faciendum qu
Subditis facere competit ex Prudentiâ a
quaſi nulla Lex foret; &, ſi non videat e
ſecundùm Rationem ut aliter agat qu

S

Subditi, non poteſt facere ut Juſtum ſit per aliquam Poteſtatem quam habet.

9. Similiter, non poteſt ſibi aliquam gratiam facere, quia ad nihil tenetur, neque quicquam ei deeſſe poteſt quod in ipſius ſit poteſtate, ut evidens de ſe eſt. Confirmatio verò Superioris quâ ſtabilitur Lex Inferioris, non tollit poteſtatem Inferiori diſpenſandi in ſuâ Lege, cùm etiam in Superioris lege diſpenſare natus ſit. Sed neque conſenſus internus Diſpenſantis requiritur ad valorem Diſpenſationis, modò Actus Exterior ſit perfectus; cùm Reſpublica non regatur per Inviſibilia ſed per viſibiles actus; & clarum ſit, eum cum quo diſpenſatur, bonâ fide uti Diſpenſatione, & ex authoritate publicè acceptatâ. Vix neceſſarium ſcriptu eſt Diſpenſationem ceſſare per juſtam Revocationem, vel per Renunciationem acceptatam; non autem per Mortem Diſpenſantis, vel per primum actum, ſi abſolutè data ſit. Eſt enim quædam Lex privata; unde non ceſſat per mortem Legem ferentis, ſed benè per Revocationem; maximè ſi conſenſus Diſpenſatarii accedat. Quod autem non ceſſet per unum actum eſt, quia objectum Conceſſionis non erat Unius actûs ex vi Verborum ordinariè ſumptorum. Alíoqui regulariter non

eſt extendenda ſed reſtringenda Diſpenſatio, utpote odioſa.

10. *Privilegium* eſt quædam Diſpenſatio. Videtur autem à *Lege* derivatum quaſi Mandatum Reipublicæ factum de bono Privati ut illud conſervent omnes. Quæ vis etiam in Diſpenſatione ineſt, quatenùs judices eam agnoſcere & tueri tenentur. Solet dici Conceſſio alicujus gratiæ ſpecialis; ſed, hoc ex neceſſitate includit quod materia Privilegii ſit aliquid quod non licet aliis vel agere vel habere; &, per conſequens, eſt Exemptio ab aliquâ Lege quæ prohibet aliis quod Privilegiato licet. Unde mirum eſt quomodò idem Diſpenſationes eſſe odioſas & reſtringendas, Privilegia verò gratioſa ſeu favores, & amplianda doceant. Sed manifeſtum eſt, ſi Summus Magiſtratus habeat curam Boni Communis, non daturum Privilegia niſi rarò & ex neceſſitate; & pertinere ad Judices ea reſtringere, non ampliare; tamquam odioſa, & impedientia vel imminuentia illam Æqualitatem Civium quæ eſt Finis Regiminis & Legum. Quando tamen Neceſſitas requirit, Privilegia indigentibus & benè meritis ſunt concedenda.

TRU-

TRUTINATIO
OCTAVA.
DE
Ceſsatione Legis.

I. TAndem opportunum eſt de Legum Ceſſatione loqui. Neque enim vel Epiikia vel Diſpenſatio vel Privilegium Legem tollit: Hæc enim Univerſalis eſt & non tollitur niſi cum Rempublicam deſivit obligare; Illa autem ſunt Particularia; &, ſi cum ratione impertita ſunt, relinquunt Multitudinem ſubditam Legi. Si enim Diſpenſationes ſint adeò frequentes ut major pars exempta ſit, vel certè multò major, non remanet ubi natura Legis exerceatur; &, per conſequens, ſublata eſt Lex per ſubmotionem Populi; & Mandatum Diſpenſationis accipit naturam Legis, quomodocúnque intelligatur ex modo adminiſtrationis. Neque enim Bonum Publicum eſt Lex, ſi non ſeſe extendat ad pleroſque. Et, ex adverſo, injuria eſt pauciores ſine inſtâ cauſâ aggrauare; cùm plerique ad quos ratio Legis dicitur maneant liberi

Lex

Lex ergo, ut breviter dicamus, non tollitur niſi per *Abrogationem.* Abrogatio autem eſt Voluntas Reipublicæ in oppoſitum. Hæc autem contingit dupliciter; Scilicet, vel per Naturam quæ præcedit vim contrahendi, vel per vim ipſam Contractûs explicatam. Natura operatur quando Lex fit impoſſibilis; ut, ſi Turca vel alius Tyrannus devictæ Reipublicæ ſuas leges imponat. Similiter, ſi per incendium vel terræ-motum aut ſimilem caſum deſtruatur Civitas, & fiat impoſſibile & inconveniens Leges obſervare, palàm eſt ceſſare Leges quæ priùs vim habebant. Per Contractum quoque duobus modis deſinit Lex, Summo Magiſtratu eam revocante, vel poſitivè per oppoſitam legem; vel negativè, permittendo ipſam in deſuetudinem abire, ſive per puram omiſſionem ſive per oppoſitam conſuetudinem. Quando Natura agit cedendum eſt Naturæ, adverſus quam placita humana nullam potentiam habent. Unde ridiculum foret prætendere Jus aliquod, quod dominantibus Britonibus in Angliâ firmum erat, iterùm ex vi antiquæ Inſtitutionis firmum fore ſi quando rurſus in Angliam dominentur. Simile eſt de quibuſvis per integræ Reipublicæ converſionem ſtabilem antiquatis. Rursùs, ſi quando Lex aliqua per poſte-

poſteriorem, ſive vocibus ſive quoad Senſum revocata eſt, palàm eſt ceſsâſſe priorem.

2. Quidam credunt ceſſante Causâ vel Motivo Legis eo ipſo ceſſare Legem. Sed, non diſtinguunt inter hæc duo; ceſſare actu Legem, &, Juſtum eſſe ut ceſſet Lex. Verum enim eſt quod Magiſtratus tum Legem deberet ſaltem negativè revocare, hoc eſt, executionem ipſius non urgere; ſed falſum eſt eo ipſo ceſſare Legem. Sicut enim Cauſa Efficiens quæ cæpit moveri ab Intellectu agente propter finem non ſtatim ceſſat ceſſante Intellectu, ſed aliquantulum ex vi ipſius concitationis & Cauſæ Efficientis movetur; Sic etiam in Legibus accidit ut Princeps, & multò magis Magiſtratus inferiores ſuo motu proſequantur executionem Legis, etſi Summus Magiſtratus qui Finem Legis contemplatur Legem non urgeat; modò eam non revocet. Dum autem Inferiores Magiſtratus urgent Legem, illa obligativa eſt, quia manet *principium* quidditatis Legis ſeu condens Legem, etſi non maneat ipſum *Quare* Legis: Hi enim inferiores Magiſtratus agunt ex vi motionis quam à Supremo acceperunt ſibi impreſſum; quæ manet donec Supremus vel eam revocet, vel permittat per Inferiorum rela-

relaxationem interire. Dicendum itaque eſt non deſinere Legem niſi per actualem Deſuetudinem, ſi non revocetur. Ex quo conſtat Leges vim ſuam amittere, ubi non eſt aliqua Immediata Poteſtas quæ eorum Executioni inuigilet, niſi per voluntariam conſuetudinem Populi conſerventur: & tunc Deſuetudinem eſſe perfectam quando immediati Magiſtratus plerùmque non invigilant neque æſtimant ad ſuam curam pertinere an Lex obſervetur, necne; &, ſi quis hoc curet, habeatur etiam ab hominibus probis eſſe inquietus & Moleſtus.

3. Verùm, plerumque non perit vis Legis per puram Deſuetudinem, ſed per contrariam Conſuetudinem. Videndum proinde eſt quid requiratur ad Conſuetudinem. Et in primis, Efficiens Conſuetudinis debet eſſe ejuſdem Naturæ cum Efficiente Legis, quandoquidem Conſuetudo vim Legis habet. Lex autem explicata eſt eſſe Conſenſus Populi ſeu Multitudinis ſub Uno Capite cui obedientiam exhibet. Quare Efficiens Conſuetudinis debet eſſe ejuſmodi Multitudo quæ Populi rationem habeat; hoc eſt, quæ ſoleat determinare actiones ſuas per Commune Conſilium & Con-

ſenſum

ſenſum Publicum; Neque poterit pars aliqua Populi facere Conſuetudinem niſi in iis actionibus quæ non requirunt Conſenſum aliorum. Propterea, apud Noſtrates, ſingulæ Paræciæ poſſunt Conſuetudines habere in iis quæ non excedunt Ordinationem Miniſtrorum Paræciæ (ut vocant.) Et ſupra Paræcias, ſimiliter, illæ Reipublicæ majores partes quæ communi Conſilio actiones quaſdam exercent, in ſimilibus habent vim introducendi Conſuetudinem Obligativam. Tunc autem introducta eſt Conſuetudo, quando ſi quis non exercet actionem conſuetam, cæteri eum tanquam Delinquentum intuentur & averſantur.

4. Non autem opus eſt ut Conſueſcentes intendant ſeſe obligare per actus quos exercent; hoc enim eſt proprium conſentientium in Legem, ſeu Communi Statuto aliquid paciſcentium. Conſuetudo verò è contrà quodammodò obrepit agentibus naturaliter & non prævidentibus ſequelam, ſed ex præſenti duntax at opportunitate ad actum prorumpentibus. Sed neque Tempus aliquod vel Multitudo Actuum præſcribi poteſt quibus in

inducatur Conſuetudo vel aboleatur Lex: Sed ſicut videmus herbas creviſſe vel Solem in Horologio proceſſiſſe abſq; eo quòd motum utriuſuis diſcernamus; Sic Conſuetudinem eſſe, vel Legem eſſe abrogatam, in Effectu percipimus iis notis quas ſuprà inſinuavimus, abſque eo quòd durante actione quàm propè vel longè abſit dimetiri poſſimus. Sunt enim aliquæ Leges quæ non uſu veniunt niſi poſt intervallum plurium Annorum. Exempli causâ, quæ ordinantur in Peſte vel Fame, quæ in Bello Civili, vel cùm Rex in Perſonâ propriâ ad Bellum proficiſcitur, & ſimilibus. Alia repetuntur ſingulis annis, vel ſemeſtribus, Alia quotidiè. Quænam amabò Definitio Temporis his omnibus congruit? Simile eſt de Actibus; Quidam enim Actus maiori exemplo & conſequentiâ imitantium fiunt, alii minori: Quidam interrumpuntur per executionem Legis eos interpolantem ſæpiùs vel minùs; quidam ſunt continuati, & ſic quaſi per pugnam introducitur Conſuetudo contra Legem. Quis ſperet in hujuſmodi varietate regulam figere, ut talis numerus Actuum Legem irritet?

5. Objicies in Jure expreſſum alibi eum qui bis térve in blaſphemiam eruperit cenſendum *conſueviſſe*. Reſpondetur, *Signum*

da-

datum, non *Regulam*. Qui, verbi gratiâ, modico tempore toties incidit in crimen cenſendum eſſe ex Conſuetudine hoc facere, ſeu credibile eſſe quòd ex conſuetudine & habitu peccet, ſed non quòd tres Blaſphemiæ facerent Habitum. Adde, de Habitu ſingularis perſonæ, non de Conſuetudine Communitatis eſſe ſermonem.

6. Deduci poteſt Conſuetudinem, ſi tollat Pœnam, tollere & Obligationem, cùm Lex (ex ſuprà dictis) nulla ſit ſine reatu Pœnæ. Rurſus, quandoquidem actus quibus tollitur Invaliditas à Lege introducta, ſint Actus oppoſiti Legi, patet non poſſe Conſuetudinem tollere Invaliditatem actuum abſque eo quod tollat etiam Illegalitatem Actûs. Rurſum, infertur duas tertias partes Communitatis non ſatisfacere Conſuetudini introducendæ in totam, quia non propterea reſpicitur Tertia Pars tanquam Delinquens, & Conſuetudines non Conſilio ſed Uſu introducuntur, ut dictum eſt. Rurſus, quòd per Legem derogatum ſit Conſuetudini Futuræ non impedit validitatem Conſuetudinis; quia Conſuetudo eſt quædam mutatio præcedentis Voluntatis; quare, ſicut poſterior Lex non poteſt impediri per priorem, ſic neque Conſuetudo. Rurſus, Peregrini non poſſunt inducere Con-

Conſuetudinem, cùm non ſint ipſe Populus; ſed neque legitimè Conſuetudines ſuas ſervant, niſi ſint quaſi Populus ſeparatus. Rurſus, Lex communiter lata non derogat privatæ Conſuetudini, cùm non meminerit ipſius; quia, ut dictum eſt, Leges Univerſales natæ ſunt diſpenſari per Magiſtratus Inferiores, qualis cenſetur Conſuetudo particularis. Sed Lex particularis abrogat Univerſalem Conſuetudinem infra ſuum diſtrictum. Evidens tandem eſt derogantes Legi, ante firmatam Conſuetudinem, eſſe reos Inobedientiæ: Sicut & Conſuetudinem non eſſe Preſcriptionem; quæ, quando Naturalis eſt non ſignificat niſi occupationem Rei quæ facta eſt Communis per deſertionem vel negligentiam Domini. Ex his non eſt difficile ad Extinctionem Diſpenſationum & Prviilegiorum arguere; quæ cùm debilem rationem Legis obtineant, ab iiſdem cauſis à quibus Leges diſſolvi natæ ſunt, & quidem debiliùs agentibus; ſicut ex adverſo fortiùs agere debent cauſæ Legiſlatoriæ ut ipſa introducant; cùm ſecundariò duntaxat Bono Communi ſerviant, & primariò eidem adverſandi ſpeciem gerant.

IN-

INSTITUTIONUM ETHICARUM, SIVE STATERÆ MORUM,

EXAMEN NONUM, DE Fide Supernaturali.

TRUTINATIO PRIMA.

AN *Fides poſſit eſſe tantùm probabilis?*

1. HActenùs Deum ut humanarum actionum Authorem, per modum Cauſæ Finalis duntaxat intuiti ſumus; proximè eundem per modum Efficientis contem-

 plari

plari oportebit. Efficiens verò quæ per Motum operatur, ad Phyſicum ſpectat; ea verò quæ emanativè & inſtantaneè, ad Metaphyſicum. Inde & Phyſicus Deum & Attributa Ipſius ex eo quòd ſit movens Motum venatur; Metaphyſicus verò, ex eo quòd ſit Ens ſubſiſtens, & Exiſtentiam, &quæ deIllo dicuntur manifeſtat, Efficientem verò Moralem vocamus *Mandantem*, Suadentem & Inſtruentem; quibus omnibus regulariter commune eſt eſſe *Alloquentem*. Accipit proinde Moralis à Phyſico & Metaphyſico, quòd Deus ſit; Ipſius autem eſt oſtendere quòd ſit *Loquens*. Quod fortaſſis per effecta probari valeret, ſi quis Mores Sanctorum adeò calleret, ut eos ab imperfectione humanâ, citra *Locutionem Formalem Dei*, proficiſci non poſſe evidenter agnoſceret. Quod, ut nequaquam dubitem ſub humanæ ſcientiæ limitibus comprehendi, ſic Ipſe non facile ad tam arduam laudem aſpirem.

2. Relictum eſt, quòd quoniam Divinus ad nos Sermo generalis Hominum Actionis Principium eſt, quod ſi lapſet, tota Chriſtiana Vita & Diſciplina fluctuabit, per Authoritatem nobis conſtet. Illam verò neceſſe eſt vel eſſe immediatè audientium Voces à Deo fluentes, vel eorum qui ab

ab Audientibus hanc notitiam hauſerunt. Prioris modi Exempla in Patriarchis, Populo toto Iſraëlitico, & tandem in Apoſtolis, admiranda ſunt. Et Populo quidem Iſraëlitico & Apoſtolis per adeò ingentia prodigia implantata eſt hæc Veritas, quòd Deus illos allocutus ſit, ut nullum planè locum ambigendi vacuum reliquerint. Quid in Patriarchis & Prophetis egerit Deus, ut Adam, Moſes, Abraham, Samuel, deinde & Iſaias & cæteri Prophetæ non erraverint duntaxat ſed neque errare potuerint, difficilioris eſt inquiſitionis. Sed, ſi Actionis Humanæ Leges excutiamus, comperiemus etſi ſinguli Homines nati ſint & falli poſſe & fallere, tamen eſſe quaſdam circumſtantias in quibus Prudentia ipſa evidenter procedit, & collectis multis circumſtantiis nata eſt evidenter colligere eſſe verum quod pronunciat. Phyſicum enim Principium eſt neminem gratis eſſe malum; Phyſicum Principium eſt, Habitum facere delectationem, inclinare ad Actum, reddere Voluntatem conſtantem in Bono, Ex hujusmodi pluribus conditiobus ſimul concurrentibus, nata eſt evidenter concludere Hominem quempiam particularem non eſſe mentitum, vel ex

pleviſſe Officium Boni Viri in ſpeciali al
quâ actione. Quod ſi verùm ſit, quant
facilius Deo eſt Patriarchis & Prophet
præparare Revelationum articulos tal
ut nequeant cum ratione dubitare quò
Deus in ore ipſorum ſermones ferat.

3. Quoties itaque evidens eſt homi
Deum aliquid eſſe locutum, Virtus qu
illi dicto ex Authoritatis Divinæ vi cred
tur dicitur *Fides*. Sed, quia plerumque cr
dunt homines Deum dixiſſe mediante A
thoritate internunciorum, de his quærer
dum an Teſtimonium illorum poſſit Ev
dentiam cauſare *quòd Deus dixerit*, an co
ſtituenda ad credendum quòd Deus dixeri
Fides deterioris notæ, cujus vis duntax
probabilis ſit, & non certa. Atat, quod re
noſtram ſpectat qui agimus de moribus
actionibus quibus Humanum Genus ad Æ
ternam Beatitudinem collimat, ſi qua F
des imbecilla eſt & ſolâ veriſimilitudi
ſtabilita à præſenti diſcurſu eliminan
eſt. Cùm enim omnium Divinorum O
perum maximum & præcipuum ſit h
manæ ſtirpis Salus, adeò ut ipſa Inca
natio Divinitatis confertis Sanctorum v
tis ad eam inſtituta promulgetur; N
hil ambigendum quin fortiſſimis cau
& nexibus ab Æternâ Providentiâ pe
de

deat, quibuſque æquales alias Natura non poſſit oſtentare. Nihil autem Intellectum aſſenſui devincit præter Evidentiam; nulla itaque eſt firmitas credendi ſi deſit *Evidentia*, per quam tota moles Chriſtianæ Fabricæ ſubſiſtat. Unde & vocatur *ſubſtantia rerum ſperandarum*. Si itaque nulla ſit Evidentia, nulla erit Firmitas ipſius Baſis & Fundamenti Vitæ Chriſtianæ.

4. Quòd autem præter Evidentiam nihil ſit quod conſtringat humanum Intellectum, palàm eſt ex neceſſariâ Syllogiſmorum formâ & communibus illorum Principiis. *Dici de omni* & *Dici de nullo*; in quibus, ſeu in Unitate horum Dictorum cum particularibus tota moles actionis Intellectivæ verſatur. Similiter Propoſitiones per-ſe-notæ, quæ ſunt omnis Certitudinis & ſcientiarum Cardines, quam vim habent præter ſuam Evidentiam? ſola itaque Evidentia figit & perpellit Intellectum; abſque Syllogiſmo enim vel Formali vel virtuali nihil agit Homo, ut Homo. Cùm itaque ad Actum Fidei concurrant Duæ propoſitiones, neutra illarum abſque Evidentiâ ſuſcipienda eſt, vel vacillabit Fides. Et hoc quidem Evidens eſt; Sed fac eſſe alium modum captivandi Intellectum,

quàm per Evidentiam;nonne eo ipſo appa-
ret Intellectum non eſſe Unam Potentiam, cùm duo per-ſe-Activa habeat, & ſingula Activa ex neceſſitate propriam rationem habeant, alioqui non foret Activū ſpeciale ſi ageret ſecundùm rationem communem alteri. Si itaque aliud poſſit movere Intellectum ſicut convenit illi moveri præter Evidentiam,duo ſunt Intellectus Humani; unus qui per Evidentiam moveatur, alius qui ab aliâ Virtute motrice.

5. Sed reſpiciamus *Incertitudinem*,quid ſignificet. Profectò, ſi *Certum* & *Cretum* non niſi Metabaſi literæ à ſe invicem diſſident, Incertum ſignificabit quod non eſt Decretum: At quod non eſt Decretum non pertinet ad ſententiam Mentis, Incertum itaque ſonat quod non eſt in Mente ſeu non Iudicatum ab ipsâ. Tantum itaque valet Incertum, quantum non eſſe in Intellectu; ſaltem Iudicante, ſed tantùm Apprehendente. Nihil itaque in Incerto fundatum pertinet ad ſententiam Hominis. Dicamus enim, ſi quiſpiam Certus ſit, quòd (quantùm ad ipſum ſpectat & cognitionem ipſius) res poſſit ſe alio modo habere quàm quomodò proponitur, poterítne cum ratione affirmare ſic ſeſe habere? Aut non mentietur & contra mentem

tem ſuam ibit? Irrationabilis proinde eſt ejuſmodi aſſertio; hoc eſt, Turpis & homine indigna, & æquivalens mendacio. Modicè enim differunt ſi affirmas eſſe quod neſcis, & ſi affirmas eſſe quod ſcis non eſſe: Utrumque enim Animi iniqui eſt, & paria detrimenta commerciis humanis invehit.

6. Sed quoniam ſolet dici licere Iudicare & Aſſentiri ex motivis probabilibus; hoc peto, ſi Motiva ſint duntaxat probabilia, nonne relinquunt formidinem; &, ſi formidinem, etiam conſcientiam quòd Iudicans neſciat eſſe Verum? Semper itaque manet Mendacii & Turpitudinis macula. Inſpiciamus ipſam Probabilitatem quid ſignificet; ſcilicet, vel Putantium copiam vel Argumentorum: Si Putantium, & *putare* Inſipientis & Vitioſi ſit, vis argumenti eſt, Multi ſunt ſtulti ergo ſequendi ſunt; adverſus celebrem illam ſententiam, *Sapiendum eſſe cum paucis*; & adverſus Magiſtrum illum qui Diſcipulum caſtigavit quia Vulgi applauſum excitaverat, ajens, *Si rectè feciſſes hi te non laudaviſſent.* Si Multitudinem Argumentorum revereris, cogita eſſe Motiva quæ multos traxerunt, quare non poſſe majores vires

obtinere quàm habeat conſenſus multorum de quibus locuti ſumus. Probabilitas itaque inſufficiens eſt ad eliciendum Aſſenſum. Computa, ſi libet, viginti argumenta; ſi decem ſoluta audiviſſes, nunquid poſſes moveri plus quàm à decem? ſi itaque illa decem ſoluta perciperes, jam à nullo movereris. Sed nôſti, vel æſtimas omnia poſſe ſolui; poſtquàm non niſi Probabilia agnoſcis; Nôſti itaque non eſſe cur à quolibet vel omnibus movearis: E diverſo, tibi debere eſſe quaſi ſoluta forent, cum credas poſſe ſolui; & ineſſe proinde in illis vim cur te non moveant, ſeu ut cohibeas aſſenſum. Neque intereſt an plures pauciorésne ſint rationes, faciliorésne ſolutu an difficiliores, modò tu credas ſolui poſſe, vel certè neſcias quòd non poſſint: Semper enim adeſt cur iis non credas.

7. Quid quòd aliud Probabilius habetur & quaſi communis ſententia in unâ Provinciâ, aliud in aliâ, ut in Hiſpaniâ expertus ſum; Quid quòd etiam ſua Fata patiuntur Sententiæ, adeò ut Stellarum virtuti aliqui Philoſophi imputaverint quòd tales vel tales Sententiæ in Scholis regnent. Memini, dum primis Ele-

Elementis Philoſophiæ imbuerer, audiviſſe ſenem quendam (qui fortaſſe quadraginta amplius annis à ſcholâ deſueverat) demirantem opiniones quas docebamur, & affirmantem ſe Iuvene nihil horum auditum quæ nos garriebamus. Revixit à paucis annis antiquata à Ptolomæo & Ariſtotele de motu Terræ ſententia, Copernico ſuſcitante; iterùm decubuit à Peripateticis irriſa; hodiè longè potiorem Aſtronomiæ ditionem occupat. Qualis itaque erit Fidei Virtus, ſi à probabili ſententiâ pro uno ſuorum Principiorum pendere debeat? Quis poteſt impedire ut non ſit juſta dubitandi, hoc eſt, non-credendi ratio? Ubi enim cum Ratione dubitatur, alienum à Ratione eſt aſſenſum (præſertim firmum, qualẽ oportet eſſe Fidei) præſtare.

8. Meminerimus Beatitatem integræ vitæ noſtræ ſcopum & terminum eſſe, ad quem totis viribus & unâ omnium actionum ſerie decurrendum eſt. Neceſſe eſt itaque Fidem quæ ſit tantæ viæ Dux eandem toto ſæculo eſſe. Quid cogito ſæculum? Per infinita ſæcula eandem oportet eſſe, poſtquàm Una tantum eſt omnium Chriſtianorũ & præterita & futura Fides. Prorſus itaq; ejuſmodi debet eſſe ut nullo modo mutabilis eſſe valeat, quod citra Evidentiã in In-

tellectu non poteſt contingere. Brevi quidem eſt Unius Hominis vita, & numeratis ſubjecta caſibus; ſed, ſi cunctorum eodem ſeculo degentium, fata ſpectentur, adeò immenſa apparebit circumſtantiarum varietas, ut aliquibus conviventium Improbabilitas ſubnaſci valeat illius ſententiæ quæ alteri firmiſſima appareat. Credat quiſquam, vel certè neſciat quid reſpondeat, dicenti aliquam Probabilitatem tanta meſſe poſſe ut nunquam convelli poſſit. Pete, quo Capite? Ex Intrinſecis? Sed unde tanta firmitas argumento de quo confeſſum ſit ſolubile eſſe? Sicut itaque Philoſophi, qui ex capacitate plurium formarum in materiâ probant Mortalitatem corporum, irriden ſimul componentes Immortalitatem cùm materiâ vagâ; ſic non minùs irridendi erunt qui dicent eſſe in argumento ſolubilitatem, & ſolutionem non poſſe contingere ut ſit. Contingentia ſiquidem circa Particularia verſatur, ad Univerſalia non pertingit. Quod ſemper eſt non poteſt non eſſe, neque habet in ſe radicem Corruptionis.

9. Verùm ſpecialiùs agamus. Sunt Fidei Principia duo; Quòd Deus ſit *Verax* ſeu ipſa *Veritas*, & *quòd ipſe locutus* ſit ea

qua

quæ Fidei proponuntur. Peto ſi ſolùm Probabile eſſet quòd Deus Verax foret, Fides ſtabilis eſſe poſſet? Nemo certè ſanus dixerit. Unde enim Fidei aliqua Certitudo conciliaretur? Si itaque lapſet reliqua Propoſitio, quæ ſi non ſit æque Formalis non tamen minus neceſſaria eſt, unde hauriet ſuam Conſtantiam Fides? Certa eſt, reſpondent, ſed non Evidens. Unde itaque Certa? Et explicemus deductiùs. Hæc propoſitio, Eccleſia docet Deum eſſe Trinum Perſonis, unde Certa eſt? Unde infallibilis eſt doctrina quia Eccleſia docet? Num quia Deus dixit Eccleſiam non erraturam? Sed hoc ipſum quo præter Eccleſiam Interprete accepimus? Si autem Eccleſia de ſe teſtata eſt, illud Teſtimonium vel per ſe notum eſt vel ab alio firmitatem accipit: Hoc non citatur, illud evidentiſſimè falſum eſt. Neq; itaque Firmitatem habet à Deo per Eccleſiam loquente, neq; ab ipsâ Eccleſiâ de ſuo hæc promente. Hic non arguo Circulum (nihil enim eſt Medium per quod redeatur ad idem) ſed manifeſtam Stupiditatem, ut quis ſimul neget in Eccleſiâ vim movendi Intellectum quæ conſiſtit in Evidentiâ, & ſimul afferat ſolo ſuo dicto movere & ſtringere Intellectum. Adjiciamus; Ut me obliget ex vi Revelationis, certum debet

eſſe ex vi Revelationis quòd Eccleſia dixerit & quidem *mihi* dixerit; Ego enim non credo quia Eccleſia dixerit iis qui ſunt in Americâ, ſed quia Mihi locuta eſt: Quod autem Mihi locuta ſit nullibi Revelatum eſt; Non itaq; Fidei meæ obiectum poteſt eſſe. *Deũ eſſe Trinum quia Eccleſia mihi dixit*, vel alicui alii particulari: Aliunde itaque Certitudo quærenda eſt, atq; adeò ex Evidentiâ, poſtquam Certitudinem ſine Evidentiâ nemo ſtatuit alibi quàm in Fide.

10. His adde, quod ſi ſolâ Probabilitate & non Evidentiâ conſiſtat Fides, in quo potior eſt Fides Catholica ſomniis Hæreticorum? Nos Motiva Credibilitatis, hoc eſt Diſcurſus Rationis jactamus, illi Sacræ Scripturæ Interpretationem. Nos noſtra tantùm eſſe Probabilia fatemur; neque eorum poſſumus dicere omni Probabilitate carere, poſtquam multis perſuadent. Nos Sanctorum Authoritatem, ſed Fallibilem, præ nobis ferimus; illi Unctionem Spiritûs Sancti, ſed inviſibilem, venditant. Nos Providentiam Divinam Eccleſiæ ſuæ nunquam abſentem credimus, & in eâ confidimus; ſed ſimul eam non cernimus neque aliter quàm Probabili Iudicio hoc ſuſtinemus; Illis ſua, quantumcúnque levia, Probabilia tamen ſunt. Ecce in quam inanitatẽ

red-

redacta eſt Fides Chriſtiana, ſpes peregrinantium in hoc ſæculo, ſubſiſtentia ſalutis æternæ toti Adami Generi præparata!

11. Adeamus modò Heterodoxum qui commodet nobis aurem, cæteróqui Philoſophum vel Prudentiâ mundanâ gravem: Proponamus ipſi Motiva Credibilitatis noſtræ. Si fortè converſus interrogaverit nos, Súntne Certa quæ doces? & reſpondeamus, eſſe; & ipſe urgeat, Poteſtíſne mihi Certa reddere: Quid dicemus? Poſſe nos, cùm credamus ipſi Probabilia duntaxat eſſe? vel non eſſe Certa? Quod ſi retulerimus, Quid (inquiet,) vis ut Amicos, Parentes, Fortunas, præſentia Bona pro quibus acquirendis Ipſe & Parentes tot labores & pericula ſubivimus, pro neſcio quo Incerto & Inviſibili Bono abjiciam? Sin violatâ Conſcientiâ reſponderis eſſe Certa; Cedò, inquiet, Argumentum Inevitabile quo hoc ſciam: Si dixeris, nullum unum eſſe Demonſtrativum, ſed cumulo convincere: Referet, ſi unumquodq; Falſum eſt, impoſſibile fore omnia eſſe Vera; onerabis me fortaſſe & immobilem confusâ rerum ſpecie reddes; ſed procul abeſt ut me ſereno in ſtatu ſic conſtituas: Cùm ſingulis reſponſum fuerit, quid valebit multitudo? Sin auſus fueris unum aliquod offerre,

periclitaberis confundi, & quam profe
doctrinam ſimul rejectam videre.

12. Deinde, quâ audacia, quâ fron
alios Hæreticos dicemus, ſi nihil ultra Pr
babilitatem adverſus illos urgeamus. N
eſt Hæreticum quod non eſt Erroneum
Neque Falſum dici, ſeu quoad nos eſſe p
teſt, quod non poſſumus convincere n
eſſe ſicut dicitur. Nonne quotidie vid
mus Nundinas Francofurtanas Libris r
fertas pro diverſis Sectis magno ſtudio d
fendendis ſcriptas? Inquire de Authoribu
invenies Viros Prudentes, multæ Lecti
nis, inſignis inter ſuos Famæ, laborib
non parcentes: Quis æſtimare poterit è
libus Apothecis nihil Probabilis educi? S
cram Scripturam idoneam eſſe Formand
Vitæ Chriſtianæ nemo ambigit: Hanc ſy
labatim ab iis tritam longo Annorum lab
re comperies: Quis credat nihil Probabi
ab iis proferri? Saltem Mors, Exterm
nium, graves Pœnæ, quâ Prudentiâ, q
Charitate infliguntur? Reſpiciatur h
Quæſtio pro quâ ſæcularem pugnam p
gnamus Angli de Iuriſdictione Papali
Regnis Chriſtianis: Totiéſne fundend
erat Sanguis? tot bonorum ſpoliation
ſubeundæ? Tot Carceres & Vincula to
randa? Obſervandæ fores? Trepidandum

ſonum Equeſtris inceſſûs? ad pulſationem Ianuæ? Vigilandæ noctes? Decurrendæ pluviæ & nives? Ferenda omnia illa Incommoda in quibus tot annos exegimus Paſtores & Greges, eò quòd aliquantò probabilior ſit altera Litis pars, quamdiu reliqua permittitur eſſe probabilis?

TRUTINATIO

SECUNDA.

AN

Fides ſit obſcura?

1. HIs nec quicquam moventibus, ſunt qui Fidem nullam eſſe ſibi perſuadeant, ſi hæc illius Baſis, *Quòd Deus credenda enuntiaverit*, indubitata ſit ab Evidentiæ virtute. Clamant enim Fidem, Apoſtolo nobis Auctore, eſſe *Argumentum non apparentium*; Sed, ſi utrumque Antecedentium ex quibus ſequitur Veritas perſuadenda ſit Evidens, non poſſe eſſe Obſcuram ſeu non-apparentem ipſam Concluſionem. Non itaque Fides erit hujusmodi Cognitio.

tio. Sed evenit illis quod acriter intuentibus exigua; nempe, quòd unum ſic videant ut circumſtantium nihil: Dum enim toti incumbunt illi particulæ, *non apparentium*, negligunt priorem, nempe quod ſit *Argumentum*. Significat ſiquidem tota Apoſtoli Definitio ſimul ſumpta, Fidem eſſe Evidentiam aliunde & deforis advenientem iis veritatibus quæ ex ſeſe Evidentiam non habent. Non itaque negat Evidentiam creditis Apoſtolus, ſed docet Unde & Qualis ſit; quòd non ex actione & meritis ipſius Objecti, ſed ex alienis; nempe ab Intellectu aliquo loquente. Quis enim cum audit *Argumentum* & *argui*, non videt quod hoc ſignificet, operari circa Intellectum, ipſum Convincere, ipſum ad Actum ſuum, hoc eſt ad *Videndum* cogere & trahere? Evidentiam itaque & Lucem ſignificat Redargutio. Et univerſaliter Sancti pronunciant Fidem eſſe Lumen quoddam Intellectuale; & Chriſtus ſemetipſum, & illos quos ad Fidem ferendam mittebat, *Lucem Mundi*, eſſe docuit.

2. Ad vim itaque Diſcursûs dicimus, hoc malè aſſumptum, non poſſe veritatem quæ ex claris & viſis præacceptis deducitur eſſe obſcuram. Si, enim objectum harum

rum Præmiſſarum non ſit aliquid Objecti Concluſionis, ex viſione Præmiſſarum non poteſt inferri quòd quicquam Objecti videatur. *Videtur* enim, non quod quoquo modo Cognoſcitur, ſed quod ipſum ſeſe offert Cognitioni; ſicut patet in ſenſu Corporeo, Objectum ex ſeſe emittere vim quandam quâ feriantur ſenſus. Neq; intereſt, ſi quis reponat hoc in Fide contingere; verbi gratiâ, cùm ex Indiâ regreſſo credimus narranti quæ illic geſta ſint vel naſcantur, hujusmodi credita ſuis viribus egerunt in ſenſus narrantis, & per eos in Intellectum, cujus Effectus eſt Narratio ipſius: Ipſa itaque Narratio, & Fides qui in nobis generatur ex Narratione, Effecta ſunt ipſarum Veritatum in ſeſe exiſtentium; Demonſtratio itaque ab Effectis eſt Fides; & non Obſcura ſed Evidens, niſi veracitas loquentis eſſet dubitata; & propterea non eſt Scientia, quia Veracitas ipſius eſt fallibilis. Unde, cùm Dei Veracitas ſit Infallibilis, ſi Evidens ſit Veracitas Atteſtantis ipſum dixiſſe, totus Diſcurſus erit Demonſtrativus, & Fides quædam Demonſtratio.

3. Reſpondendum eſt, quòd quando de ſignificatione Vocum eſt quæſtio, non quæritur quid ipſa Res in ſemetipsâ ſit, ſed quid ſit in mente Loquentis & voce utentis,

ſeu

ſeu quid Loquens velit dicere. Sic itaq
quando loquimur de Fide Humanâ, non h
bemus reſpicere quomodo Fides Huma
in ſemetipsâ naſcatur; ſed quomodo
quouſque appareat naſci loquenti de F
de: Ipſe enim procul omni dubio non i
tendit per vocem hanc ſignificare plu
quam cogitat quando eâ utitur. Si quis it
que qui audit peregrè redeuntem mira na
rare, ſecum cogitaret, *Niſi iſte vidiſſet, h*
non narraret, & ſic acciperet Narratione
ipſius tanquam Effectum quendam reru
viſarum, in ejuſmodi acuto Viro Fides
vaderet ex hâc parte argumentum quo
dam à Poſteriori. Sed, quia plerúmque A
ditores non ultrà jaculantur quàm quò
Narrans ſit Fide dignus, & propterea A
ſenſum illi commodant, palàm eſt quicqui
ſit in Re, in illis qui non ulteriùs medit
tione ſuâ progrediuntur quàm ad mente
& authoritatem Loquentis, non ſpecta
relationem aliquam Narrationis ad Obj
ctum, ſed duntaxat ad ipſum narration
Patrem. Unde, qui loquitur de hujusm
di hominibus, & affectione quâ ad verit
tem narratorum ipſi colligati ſunt, non d
cet cognitionem ipſorum eſſe Aſſenſum
Perceptione quòd Narratio ſit Effectus i
ſius Objecti, quòd talem aſſenſum applic

r

ret ad genus demonſtrationis à poſteriori; ſed, merè eſſe aſſenſum pendentem ex Authoritate Loquentis, & per conſequens *Fidem* eſſe.

4. Adde, ſaltem Voluntatem vera loquendi non eſſe Effectum Objecti, quæ tamen eſt pars Veracitatis, & nullam habet relationem ad Objectum. Unde Fides non eſt adæquatè Effectus Objecti. Verùm in hâc Voce ſicut in aliis majorem proprietatem retinet nomen in Theologicis quàm in Naturâ: Fides enim Theologica verè non habet quoad ſe rationem Effectûs. Unde in hoc excedit Humanam; quòd Humana *quoad ſe* ſit effectus Objecti, ſed non *quoad nos*; Theologica autem neque quoad nos neque quoad ſemetipſam. Cognitio enim Divina, cùm ſit Cauſa rerum non Effectus, non oritur ex ipſis rebus; neque veritatem habet quia conformis ſit rebus, ſed magis Res veræ ſunt quia ſunt conformes ipſi.

5. Sed hoc dices eſſe in Scyllam incidere dum vitatur Charybdis. Oſtendimus ſiquidem Fidem Theologicam non eſſe Argumentum ab effectu ad Cauſam; ſed aſſerendo ſimul, eſſe Argumentum à Cauſâ ad Effectum: Si enim Evidens eſt Deum dixiſſe & dictionem Dei eſſe Cauſam re-

rum,

rum, conſequens eſt nos aſſentire rebus quia videmus eas in Cauſâ, nempe in Verbo Divino. Sed ab æquivoco procedit hic Diſcurſus. *Dictio* enim *Divina* alia eſt Interna, quæ eſt rerum Creatrix; alia Externa & temporaria, quæ ſolet dici Revelatio & inter Effectus computatur: & de hâc loquitur illa Præmiſſa Fidei quâ accipimus Verum eſſe quicquid Deus *dixit*, hoc eſt *revelavit*. Hæc autem Revelatio non eſt virtus vel actio Creativa revelatorũ, niſi quando eſt Imperativa; ut illa, *Filius tuus vivit, Hoc eſt Corpus meum*, & hujusmodi: in quã qui conſentiebant, ſi de progreſſione rei à Revelatione cogitabant, poterant Demonſtrationẽ à priori habuiſſe, & propterea non habebant, quia intendebant in voces purè ut Explicativas rei Exiſtentis, non ut Operativas rei ab ipſis Exiſtentis. Vnde Fides illorũ eſt ad Demonſtrationẽ à priori, ſicut Fides Humana ad Demonſtrationem à poſteriori quando Authoritas loquentis eſt Infallibilis; ut diximus in Patriarchis, Apoſtolis & Prophetis olim fuiſſe, & fortè in Sanctis etiam hodiè, quando ex uſu Eccleſiæ eſt ut Deus aliqua revelet in bonum Ejus, vel ſalutem Particulariũ.

6. Annexa eſt huic objectioni alia, quâ meritum Fidei Obſcuritati ejuſdem annexum ſic laudatur, ut, ſi Evidentiam in Fide agno-

ſcamus,

ſcamus, Merito excidamus. Ad hæc, mente revolvendum eſt quod Meritum Fidei in eo conſiſtat, quòd Authoritatem Divinam præferamus Rationi Humanæ ſeu diſcurſibus noſtris. Habet enim hoc Objectum Fidei, ut plerumq; verſetur in iis rebus circa quas (ut ſecundùm rationē ignotas,) ab ipsâ Ratione Difficultates, quaſi ſpinæ ad ſuffocandam ſementem Patrisfamiliâs, ſuboriuntur. Hæ itaq; Difficultates premunt Animam, ut, derelictâ Authoritate Divinâ, ſequamur illas. En Pugnam. Ab his itaq; Fidelis Anima non ſe permittit vinci, ſed quantumcúnq; illorū tumultum oppoſitâ hâc Ægide (*Deus dixit*) contemnit & immotum reddit. En Fidei Meritum. Ecce quomodò, quantumvis ſit Evidens Deum hoc dixiſſe, tamen manet quod vincatur. Quò quidem clariùs dilucet Deum dixiſſe, tantò fortior eſt Fidelis ad pugnam capeſſendam; ſed non propterea pugna deſiſtit, quandoquidem ea inter quæ pugnatur, hinc eſt an Deo fidendum ſit, illinc an rejicienda ſit apparentia Rationis: Nunquam enim poteſt obſiſtere vera Ratio ſeu Veritas dictis Divinis, quo caſu dicta Divina non forent Vera. Unde hæ Propoſitiones, *Etſi Demonſtratio foret in contrarium, credi oporteret & ſimiles*, declarant quidem majoritatem Certitudinis, ſed ſunt Propoſitiones in Mo-

Moralibus inutiles & vitandæ. Non enim vult Deus ut Stulti ſimus & nō aſſentiamur Evidentibus;quod noneſt ſecundùmNaturam operari. Unde,neque aſſueſcendum eſt cum Ratione ſimilibus affectibus qui Rationem deſtruunt, quam Gratia & Virtutes è diverſo confirmant & perficiunt.

7. Rurſus properantibus moram injicit poteſtas Voluntatis, quam tanti faciunt aliqui ut imperium ipſi in Intellectum aſſignent; non quoad Exercitium ſolummodò, ut faciat Intellectum cogitare quæ volenti expediunt; ſed etiam, ut ipſius Judicium, quà voluerit, inflectat. Neque profectò negari poteſt paſſim hoc accidere, ut ex appetitûs impulſu amplexemur ipsâ Mente & Judicio quæ Rationi ſunt adverſa. Sed urgent hujus Sententiæ Præſtites Apoſtoli vocem, *ut captivemus Intellectum noſtrum in obſequium Fidei*,& alios ejuſdem Magiſtri in eandem ſententiam fortiſſimos ſermones. A quibus ut incipiamus, monendum eſt *Captivitatis* vocem in bonum ſenſum capi poſſe, & in malum; quoties enim Captivari aliquem ſuâ ipſius Voluntate dicimus, cùm tamen ex vi Vocis adverſam appetitui & inclinationi noſtræ ſubjectionem ſonet? Ut à Grammaticâ abſtineamus: Nonne in Lege ſcriptum eſt, ſi

Ser-

Servus benè ſibi eſſe apud Dominum exiſtimet, aure ſubulâ perforatâ æternam ſervitutem ſubeat? Eſt itaque Servitus aliqua Voluntaria; & *Captivitas* proinde non ſemper in deteriorem partem inclinanda eſt, ſed aliquando ſubjectionem connaturalem & ſecundùm inclinationem denotat.

8. Ut applicatio oriatur, meminerimus Obſcuritatis quam Objecto Fidei conceſſimus, non obſtante Evidentiâ quòd *Deus dixerit*; ex quâ motuum ab Obſcuritate in Intellectum irruentium ſedationem expectamus. Ex eo itaq; quòd evidens ſit Deum aliquid prolocutum eſſe, pariter Evidens eſt ex Ratione credi oportere; ſeu, ut Apoſtoli vocibus utamur, *rationabile* eſſe ut obſequamur, hoc eſt, ſecundùm Juſſum & inclinationem ipſius Intellectûs eſſe ut credamus. Palam proinde eſt motus qui à probabilibus ſeu apparentibus objectionibus è naturalibus principiis ſuſcitantur, eſſe adverſus ipſam Rationem. His itaque nullatenùs eſt cedendum, ſi fortiſſimæ ipſius Intellectûs inclinationi & imperio obedire velimus. Et ſic *captivatur* Intellectus, quatenùs dubitativus, Intellectui Demonſtratiuo; Intellectus Intellectui, non Intellectus alicui alienæ Poteſtati ſubmmittitur.

Non

Non itaque Voluntati (ut ita loquar) Voluntariæ, ſed Voluntati ab Intellectu prægubernatæ ſubjicitur Intellectus. Nihil proinde Irrationabile committit Intellectus; ſed ſuis fertur viribus,& conformiter ſuæ Naturæ, ut Deum Naturæ Moderatorem decet, gubernatur. Et quis non videt ſubjectionem Intellectûs his ſemitis incedentem longè & nobiliorem & firmiorem eſſe, quàm ſi intelligeretur Irrationalibus voluntarioſæ affectionis vinculis conſtricta? Quæ, quoniam Intellectus natus eſt gubernare Voluntatem, ab Intellectu clarè proſpiciente nata ſunt confringi & comminui.

9. Negare tamen non licet ſæpè Intellectum ad alteram oppoſitarum ſententiarum ab Appetitu inclinari, & quodammodò devinciri: Et non deſunt qui hoc exiſtiment Imperio puro Voluntatis effici: ſed inaniter: Nam, quandocunque vel violentiſſimè hoc agit Voluntas, non amat aut ſequitur incognitum, ſed habet ab Intellectu motum ut hoc ipſum faciat. Recordandum proinde eſt actiones noſtras, non Exteriores tantùm, ſed etiam Interiores, à motu ſpirituum, quem Appetitum inferiorem vocamus, ortum trahere: Cùm enim omnis motus ab ipſis ſit, neque ſine motu Ima-

Imaginationis quicquam cogitare poſſimus, conſequum eſt ictus Phantaſiæ, & per ſequelam Actus Intellectûs, ex his motibus ſpirituum natiuitatem agnoſcere. Palàm quoque eſt quoties cogitantur aliqua quæ ſecundùm Concupiſcentiæ inclinationem ſunt, eadem vehementer cogitari, ipſo naturali motu conferente & cōgerente multitudinem totam ſpirituum & phantaſmatum quæ longo uſu in militiam affectûs & inclinationis naturalis conſpiraverunt. Quia itaque conferta Multitudo ex unâ parte reddit vim adverſæ partis debiliorem, & actio externa ſequitur ex fortitudine impreſſionis factæ in Phantaſiam, clarum eſt actionem exteriorem ſecuturam illam partem pro quâ ſtat Concupiſcentia, niſi aliud impediat. Sed habet vim Anima quâ ex aliis cogitationibus quas exercuit poſſit hunc tumultum Spirituum naturalium partim ſedare, partim repellere. Scilicet, quando vel ex priori uſu vel ex præſenti vehementiâ motûs circa aliud communius principium, nata eſt validè moveri. Tum igitur ſuperat, ex vi altioris principii evidentis, inclinationem & motus Animæ Inferioris circa obiectum aliquod particulare.

10. Patet ex his quomodo Voluntas imperet Intellectui, nempe faciendo eum

vehementiùs verſari circa unam partem litis quàm circa aliam ; Legitimè & ex Ratione, quando ſuperiorum Principiorum cogitatio eſt validior ; infirmè & nequiter, quando conſideratio particularium prævalet attentioni ad Univerſalia ex quibus deberent gubernari. Non itaque crudo juſſu movet Intellectum voluntas, ſed per ipſum Intellectum ſecundùm unum principium agendo ; eundem trahit adverſus aliam partem ipſius Intellectûs, ſeu adverſus Intellectum ut conſiderativum aliorum objectorum. Sic, in Fide, vel per conſiderationem Evidentiæ quòd Deus locutus fuerit, convincit tumultuantem ex Philoſophicis ratiunculis Intellectum ; vel ex iis ratiunculis, quando nimiùm iis intendit, negligit hanc Evidentiam quòd Deus locutus fuerit. Sed ipſa totius Fidei quaſi radix & ſubſtantia eſt, in quo ſita, & quæ ſit hæc Evidentia quòd Deus prolocutus fuerit ; quæ cùm ſeſe extendat ad publicam Fidem & Privatam, de hâc ſatis dictum credatur ſuprà, etſi parciſſimè ; quia magis videtur Prophetiam ſpectare quàm hanc virtutem quæ præ manibus nobis eſt.

TRU-

TRUTINATIO
TERTIA.
AN
Traditio efficiat Fidem Infallibilem.

1. PUblica autem Fides vel in Populo Iudæorum ſpectanda eſt, vel in Chriſtiano. Par quodammodo ratio utriuſque eſt. Nam ortus Fidei populo Hebræorum fuit quando toti Populo congregato ex Montis vertice locutus eſt Deus, & ſuâ voce quaſi Literas Credentiales tradidit Moſi; Populo deprecante colloquium divinum, nè tanto terrore Majeſtatis extingueretur; & ſupplicante, ut per Moſem ipſi mandata ſua diſpenſaret; hoc eſt, ſpondente ſe Moſi crediturum quæ ipſe à Deo accepta doceret, quaſi ipſimet Deo. In Chriſtianâ Republicâ Vicem Moſis ſuſtinuerunt Apoſtoli & Diſcipuli; qui ipſi à Chriſto Legationem ad Univerſum Mundum accipientes, publicas Poteſtatis ſuæ Literas acceperunt, & ſigillo Sancti Spiritûs munitas ſecum tulerunt;

hoc eſt, ingenti vitæ ſanctimoniâ & potentiâ miraculorum; quarum alterâ traherent, alterâ cogerent rebelles Intellectus. Ad his Principiis communi Traditionis alueo, ſive ad unum Populum Hebræorum, ſive ad multitudinem Fidelium, deſcendit Lex Divina; hâc differentiâ, quòd quia Lex Hebræorum majori ex parte Externa foret, & quaſi diſſipata in plurima quorum connexio non apparebat, & propterea ſcripta; Libro uno, nempe Deuteronomio opus erat, quod publicè ſervaretur; & ad quod, cùm variarent Iudicum ſententiæ, ſeu quando lis de Voce ſurgeret, recurri poſſet. Cæteri Libri, ſive Hiſtoriales ſive Doctrinales, ſive Exhortatorii ad meliùs eſſe ipſi Populo (& nobis etiam) conducerent, ad perfectionem, non ad neceſſitatem adhibiti; quantumvis nuſquam dubium foret à Spiritu Sancto profecta eſſe quæ docerent etiam illi. Quoniam verò Chriſtiana Lex ex majori parte Interna foret, quoad ſubſtantiam ſuam articuli ipſius inter ſe & cum ipſo Naturæ inſtinctu colligati; & quod ſequitur, ipſa talis ut cordibus inſcribi & connaturaliùs quàm Libris poſſet, propterea Libri traditi Chriſtianis omnes ad Utilitatem & Commodum Eccleſiæ,

non

non ad exquirendam Legem quæ in cordibus ſcripta eſt ſervirent, etſi ipſa etiam in Libris illis conſervaretur. Neque ſpecialis aliquis Liber, neque ſpecialis aliqua cuſtodia Librorum vel impoſita eſt vel imponi potuit tantæ Gentium Univerſitati quantæ ad EccleſiamCatholicam integrandam concurſura erat. Sic itaque patet & Communitas & Differentia derivationis duarum Legum ad Fideles.

2. Proximè inveſtigandum eſt in quo conſiſtat Evidentia illius Principii Fidei quòd *Deus elocutus ſit credenda* : Neque alibi quærendum quàm in modo quo perveniunt ad nos. Perveniunt autem ad nos per hoc quòd ea hauriamus auribus & moribus à Parentibus & majoribus natu, penes quos eſt naturalis quædam Authoritas docendi, & maximè annunciandi quæ ipſi à ſuis Patribus acceperint. Hi itaque docent Juniores ſe accepiſſe hanc Fidem & hos Mores tanquàm ab Apoſtolis traditos & hæreditate perpetuâ in nos uſque devolutos. Supereſt itaque videre num in hoc titulo ſit Evidentia. Et, ſi de unico ſæculo vel potiùs de ſingulis paribus ſæculorum, evidens eſt ex ipſâ intexturâ prioris cum poſteriore non poſſe latere poſterius quæ Fides & qui

ſacrorum mos & modus fuerit in Priori; atque adeò ſi Prius profeſſum ſit ſe à Majoribus ſuis hæreditariè traxiſſe, clarum eſt tria ſæcula quaſi uno viſu & aſpectu comprehendi: Immò quatuor, ſi conſtet Tritavos, ſuos Majores eodem conſtanti tenore in teſtimonium acceptæ ab Apoſtolis doctrinæ vocare; quos neque ipſi citare poſſint quin alia quatuor ſæcula ſuo ipſi aſpectu comprehenderint. Vides quàm brevis ſit Evidentia octingentorum annorum. Quis autem dubitet neque octavi à nobis ſeculi homines hæc potuiſſe enunciare hæredibus ſuis ſi oppoſitum audiviſſet in tra quatuor ipſis contigua ſæcula: Et jam totum Chriſtianitatis Orbem implevimus. Tria enim priora ſæcula quodammodo ſub modio Chriſtianam Lucem tectam habebant. Sed quoniam maximè veneranda ſemper habita ſunt, neque potuerit Sæculum quartum jactare ſeſe continuare ſententiam publicam Eccleſiæ niſi continuarent, neque ignorare Patrum ſuorum doctrinam, cùm ab iis edocti fuerint, eâdem ſcalâ uſque ad Apoſtolos aſcenditur; & evidentiſſimum eſt doctrinam Chriſtianam quæ hodiè in Catholicâ Eccleſiâ Univerſaliter tenetur uſque ab Apo-

po-

poſtolis ad nos eſſe derivatum.

3. Dicamus hoc ipſum nervoſiùs, ſi fieri poſſit. Eſto itaque Propoſitio prima quaſi Demonſtrationis Baſis: *Sæculum quod tenet Fidem ſuam quaſitraditam ab Apoſtolis, neque poteſt ipſum quidpiam in illâ innovauiſſe, neque noſe vel dubitare quòd aliquod priorum ſæculorum intermedium inter Apoſtolos & Ipſum, quicquam innovaverat.* Eſto altera Propoſitio ejuſdem notæ; *Nullum ſæculum potuit aliquid innovare, & ſimul id ipſum tradere Poſteris qnaſi acceptum à Chriſto per continuam ſucceſſionem.* Ex quibus duabus ſequitur hæc tertia; *Si hodiè hæc eſt perſuaſio Chriſtiani Orbis quod Fides ipſius deſcenderit à Chriſto, palàm eſt nihil in ipſius Fide eſſe immutatum.* Si enim quicquam mutatum eſt, cùm neceſſe ſit eſſe in aliquo determinato ſæculo mutatum, ſeculum in quo mutatum eſt, ſciens eſſe mutatum docuit Poſteros non eſſe mutatum; Et, Poſteri Immediati quos latere non poterat mutationem eſſe factam, crediderunt nullam eſſe factam, ſed acceperunt quaſi traditum ab Apoſtolis, & per manus ab Ipſis ad ſeſe derivatum, adverſus priores Propoſitiones: Quod, cùm ſit

adeò abſurdum ut non ſit cenſendus compos Rationis quiſquis horum quidpiam affirmet; adeo clara eſt Propoſitio tertia, quàm quicquam poſſit à Ratione declarari. Notandum verò hoc argumentum valere etſi ſola vis Naturæ Humanæ ſpectatur; cui ſi addas perfectionem quam ab additione Legis Chriſtianæ & Sanctitate accepit, immane quantum firmior evadat Evidentiæ vis. Addatur his, quòd perfectio Humani Generis per Legem Chriſti ſit ultimum & Supremum Bonum in quod dirigatur Divina Conditríxque Providentia; &, per conſequens, Infallibilitas Cauſarum circa hanc inducendam ſit Cæli Terræque legibus conſtantior & durabilior. Unde nulla Naturalis Evidentia par eſſe queat Evidentiæ hujus Principii quòd Deus dixerit & edixerit credenda & agenda Populo Chriſtiano. Proinde mirum non eſt quòd Profeſſio hujus Fidei Vitâ ipsâ, vitæque bonis omnibus ſit anteferenda.

4. Attamen, quantumvis verum ſit quòd Evidentia auferat omnem dubietatem, tamen etiam adverſus demonſtrata non deſunt intorqueri aliunde, ex locis non demonſtratis, pungentia etſi non vulne-

nerantia, tela. Sic itaque adverſus hanc doctrinam opponitur; quòd Iudaica Traditio tempore concidit; Scriptum ſiquidem eſt, Populum, cum audiret legi Librum datæ à Moſe vivendi normæ, temporibus Ioſiæ Regis & Nehemiæ Ducis, fleuiſſe ex apprehenſione malorum quæ ipſi & Majores ipſorum perpetraverant, quæ ex ignorantiâ & deſuetudine Legis prorſus neſciebant. Præterea, vigebant inter illos Sectæ quæ omnem Religionem tollebant, Eſſenorum, Phariſæorum; & maximè Sadducæorum, & Samaritanorum. Tandem, ſi Traditionem Patrum retinuiſſent, proculdubiò Chriſtum, de quo principaliter erant ipſorum Religiones & Fides, agnoviſſent; quem tamen & tum rejecerunt; & uſque in hæc tempora deteſtantur. Verùm enimverò, vix poteſt inſtantia pro vi Traditionis inſignior allegari quam à Iudæis: Nonne ipſis oculis perſpicimus quot ſæculis vanas ſuorum Traditiones obſervent, & quàm pertinaciter inhæreant? Neque tamen Iudæorum Traditio Univerſalitatem & quandam adæquationem Humano Generi continebat: Unius Gentis, & non magnæ, fructus erat; & propterea iis ſubiacebat infortuniis, quæ ex Univerſa-

lis Naturæ Legibus, inferuntur ejuſdem partibus.

5. Singulis hominibus ſtatutum eſt ſemel mori, omnibus autem ſeu toti Humano Generi nunquam niſi collabaſcente ipſâ Naturæ Machinâ. Chriſtiana itaque Fides tam diverſis ſeminata regionibus, ſupparem ex Univerſalitate generi Humano ſtabilitatem occupat: Poſtquam enim amplitudinem tantam nacta eſt ut Fortunæ libidini ſit ſubtracta, indeficientia ipſius ad indeficientiam Generis Humani habet quidem proportionem minoris ad majorem, ſed non defectibilis ad Indefectibilem. Habet verò ex Principiis ſuis, quæ ſunt columnæ ipſius Veritatis & Bonitatis, majorem conſtantiam quàm quælibet temporaria & corporalia. Quare, etiamſi periiſſet vel Traditio vel Gens Iudæorum, non propterea poſſet argui vel Traditionem Chriſtianam, vel totum Hominum genus eſſe obnoxium internecioni. Verùm, non periit quod Traditione conſtabat; ſed, quod ſcripto ſeu libro Legis continebatur.

6. Quod enim de Joſiâ & Nehemiâ allegatur clarè ſpectat ad externa opera Legis, quæ ſub imperio Regum impiorum exerceri non poterat, & propterea facilè

in oblivionem tranſibant; Cùm Mores Catholicæ Eccleſiæ tales ſint, ut inter privatas ædes, non obſtante Perſecutorum invidiâ, conſervari poſſint; ut in Miſſâ & reliquorum Sacramentorum exercitio ſatis conſtat. Inter ipſos verò Iudæos ſemper conſervata eſt decem præceptorum Traditio, & cæterorum quæ Fidei Principiorum rationem habebant. Unde Sadducæi & Samaritani clarè Hæretici erant, & Traditioni repugnabant; Unde etiam ex Scripturis locutus eſt ad illos Dominus; Ad Samaritanos verò ex communi Traditione; oſtendens mulieri adeundam eſſe Hieroſolymam, ex communi credito utriſque quòd *Salus ex Iudæis foret*, ad originariam ſucceſſionem eos trahendo.

7. *Sciunt* itaque qui Traditionem ſequuntur, qui verò ex aliis Principiis Fidem ſibi fingunt, adorant quod *neſciunt*. Phariſæi autem & Eſſeni peccabant per Interpretationem vitioſam ſacræ ſcripturæ, vitam piam & mores Iuſtorum examinatione textuum violantes; hoc eſt, ſenſum ſacræ ſcripturæ in moribus elucentem contemnebant, non quòd eam non agnoſcerent, ſed quòd eam ex vitioſo affectu eradicatum irent; & inter illos boni erant, ut Nicodemus, Gamaliel & alii. Neque itaque

etiam apud Hebræos extincta eſt Traditionis vis antiquitùs. Poſtquam autem diſperſi ſunt in pleraſque Gentes, etſi non habeant Synodos aliquas Univerſales, tamen plerúmque iidem mores rituum apud eos manent, ut patet ex libello Leonis Mutinenſis. Quòd autem non receperint Chriſtum, ex eo evênit quòd Traditiones ſuas corporaliter intelligerent, & expectarent Regem qui eos à Dominio Romanorum eximeret & Imperium Temporale in totum Mundum propagaret. Unde conqueritur Apoſtolus quòd velamen foret ſuper cordibus ipſorum: ex eo nempe quòd Doctrina de Chriſto tradita eſſet ſub figuris rerum temporalium, ſicut & Legem ſuam fore æternam in ſuis cæremoniis etiam hodiè credunt, & non in ſpirituali Chriſtianorum Lege perennaturum; quod tamen experientiâ nobis manifeſtum eſt.

8. Aliud ex antiquis Uſibus offendiculum ſibi creant qui Commnionem ſub utrâque ſpecie, Communicationem Infantium in Baptiſmo, & hujuſmodi plura hodiè neglecta, olim neceſſaria fuiſſe creditu comminiſcuntur. Sed hujuſmodi impugnatores non intelligunt ad quid ſibi collimandum ſit. Neque enim plura inſtituta Eccleſiaſtica varietati ſubjecta

fuiſſe

fuiſſe negamus; imò hanc eſſe Prudentiæ legem conſtanter aſſerimus ut diverſæ ſubditorum conditioni diverſa diſpenſentur imperia. Unde, ſicut mutatio Subditorum à Naturâ fit & conditione humanæ Naturæ, ſic neceſſe eſt Eccleſiaſticas Cæremonias iiſdem varietatibus accommodari. Hoc autem in his ſpectandum ſpecialiter eſt, an tantummodò in certis Eccleſiis an univerſaliter obſervatæ ſint ejuſmodi cæremoniæ; &, cùm quis intellexerit quàm difficile ſit probare ex teſtimoniis Antiquorum Morem aliquem Univerſalem fuiſſe, ſtatim apparebit hujuſmodi objectiones facillimè eludi poſſe.

9. Mihi privatim objicitur, quòd Traditionem de liberatione Animarum ex Purgatorio ante diem Judicii violaverim; quæ, ſi non ab omni antiquitate, certè à ſexcentis circiter annis fuit perſuaſio totius Eccleſiæ, vel Catholicæ, vel certè Latinæ; ſatis autem eſt Unius ætatis Fidem fuiſſe, ut omnium cenſeatur. Sed quia non eſt hic locus ipſi quæſtioni, hoc duntaxat negatur, vel etiam hujus præſentis ætatis fidem fuiſſe; quod plurium ſententiæ meæ adverſantium confeſſione certum eſt. Et, quod Caput eſt, cùm hæc perſuaſio

maximè foveatur & in Fidei articulum aſpiret ex Conceſſione Indulgentiarum mortuorum animabus, inde nihil omninò elicitur; adeò diverſa eſt forma Conceſſionis à credulitate Populi acceptantis: Forma enim prout traditur à Scriptore, Romæ & ſcribente & impreſſo, talis eſt: *Nos Divinâ miſericordiâ confiſi concedimus, ut quotieſcúnque quicunque Sacerdos in tali loco Miſſam celebraverit pro liberatione Unius Animæ in Purgatorio exiſtentis quæ per Charitatem Deo unita ab hâc Luce deceſſit & piorum ſuffragiis juvari meruit, ipſa Anima, quantum Divinæ Bonitati placuerit, opportunis de Eccleſiæ Theſauris ſubſidiis adjuta, peccatorum remiſſionem conſequatur, & de pœnis Purgatoriis faciliùs valeat ad Cæleſtem Patriam pervenire.* Ubi nihil eſt de *mox* vel *citiùs*, ſed *faciliùs*, & *quantum Divinæ Bonitati placuerit*; in quo palàm eſt includi, Quando Sapientiæ Divinæ inſtitutis conforme fuerit. Quare, non ex Pontificum ſententiâ, ſed ex infirmâ ſcientiâ, quicquid ultra hanc formulam creditur, oriri credendum eſt.

TRU-

TRUTINATIO

QUARTA.

UNDE

Dignoſcatur Quid ſit de Fide?

1. ASt, ex his ſuboritur nova & expeditu ardua quæſtio; Unde ex Traditis dignoſci poſſit quid ad Fidei eſſentiam ſpectet, quid in eâ mutabile ſit. In quâ difficultate hoc primò aſſumendum eſt: Si quid in Moribus aliquando fuit, præſertim felicibus illis temporibus in quibus adhuc ad Apoſtolorum tempora liber intuitus erat, proculdubiò hanc vim habere, ut principia, ex quibus natum eſt, ab omni Errore vindicet. Unde fit tutò Fideles Parentum antiquis conſuetudinibus hærere quantum ad Fidei veritatem ſpectat; etſi ejuſmodi mores, in ſequentibus ſæculis, poſſint ad inconvenientia ducere. Hæc ergo eſt negativa Lex ex quâ conſtet Fidelibus quæ agunt Fidei non adverſari; quod Corpori Reipublicæ Chriſtianæ ſufficit.

Ve-

Verùm,ii quos temporariæ neceſſitates cogunt quàm poſſunt minimè ab Hæreticorum moribus abhorrere,hoc urgent,in quibus ſententiis liceat cum iis ſociari,vel certè non ex neceſſitate contradicere; quod ſic enuntiant, *Quid ſit de Fide nôſſe cupiunt.* Quibus ut ſatisfaciamus, in fronte notandum eſt, nos Moraliter non Metaphyſicè diſputare;neque quærere quid ad Habitum Fidei præcisè ſpectet, ſed quid ad neceſſitatem aſſentiendi in praxi & Vitâ Chriſtianâ. Rurſus Vocem hanc *eſſe de Fide* ſignificare obligationem ſeu neceſſitatem quandam aſſentiendi ab objecto in Credentem inferri. Porrò diſtingui poteſt & Credens, & Vis Objecti: Credens enim vel ſignificat Univerſitatem Eccleſiæ, vel particularem hominem; Et Vis cogendi, alia eſt præcisè ex vi Revelationis à Deo profectæ, alia ex vi Applicationis ejuſdem factæ Credenti. Et, quantum eſt præcisè ex Revelatione, clarum eſt quicquid à Deo Revelatum eſt hanc vim habere; ſive præcisè per Naturæ vires Revelatum eſt, ut Scientiæ & Scientiarum Concluſiones; ſive ex Supernaturali Revelatione, ſive ex mixturâ utriuſque. Cùm enim omne *Lumen* à Deo ſit, omnia hæc & ad Revelationem ipſius ſpectant, & vim habent cogendi aſſenſum.

2. Ex vi autem Applicationis ad nos ha-

bet aliquid vim cogendi perſuaſionem vel actu vel potentiâ; hoc eſt, vel quia de facto vim & energîam argumenti ſeu coactivam Intellectûs in illo videmus; vel quia ſumus in iis circumſtantiis, ut & poſſimus, modò velimus, illam Veritatis evidentiam habere, & niſi velimus, grave nobis incommodum, verbi gratiâ, Æternæ Salutis, immineat. Sed ut propriè aliquid dicatur *de Fide*, neceſſe eſt Credentem accipi pro Eccleſiâ: Cùm enim Voces imponi ſoleant ab iis quibus earum Vocum uſus eſt, & Veritatem eſſe *de Fide* ſit vox Eccleſiaſtica, debet ſignificare veritatem reſpectu Eccleſiæ habere neceſſitatem ut credatur; hoc eſt, tum ut cognoſcatur, tum ut illi aſſenſus accommodetur. Unde, ſi qua Veritas olim habuit talem neceſſitatem ſed nunc non habet, vel in unâ parte Eccleſiæ habeat in aliâ non habeat, in rigore poteſt eſſe *de Fide* in uno tempore vel unâ Eccleſiæ portione & non in aliis. Imò, fortaſſe quod *de Fide* eſt toti Eccleſiæ, privato alicui non erit *de Fide* propter defectũ Applicationis. Nobilis nihilominùs eſt in his diverſitas: Si enim aliquid fuit aliquando *de Fide*, utpote in Concilio Generali manifeſtũ, vix poteſt contingere ut Doctæ Eccleſiæ portioni non maneat ſemper *de Fide*: Quamvis enim ab

uſu

uſu Populi remota eſſe poſſit, tamen à Librorum & ſpeculationum hæreditariâ conſuetudine nunquam nata eſt deficere, quantum eſt ex originariæ publicationis conditione.

3. Sic etiam, ſi ex vi tumultuantium Hæreticorum inducta eſt in unâ parte Eccleſiæ neceſſitas agnoſcendi aliquam Veritatem, de quâ in cæteris Eccleſiæ partibus tacetur; hoc vix fieri poteſt quin cæteræ Eccleſiæ partes, quæ communionem cum eâdem tuentur, conſciæ ſint; ſaltem quantum ad Doctos, qui in iiſdem Provinciis præſunt Religionibus. Eſt enim hujusmodi Propoſitionum indoles ut non longè abſint à communibus & non ignorabilibus Fidei Principiis quæ Univerſis regionibus ſunt communes; unde facillimè ad vicinos derivantur, poſtquam in unâ aliquâ ex occaſione publicæ litis originem cepêre. Sic itaque manet evidens, quòd, etſi Corpus & ſubſtantia Fidei maneat eadem à Chriſto Domino & Apoſtolis uſque ad nos; tamen ea quæ *de Fide* ſunt, incrementum & decrementum, pro varietate Ætatum, accipere nata ſint, prout modò unus Articulus modò alius perfectiùs, vel in poſteriori ſæculo quàm in priori, vel è contrà in priori ſæculo quàm in poſteriori intelligitur.

tur. Cum quo ſtat, Novum Articulum Fidei, ſeu quidpiam primò-revelandum in Eccleſiâ poſt Fundationem Chriſti, neque futurum ; neque ullam ejuſmodi poteſtatem eſſe in terris relictam. Ex quo rurſus ſequitur, non poſſe unum aliquem Catalogum Propoſitionum ex neceſſitate credendarum confici, qui omnibus locis & temporibus ſit æquatus ; ſed conſtringendos eſſe Fideles ad acceptandas propoſitiones evidenter neceſſarias ad ſuſtinendos indubitatos Articulos tunc quando ejuſmodi Articuli impugnantur. Aliis verò temporibus, etſi ſine errore non poſſint negari, cùm nihil quod in ſe falſitatem contineat poſſit neceſſarium eſſe ad defenſionem Fidei, tamen ea ignorari licitum eſſe poſſit, quia non urget rerum conditio ut in eas ſollicitiùs inquiratur.

4. Verùm, hoc de ſemel publicè agnitis reſpectu totius Eccleſiæ non poſſe contingere ſuprà dictum eſt, ſed reſpectu particularium. Unde ſemper remanet poteſtas tales veritates authoritativè docendi & innovationem prohibendi. Ex dictis cuilibet manifeſtus eſſe poteſt Paralogiſmus & inter Orthodoxos non infrequens, & in Heterodoxis perpetuus, quo Articulum ex Catalogo credendorum amoliri conantur,

tur, ex eo quòd magnus aliquis Vir & pietate & Doctrinâ clarus vel eum diſſimulaverit vel ignoraverit. Sicut enim nihil frequentiùs accidit quàm ut quæramus quod ante ipſos oculos proſtat; ſic etiam in Diſciplinis, quod conjunctiſſimum eſt iis quæ agnoſcuntur, certâ fixione mentis circa alia, agnitionem effugit. Et quam tenemus Regulam, & ex eâ plura dogmata, quaſi per oblivionem non objecta averſamur, & videmur illis repugnare; quæ, ſi applicata foret, & ipſam & veritates quas repudiamus, proni amplexaremur.

5. Ex his dilucet ea in quibus fit additio vel detractio non eſſe de Articulis inſtructioni populi Fidelis primò neceſſariis, ſed ex iis quæ priorum gratiâ ſunt addita; ſive per immediatam à Deo revelationem Apoſtolis, & in Sacris Scripturis, factam; ſive per naturalem conſecutionem principiorum intellectivorum manifeſtatis. Unde non eſt opus in Eccleſiâ aliqua poteſtas nova revelandi, ſed benè poteſtas ex vi Naturæ evidentia deducendi. Attamen, quoniam ipſa præcipua & Primò-revelata plura ſunt, & confusè traduntur cum cæteris, ulterius impedimentum habemus; Unde, ſcilicet conſtet,

quæ-

quænam hæc ſint quæ ex neceſſitate credenda ſunt ut Primò-revelata, quæ non? Sed hæc quæſtio clarè eſt inutilis Morali Philoſopho, poſtquam illi evidens eſt extrema omnia tentanda non ſolùm pro iis quæ Eſſentialia ſunt Fidei, verùm etiam pro iis ſine quibus Eſſentialia conſiſtere non poſſunt; quare releganda eſt ad Speculativos & curioſos.

6. Ulteriùs patet quòd quoniam tota vita Chriſtiana pendet ex Fide, ut omne opus ſit bonum quatenùs ex Fide eſt, & quodcunque opus non procedit ex Fide non placeat Deo; palàm ſit Fidem perpetuò, hoc eſt, Exercitium Fidei nunquam non eſſe neceſſarium dum agere per modum Fidelis eſt neceſſarium, quicquid Theologi incaſſum diſputent. Et quia tantum de Præmio Æterno detrahitur, & tantum Pœnæ peccatis debitæ additur, quantum Fides deficit, evidens ſit Naturale Jus divinum (ut loquuntur) imperare Fidem tanquam conductricem omnium actionum noſtrarum humanarum; &, quod ſequitur, nos oportere ſemper eſſe in actu Virtuali Fidei; in actu verò Formali, quoties ad continuationem Virtualis requiritur; neque eſſe certa tempora vel occaſiones ad quas alligata eſt

eſt neceſſitas eliciendi actus Fidei, quantumvis aliquando evidentior ſit neceſſitas, aliquando non tam inſigniter emineat.

TRUTINATIO QUINTA.

Quando *Profitenda ſit Fides.*

1. CONſequenter de articulis *Profeſſionis* Fidei illuſtratur. Palam ſiquidem eſt, tum eſſe locum Profeſſioni Fidei, quando vel Bonum Animæ profitentis, vel Bonum Eccleſiæ ſeu Fidelium circumſtantium, eandem efflagitat. Bonum Animæ profitentis depoſcit Profeſſionem, quoties abſtentio à Profeſſione procedit ex prælatione Boni temporalis ante ſalutem æternam; ſeu, quoties, ſi Profitens æſtimaret Felicitatem Æternam ſicut oporteret, non abſtineret; hoc eſt, quoties de facto non abſtinet ex præſcripto Rationis bona ipſius pro merito perpendentis. Modò, ſi qualitatem hujus criminis æſtimare libeat,

libeat, cogitandum eſt Fidem Chriſtiano eſſe quod dictamen Rationis Homini, Principium ſcilicet ſeu Habitum Principiorum ex quibus dirigat Vitam ſuam ad Æternam Beatitatem, quæ Chriſtiano eſt illa ratio Summi Boni & Ultimi Finis, quam confuſè ſibi propoſitam & ſub vacuâ quâdam notione ſpectat & inſequitur Natura. Quare, qui Profeſſionem Chriſtianam negat, tantundem facit ac ſi ſeſe Atheum & non habentem ullam Regulam rationalis vitæ; contemptorem Jurisjurandi, & omnis Virtutis, & cum honore agendi, profiteatur.

2. Tantundem dicendum eſt de Catholico qui Fidem ſuam ejurat. Cùm enim Catholicam ſolam eſſe Fidem exiſtimet, ſi illam ejuret, per ſequelam ſe nullam habere profitetur. Manifeſtum eſt itaque quòd, ſicut ipsâ re ſi quis nullum Principium vivendi ſecundùm Naturam haberet, non Homo ſed Beſtia, vel magis Monſtrum beſtiâ deterius foret, cum principium benè faciendi nullum haberet; ſed ad quælibet agenda Ratione, Inſtrumento efficaciori quàm ſit Beſtiarum natura, armatus eſſet; Sic, quiſquis Fidem negat, ſe talem voce tenùs exhibet. Et ſicut illud ſcelerum Caput & pernicioſiſſimum foret; ſic negare Fidem,

nitatis ſubire. Tertio modo Leges reſpiciunt formaliter ipſum eſſe in Communitate, ſicut ea quæ propriè ſunt onera & miniſteria publica. Palàm autem eſt, quòd, quoniam eſſe de populo eſt conditio à Ratione multùm reſpicienda, ſimilia Reipublicæ onera obligant hominem ipsâ vi Rationis, quando eſt de Populo. Leges quoque quæ ſunt ſecundi Ordinis obligant ex-o tem ex eo quod degit in populo, tum communis victûs & Commercii causâ, tum Exempli; nè infirmi, & quibus Lex neceſſaria eſt, videntes alium non obſervare Legem & rationum vim non penetrantes, ipſi etiam tentent à Lege diſcedere. Leges rurſus quæ Populo neceſſariæ ſunt obligant Unum de populo, & quia eſt conformis ipſi, & quia vivit in populo: Si autem deſinat vivere in populo adhuc poteſt obligare ipſum ex priore capite, ſed non ex poſteriori.

4. Dicta tentemus applicare noſtræ intentioni. Notum eſt Bonum hominis ſpirituale conſiſtere in perfectione interiorum habituum, externos verò actus eſſe miniſteriales reſpectu internorum. Verùm pauci ſunt & ſpirituales admodùm qui capaces ſint æſtimandorum actuum interiorum in ſemetipſis, pleriſque Chriſtianorum

rum feliciter evenit ſi per actus Externos interiores æſtimare valeant. Ex Cognitione verò ſequitur Actio: Uulgo itaque Fidelium neceſſariæ ſunt Leges de actibus Exterioribus, & Vita ipſorum in iiſdem conſiſtit. Unde Beatitas ipſorum pendet ab Actibus Exterioribus. Actus autem Exteriores omnes, ut diximus, pertinent ad Confeſſionem Fidei, quatenùs ſunt expreſſiones Fidei quæ in Animo eſt, & ex iis circumſtans multitudo poteſt intelligere nos credere in Chriſtum & ingentem de ipſo æſtimationem habere. In capite autem ſunt eæ actiones quæ ſpecialiùs hoc demonſtrant; quales ſunt voces noſtræ, & illæ actiones quibus Catholici ab omni Infidelium genere dignoſcuntur. Harum itaque actionum præ cæteris palàm eſt curam ampliorem, & ſeveriorem eſſe oportere: Hæ autem plerúmque & ſingulis de populo ſunt convenientes, & proinde à pleriſque exercendæ propter ſe; & viventi in populo, propter Populum quoque agendæ, etiam Exortibus: Extra autem populum, non quidem populi causâ, ſed tamen pleriſque ſunt exercendæ. Exortibus autem, hoc eſt *Juſtis*, qui ſibi ſunt Lex, à Spiritu Sancto & Ratione moderandæ ſunt hæ Leges juxta circumſtantias.

5. Quòd

5. Quòd autem Ratio præſtat Exortibus, hoc ſæpè Neceſſitas cogit non-Exortes operari; ſicut olim Machabæos docuit pugnare in Sabbato ſi hoſtes premerent. Quid ergo liceat ſpeculatori Chriſtiano inter Infideles peregrinanti & rem Chriſtianam procuranti, non facilè auſim limitare. Vel enim amore Religionis Chriſtianæ facit quæ inter hoſtes tentat, vel ſolius lucri causâ. Si hoc poſterius, non æſtimo eum eſſe cui Conſcientiæ leges præſcribendæ ſint; qui enim hujuſmodi pericula adit ſolius lucri causâ, Pecuniam pro Deo habet. Sin aliquis ſenſus Pietatis in vitioſo cæteróqui pectore latet, ipſa oppoſitio negotiationis nata eſt in tali efficere Internos actus & habitus veræ Fidei conformes. Et credibile eſt & ſæpè contingit tales quoad ipſam Fidem magis fervidos redire à talibus conatibus quàm ingreſſi ſunt, qualeſcunque ſimulationes admiſerint, dum in ipſo opere forent. Imò inter ipſas ſimulationes execrari cultum falſorum Prophetarum vel Numinum; & per conſequens, neque ſcandalo neque infirmitate peccare, ſed ductu Rationis, qualiquali utuntur, duci & operari.

6. Præterea, advertendum eſt non quicquid Metaphyſicè Simulatio eſt, hoc no-

men in Moralibus mereri; ſed videndum eſt an actio quæ videtur Simulatio, nihilominùs contextui Vitæ ſit conformis. Qualis ſi eſt, materialiter tantùm Simulatio eſt. Sic Simulationes Bellicæ quæ inter Stratagemata ſolent computari, quia ſunt conformes publicæ intentioni Belli non habentur inter mendacia. Sed, ſi quid publicâ fide conventum eſt inter hoſtes, niſi teneatur, Paciſcentes Mendacii & doli condemnantur, quia aufertur in hujuſmodi actis Belli & hoſtilitatis Voluntas, & ſuccedit ſuperior intentio vivendi ut homines decet. Sic itaque etiam Simulationes in rebus Divinis non computandæ ſunt Simulationes quando ad ipſam Fidem nobilitandam inſtruuntur; ut illa Librum Apollinarii conglutinantis, alterius fingentis ſe Miniſtrum ut Doctrinam catholicam explicaret, Regis Catholici qui finxit literas de morte Archangeli Michaëlis, mulieris Thecuitidis pro Abſalome deprecantis, Nathanis Dàvidem accuſantis, & Michææ fauſta nunciantis Achabo, & plura hujuſmodi in omni hiſtoriâ ſignata.

7. Sed ſupereſt adhuc diſtinctio illa de tacendo ſeu purâ omiſſione, & agendo ea ex quibus putetur quis eſſe alienæ Fidei,

Fidei, diſcutienda. Verùm inprimis non eſt accipienda Metaphyſicè, ſed Moraliter. Ipſa enim Taciturnitas in violentis circumſtantiis cenſetur Profeſſio; hoc eſt, eſt perſuaſiva, & argumentum ſufficiens quòd ſit Infidelis qui tacet, & æquivalet negationi poſitivæ Fidei. Sed ipſa potiùs difficultas conſiſtit in diſtinctione horum quod eſt permittere ſe exiſtimari Infidelem, & cauſare. Qui enim, inter Infideles, omnia quæ illi agit, non propterea videtur facere ut putetur Infidelis, ſed permittere hoc quod ex ipsâ cum iis ſocietate creditur; non enim mutat in iis aliquam ſententiam, ſed confirmat vel potiùs non deſtruit aliunde habitam, & hoc valet quotieſcúmque prævenitur ſuſpicio. At ſi ſuſpicio incepta eſt, ſed nondum in opinionem crevit, etiam tum, qui ſciens facit per quæ putetur Infidelis, nec dum facit profeſſionem Infidelitatis per opera communia Infidelium quorum oppoſita ſunt propria Catholicorum. Secùs eſt ſi propria opera eorũ faciat, quæ ad cultum & adorationem falſorum Numinum ſpectant. Cùm enim Suſpicio non ſit Opinio, nondum eſt Expectatio ut gerat ſe hoc vel illo modo; ſed tantummodò Inquiſitio, quæ per communes actus ceſſat, ſed per proprios inflecti nata eſt in

adverſam partem & creare Opinionem quòd non ſit Chriſtianus; Quæ Opinio permitti poteſt, non procurari.

8. Patet itaque hunc nodum prorſus Prudentialem eſſe, & pendere à prudenti expectatione circumſtantium, maximè heterodoxorum; illi enim ſunt ante quos Confeſſio Fidei plerumque fieri ſolet. Aliud ſiquidem eſt Confeſſio, aliud Profeſſio quæ ſolet Catholicis exhiberi ut ipſi Fratrem agnoſcant. Ex dictis poteſt concludi actum Fidei propriè dictum eſſe quoties Eccleſiç, profitenti ſe prædicare quæ à Chriſto accepit, credimus Doctrinam quam tradit eſſe Veram. Unde fit eum qui diſcredit Uni Articulo, nihil omninò credere; vel enim Deo dicenti vel Eccleſiæ nuntianti diffidit; ſine quibus nullum Articulum in qualitate Fidei poteſt retinere.

9. Palàm rurſus eſt, Fidem, etiam in perſonis indoctis, firmiorem eſſe quâlibet Scientiâ. Cùm & Authoritas Divina ſit Principium efficacius principiis Scientiarum, & Eccleſiam eſſe veracem ſit quodammodò Principium Intellectûs Moralis, qui evidentior eſt Intellectu Principiorum Speculativorum, etſi ex iis demonſtrari poſſit; quia ex applicatione ad actiones noſtras & earundem gubernatione, familia-

rius

rius eſt nobis & magis inſitum & infixum quàm ſunt Metaphyſica, quæ non agnoſcimus niſi dum ſpeculari libet. Quo non obſtante, Fides de Scito vel etiam de Viſo haberi non poteſt; quia Scientia & Viſio etiamſi in ſeſe infirmiores ſunt Fide, tamen propter Evidentiam Objecti in ſe & non in alio, magis occupant & rapiunt Animum; &, in præſentiâ ſaltem actuali, non relinquunt locum actui Fidei: Et propterea, quia Cognitio eſt propter Operationem, melius eſt homini per eas quàm per Fidem, quia faciunt majorem promptitudinem in Mente ad Charitatem. Magis tamen repugnat Fidei ſubeſſe falſum quàm Scientiæ vel Intuitioni; quia & Veracitatis Divinæ & Eccleſiaſticæ fortiores ſunt nervi quàm Scientiæ & Viſionis; quæ Virtutem duntaxat Naturalem ſonant.

INSTITUTIONUM ETHICARUM, SIVE STATERÆ MORUM, EXAMEN DECIMUM, DE Spe, Charitate & Oratione Supernaturali.

TRUTINATIO PRIMA. DE *Virtute Spei.*

1. QUoniam Fides neceſſaria fuit ut Generi Humano Beatitas ſua, & modus ad eam perveniendi, innoteſceret; conſequens eſt ut agnita ſperari debeat. Et, quia Fi-

Fides omnia Salutis noſtræ negotia, imò & ipſius Naturæ, à Providentiâ Divinâ ſic docet pendere, ut quod ipſe providerit infallibiliter ſit ex ipſius Virtute futurum; quod verò ipſe non præordinârit ex vi defectûs cauſarum inferiorum ſit æquè infallibiliter non futurum; palàm eſt Deum non ſolùm eſſe Objectum *Spei* ut Conſequendum, verùm etiam ut Cauſam efficientem, à quâ Beatitudo noſtra profectura eſt. Et quia Deus nihil immediatè operatur, ſed mediante ordinatâ cauſarum inferiorum Serie & per actiones ipſarum, inter quas Ipſe Speraturus eſt cauſa maximè immediata & propria, palàm eſt futuritionem Beatitudinis magis vel minùs eſſe & diſpici poſſe in actionibus Divinis circa nos, & in noſtris ex Divinâ Providentiâ orientibus. Hinc ſtatim apparet duplex *Spei* ſtatus. Alia enim videtur Spes eorum qui purâ Bonitate Dei & actionibus Ipſius communibus, ut Creationis, Educationis, & tandem Fidei nobis impertitæ, beneficiis fiſi, ſperant Deum reliqua quoque uſque ad perfectionem Beatitudinis in ipſis operaturum: Alia eorum qui experiuntur in ſemetipſis conſtantem conatum ad illa media quibus Beatitudo conſequen-

da eſt, ut jam intelligant ſe quaſi Agricolas vineæque cultores ex apparentibus indiciis futuram meſſem expectare.

2. Horum *Spes* dicitur *Formata*, priorum *Informis*. Utrique oculos ad Dominum habent, ſcientes non niſi ab Ipſo proficiſci quicquid iis bene evenerit: ex eo quòd ex purâ Bonitate ſuâ perque infinitam Sapientiam ſic ordinaverit res humanas, ut per hujuſmodi greſſus progrediantur uſque ad Infinitam Felicitatem ex fimo & ſtercore nati. Verùm, qui ſe magis profeciſſe agnoſcunt hoc amplius habent, quòd videant & faciliora ſibi reliqua, hoc eſt, pauciorum & magis in promptu exiſtentium cauſarum viribus ſibi opus eſſe ad Beatitatem obtinendam, & difficiliùs ab Ipsâ decaſuros; hoc eſt, majorum & rariorum cauſarum impetum requiri ut detrudantur de viâ in quâ jam fixi ſunt; hoc eſt, vocationem ipſorum eſſe certiorem quàm minùs proficientium. Sic itaque apparet *Spem* pro Objecto Formali habere Bonitatem Dei ut operativam ſalutis hominum, & ſpecialiter ipſius Sperantis: Et ſicut Veritati Dei in Fide conjungitur Revelatio, ut poſſit derivari ad perſuaſionem; ſic cum Bonitate Dei conjungi operationem ipſius ut poſſit Spem in Sperànte procreare. Unde

Unde apparet illum qui ſine juſtâ occaſione, hoc eſt, ſine affectu operandi ſuam ſalutem, illam à Deo expectat, *præſumere* & *Præſumptuoſum* eſſe. Qui verò, cùm ſeſe videat in viâ eſſe & laborare, nihilominùs deſperabundus languet, *modicæ Fidei* & *Puſillanimem* eſſe. Patet itaque *Spem* eſſe Principium operationis eorum, quibus obtinetur Beatitudo ex perſuaſione rationabili quòd ſit acquirenda & futura.

3. Unde, ſi per impoſſibile ſupponatur Deus revelare alicui perditionem ſuam in iis conditionibus in quibus verè crediturus foret ſe damnandum eſſe, talem hominem non debere ſperare, ſed ipſam Deſperationem taliter qualiter eſſe meritoriam, cùm ex verâ & debitâ Fide naſcatur. Ex quo etiam evidens eſt non cadere in Dei Bonitatem ut hoc agat: Foret enim directa & per ſe deviatio hominis à ſuo Fine Ultimo & bonis per Spem illius obtinendis. Etſi enim non omnes qui ſperant Beatitudinem eam conſequantur, tamen etiam ipſi qui eam non conſequuntur leviorem damnationem habent ex eo quòd qualiacunque opera ex ſpe ejuſdem operentur. Quare per ſe immediatè hoc impedire, eſt Deum ſibi contradicere & ſuam Bonitatem negare. Repones, pluribus prænuntiatam ſuam

perditionem, ut Core, Dathani & Abironi; Achabo & aliis impiis Regibus; Petro peccatum ſuum; Judæ & Antichriſto. Reſpondeo; temporalia exitia in veteri Lege prædicta fuiſſe, non ſpiritualia: Neque Petrum neque Judam credidiſſe futurum quod Chriſtus prænuntiavit; ſicut neque Simon Magus; etſi non tam prædictio quàm comminatio fuit quod ei Petrus intentavit. Neque obſtat quòd Salus etiam illis qui prævisi ſunt ſit poſſibilis. Spes enim non dicitur niſi de illo quod futuri apparentiam habet. Etſi autem ſit in præviſo potentia ad Beatitudinem adipiſcendam, non tamen eſt in universâ cauſarum collectione poſſibilitas ut præviſi Beatitudo in actum veniat.

4. Ex dictis fit, proprium & per ſe materiale objectum Spei eſſe Beatitudinem. Cùm enim Fides doceat hominem, quòd, omnibus conſideratis, nihil ſit Bonum per ſe niſi Beatitudo; cætera verò non niſi in quantum ad illam conferunt & hominem perducunt; Spes autem Boni ſit, evidens fit propriè de ſolâ Beatitudine eſſe, & tanquam de primo Objecto; de cæteris autem non niſi propter Beatitudinem. Propter autem Beatitudinem

nem ſperari nata ſunt cætera omnia, in quibus eſt etiam aliorum Beatitudo. Notandum tamen eſt, quòd, quia multi adeò infirmi ſunt, ut etiam alia concupiſcant & ſperent propter ipſamet, velle Deum, utpote omnis Boni Authorem, etiam hæc ab ipſo ſperari; verùm cum eo temperamento, ſi ſtent cum obtentione Æternæ Felicitatis. Quare, cùm ab eâdem ratione formali Bonitatis Divinæ pendeat horum expectatio, etiam ad Spem Theologicam reducenda eſt horum à Deo, etſi aliquatenùs inordinata, expectatio. Patet conſequenter neque in Beatis neque in Damnatis eſſe Spem; quia Beatis nihil ſupereſt ſperandum, cùm jam cætera quodammodò indifferentia ſint ipſis & certa, & non dubia ſed ſcita, ut eſt Corporum Reſurrectio. Damnatis verò à Bonitate Dei nulla ſit expectatio; Sciunt enim non niſi graviora ſemper iis eventura. Fidelium autem nondum eſt Viſio vel Scientia de futuris à Deo Bonis, cùm pendeant à cauſis incertis & contingentibus; de quorum effectis Demonſtratio non poteſt eſſe niſi conditionata, ſi nihil adverſum occurrat quod impediat.

5. Unde conſequens eſt Spem non eſſe ſine *Timore*, & proprium Timorem qui comitatur Spem, eſſe de jacturâ Beatitudinis, & conſequenter peccandi illa peccata quæ Beatitudinem nata ſunt tollere; etſi omnia & leviſſima, quantum ſunt peccata, officiunt progreſſui ad Felicitatem. Et *Timor* huc uſque dicitur *Filialis*; quia Filii ſunt Hæredes, & timere Hæreditatis jacturam pertinet ad Filios. Qui verò vel jacturam Bonorum Temporalium, vel Æternorum ſensûs Malorum acquiſitionem timent, eatenùs ſervi ſunt. Tandem, qui ex amore quodam teneritudinis, qualis in Pueris & Mulierculis dominatur, timent quaſi exulcerare Animum Dei peccando, ſub Initialis Timoris denominatione (cùm procedat ex imperfectâ apprehenſione Bonitatis Divinæ) comprehenduntur. Et omnes hi Timores boni ſunt; ſed ſervilis, niſi quatenùs eſt gradus ad Amorem Beatitudinis, non ſufficit ad ſalutem; tum verò, per ipſum & non ſuis meritis eam impetrat. *Præſumptio* oppoſita eſt Spei, ut ex dictis patet; quia eſt ſpes abſque fundamento rationabili; cùm non ſint merita ſeu actiones Dei ex quibus colligi cum ratione poſſit Deum præordinaviſſe Præſumptorem ad Beatitudinem. Maximè

verò

verò ſi quando ex falsâ credulitate hoc ſibi perſuadet; quod faciunt illi qui ex nudis Promiſſis Chriſti confidunt ſeſe ſine bonæ vitæ curâ ad Æternitatis Felicitatem rapiendos. Non intelligentes Chriſtum eos ſolos *Credentes* appellare qui *ex Fide vivunt*, ſeu quorum *Fides per Charitatem operatur.*

6. Refertur de quodam Sancto quaſi Apophthegma ingentis Sanctitatis, quòd dixerit, malle ſe Incertum Beatitudinis vivere lucro Animarum invigilantem & Deo inſervientem, quàm cum Certitudine Beatitudinis ſtatim de vitæ ſtatione migrare: Quod ut apparet, neque Paulo qui cupiebat diſſolui, neque Andreæ qui orabat ad Chriſtum vocari conforme eſſe, ut taceam alios Sanctos, Martinum, & Martyres, ultrò ſe morti objicientes; Sic quoniam diverſi ſunt motus Spiritûs Sancti in diverſis Animabus non ſtatim rejiciendum eſt, ſed magis videndum in quo ſano ſenſu ſuſtineri poſſit. Dum enim clarum eſt Deum ut Finem Ultimum actionum noſtrarum eſſe ipſam Beatitudinem, &, quod ſequitur, non poſſe rejici, non ſolùm omninò (quod tamen phraſis illa *Incertitudinis* videtur inſinuare, ſub aleâ poni) verùm etiam quoad quemlibet gradum, videtur hæc Ele-

ctio

va ſunt tibi tua præmia. Erat itaque etiam in hoc Sancto vox illa effectus ingentis Spei de Bonitate Dei & Conſcientiæ ſuæ ſeu Charitatis in Deum firmitate, quâ fixus præſentiam Beatitudinis pro incremento futuro contemnebat; quod, ex augmento Charitatis per opera quæ amabat, ſperabat eventurum. Sicut & ipſe Martinus ex hortatione præallegatâ conſenſit in diuturniorem vitam.

8. Nemo *Sperat* niſi quod æſtimat ſibi Bonum, neque poteſt æſtimare Bonum abſque Amore; Quomodo itaque Spes ſine Charitate eſt & ipsâ prior, & non magis poſterior & ad eam conſequens? Sed, ſi Charitatem non qualemcumque Amorem ſeu complacentiam in re amatâ ſed ſpecialem vocemus, evanida apparebit argumentatio; & eſſe quidem Amor aliquis prævius Spei, ſed quæ non ſit Charitas ſeu Ultimi Finis. Sed adhuc pulſat nos eadem importunitas: Spes enim ut ſuprà diximus, de Ultimo Fine eſt, & prout de Ultimo Fine; quare & Amor eam gignens de Ultimo Fine, ut Ultimo erit, & amplexatio Dei in quantum talis. Neque quicquam dubitandum ſeſe oſtendit in hoc diſcurſu. Ulteriùs itaque indagandum, eſt & videndum affectum ad Finem Ultimum poſſe duobus

mo-

modis intelligi; Uno quidem, ut ſignificet procedere ex cognitione quod Bonum amatum ſit Ultimus Finis: Poſteriori, ut Amor ſit conformis Naturæ & rationi Ultimi Finis, hoc eſt, ſit talis qualis debetur Ultimo Fini.

TRUTINATIO
SECUNDA.
DE
Eſſentiâ Charitatis.

1. SEd ex hoc reſponſo gravior inſurgit querela Videtur enim ſequi nullam eſſe in hâc vitâ Charitatem, cùm natura Ultimi Finis exigat ut omnis actio & omnis gradus & modus actionis ſit integrè & plenè conformis & adaptatus acquiſitioni Ultimi Finis; qualis Amor, cùm vel rarò vel nunquam adipiſcatur in hâc vitâ multùm anguſti erunt limites Charitatis, & Fidelium Charitate imbutorum. Diſtinguendus propterea eſt modus Amoris Ultimo Fini debitus, in eum qui ſubſtanrialiter confor-

formis eſt Ultimo Fini, & eum qui perfe-ctè, hoc eſt, & quoad Subſtantiam & quoad Modum, eidem conformis eſt. In quo, nè æquivocatio hæreat; Eum Amorem dicimus ſubſtantialiter eſſe conformem Vltimo Fini, qui maſſam ipſam actionum noſtrarum & partes eam integrantes (quarum moles ſingularum conſpicuam proportionem ad integram vitam habet,) ad ipſum Ultimum Finem dirigit; etſi minores, quæ Vitæ rationem non tollant, incorrectas dimittat & quaſi vagas. Qui ſpecialiorem rationem hujus diviſionis habere cupit, reſpiciat Avaros Fœnoríque totaliter incumbentes; quorum ſicut univerſalis cogitatio & vitæ inſtitutum eſt ad congerendas pecunias, & non ad iis utendum; ſic comeſtio, dormitio & aliæ non raræ actiones abſque hoc reſpectu perficiuntur. Eadem eſt de ambitioſis ratio, eadem de voluptuariis; &, ſi qui alii Fines Vitam hominum quaſi Univerſam occupant. Quos ſi intueamur, exinde ad veram Virtutem oculos flectentes, facilè qualis Amor ſit ille qui *Charitas* vocandus eſt diſpiciemus & nobis figurabimus.

2. Ex determinatione poſitâ delabimur in aliam ingentis momenti, putà ad determinandum Formale Objectum ſeu moti-

vum

vum Charitatis; patet enim quòd ſit *Deus ut fruendus*. Non ut ipſam fruitionem includamus in objecto formaliſſimo; ſed duntaxat illud quo fruendum eſt, ſecundùm illa ſecundùm ſeu propter & per quæ fruibile eſt. Determinatiùs loquamur. Quoniam Poſſeſſio Dei eſt Cognitio, ea quæ cognoſcimus de Deo ſeu potiùs id quod meretur in eo cognoſci, eſt ſicut objectum directum cognitionis ſic & objectum in quod collimat Deſiderium ſeu Charitas noſtra. Certè enim nihil ſive in Philoſophis ſive in Sanctis legimus adeò amandum quàm Bonum, quàm Beatitudinem, quàm benè eſſe, quàm Felicitatem. Omnes Theologi in his duobus ex Naturæ vi conſentiunt, & Deum amandum tanquam Vltimum Finem, & Vltimum Finem eſſe Beatitudinem. Ex quibus evidenter concluditur Deum quatenùs eſt Vltimus Finis eſſe Objectum Charitatis noſtræ. Verùm, fac non eſſe, ſed ſub aliâ aliquâ ratione à Charitate amplexari; neceſſe eſt hunc motum Charitatis non eſſe primum ſed à priori pendere; cùm totus Naturæ motus originaliter à *benè eſſe* incipiat & in illud tendat, Charitas autem in Naturâ fundetur, & vim ſuam activam ab illâ trahat. Aſt, ſi motus Charitatis non ſit primus, neque circa Vltimum

mum Finem erit cum ſit ulterior finis ex quo derivetur & in quem reducatur, motus autem Voluntatis ab uno amato ad aliud amatum progredi nati ſint. Vnde fit rurſus, quòd Charitas non comprehendat omnes actus noſtros cùm primus ab eâ ſit exemptus.

3. Rurſus, non eſt fortiſſimus; cùm ab alio ſumat fortitudinem, qui per conſequens ex neceſſitate eſt fortior ipſo. Item, clarum eſt eum quem nos ponimus motum eſſe ex inſtitutione Naturæ, hoc eſt, Dei; & omnes motus naturales eſſe creatos conformes ipſi. Item, ſi Deus alio titulo eſt Objectum Charitatis, objectum Charitatis eſt à nobis electum, & per actus noſtros, & non ex vi Inſtitutionis ſeu Creationis: Non eſt itaque Deus quem deſideramus quia ad eum conditi ſumus, & inquieta eſt anima noſtra donec ad eum perveniat. Rurſus, nos Creaturæ ſumus, hoc eſt, defectuoſi, & qui nati ſumus ad hoc ut perficiamur: Finis itaq; noſter eſt *perfici*, & Vltimum Bonum noſtrũ quod ultimò *perficit* nos. Tandem, nihil prodeſt Deo ut nos eum amemus, quare itaque cogitabimus quòd ab eo progreſſu qui nobis eſt Naturalis vocaverit nos ad alium magis difficilem & minùs directum ad conſequendum illud Bonum

quo

quo indigemus? Clarum enim eſt, deſide-rium & Amorem Dei quatenùs Cognoſcen-dus eſt ſeu quatenus perfectivus Intelle-ctûs, & per hoc totius Animæ & Hominis, eſſe rectiſſimum & breviſſimum & formaliſſimum curſum ad hoc ipſum obtinendum & adipiſcendum.

4. Sed opponi ſolet, quòd Charitas eſt Amor Amicitiæ, & amor Amicitiæ nobilior amore Concupiſcentiæ quo Bonum noſtrum diligimus; & Rationem ſuggerere Charitati nobiliſſimum modum eſſe tribuendum. Hæc ut elucidemus, commemorandi ſunt ex Ariſtotele tres Amicitiæ gradus vel Correlationes. Infimus lucro fundatur, & magis Societas eſt dicenda quàm Amicitia: Secundus voluptate concreſcit, ex eo quòd qui eiſdem ſtudiis delectantur propterea mutuum convictum appetunt: Sed ſi verè loqui velimus, potiùs Sodalitatis quàm Amicitiæ fædus eſt inter hujuſmodi. Verùm, quia Voluptatibus dediti utplurimùm à benigniori naturâ hoc habent, hi paratiores ſunt ad ſeſe invicem fovendos quàm priores; & propterea perfectius ſimulachrum Amicitiæ præ ſe oſtentant. Tertius gradus eorum eſt qui vitæ ſuæ conſilia communia habent, & ſeſe invicem ex prudentiâ & bonitate æſtimant; cætera ſive Vo-

Voluptatis ſive lucri inſtrumenta poſt habentes illis bonis quæ Amicis ineſſe vident, & propterea de cæteris eiſdem gratis, pro ſuâ poteſtate & Amici neceſſitate, parati ſunt providere. Et ex hoc gradu ad Fideles ſuos tranſtulit Amicitiæ nomen Chriſtus Dominus; ipſo teſte, qui quando illos jam non Servos ſed Amicos diceret, reddidit rationem, quia intima ſua ſenſa & omnia quæ à Patre accepiſſet iis communicaverat.

5. Videndum modò eſt, utrum Amicitia in hoc ſenſu intercedat inter Homines & Deum propriè, an duntaxat Metaphoricè vel analogicè. Et in primis, in Amicitiâ noſtrâ mutua eſt communicatio arcanorum ex mutuâ neceſſitate. Qui enim ſua ſecreta communicat alteri, propterea hoc facit ut conſilium vel auxilium nanciſcatur: Chriſtus autem quæ communicavit arcana non niſi in bonum audientium communicabat. Ipſe enim neque aliquo indigebat, & potens erat curandi per ipſos fieri quæcunque ab ipſis patrari cupiebat. Non eſt itaque aliqua Communicatio quæ revertatur à Creaturâ ad Deum, etſi utcunque à parte Dei Amicitiæ ratio ſubſiſtat; quæ, quando non eſt mutua, Benevolentiæ magis rationem ſortitur quàm Amicitiæ. Et, cùm deficiat

ficiat ex parte Creaturæ, clarum eſt Charitatem Creaturæ non tam propriè rationē Amicitiæ habere quàm habeat Humana.

6. Ulteriùs repetendum eſt Charitatem non eſſe qualemcúnque Amorem, qualiſque eſt qui Spem prægreditur, ſed Activum: Amicitia autē noſtra quomodo activa eſt circa perſonam Dei ad quam eſt Amicitia? Præterea, omnes volitiones noſtræ vel ſunt in ordine ad aliquid à nobis agendum, vel ſunt Pueriles & Femineæ; cujuſmodi ſunt affectus qui ab Hiſtoriis Poëticis concitari ſolent. Tales itaque erunt hi actus quibus Deo (verbi gratiâ) Æternitatem vel Omnipotentiam volumus. Poſcunt Admirationem & Laudem Majeſtas & Bonitas Dei, affectus altiores quàm ſit Amor quem vocant Amicitiæ; qui ad ſummum eſt affectus quidam impoſſibilium; ut, ſi Deus egeret, quid faceret quiſquam ut egeſtatem ipſius ſuppleret; quæ ſunt nugamēta à quibus animæ piæ prohiberi deberent, nè Spiritus in inanes flatus abſumant. Adde his, quòd nemo Virum Principem, vel ſervus Herum *Amicum* ſuum vocet, etiam tum cum Principes & Heri ſervos ſuos & vaſſallos Amicorum nomine appellitant; eſſet enim ſe & ſuam vilitatem oblivifci. Sic prætendere amare Deum quaſi ex æquo, & velle retribuere

buere ipſi, & exiſtimare ſe aliquid illi gratum & honorificum agere quando quaſi liberè ei aliquid donat, procedit ex ignorantiâ puſillitatis humanæ.

7. Dices, etſi non poſſim prodeſſe Deo, poſſum honorem ipſi afferre, poſſum gratum illi facere ſive in Animarum lucro, ſive in ſubventione indigentium: Quare, poſſum extrinſecè prodeſſe Deo & mutuum reddere, ſicut Servus in Euangelio pro quinque vel duobus talentis alia quinque & duo obtulit. Verùm, hi diſcurſus ſunt hominum imbecillium, non Theologiâ digni. Neque enim, cùm omnia ſint in poteſtate Dei, eſt in poteſtate meâ ut quicquam aliter quàm ad Maximam Dei Gloriam procedat. Unde bonum eſt mihi quidem ſi in me honoratur Deus, per virtutem ſuam cui ego neque addere poſſum neque detrahere: Sed ego non ex meâ virtute aliquem honorem ei facio ut retributionem aliquam merear, vel compenſem ſive amorem ſive benefactum ipſius in me. Similiter nullum Bonum eſt Dei ut pauperi vel ſpiritualiter pereunti ego ſuccurram; ſed Indigenti quidem proſum, adæquatè tamen per beneficiū Dei in me, quòd dignatus ſit per me facere quod potuiſſet meliùs ſine me. In his itaque omnibus magis debitor manet Homo, nihilque

retribuit Deo ; Unde ſimiles diſcurſus ex Apothecâ Pelagianorum ferè prodeunt.

8. Ergóne improbandæ ſunt hæ devotiones quibus inculcatur hominibus ut Deum velut Amicum colant, & grati ſint de beneficiis acceptis,& ſuſcipiant velut Amicum nos inviſentem, & hujuſmodi plura quibus pleni ſunt libri qui Spiritalis Vitæ elementa tradunt? Abſit; non enim Unus eſt omnium appetitus, & prodeſt Lac imbecillioribus ſtomachis nondum aptis ad ſolidiora. Sed peritum oportet eſſe Medicum Conſcientiarum, & ſingulis applicare quæ iis conveniunt. Ipſe Apoſtolus quantum exaltat Charitatem Dei qui Filium ſuum Unigenitum pro inimicis tradidit crucifigendum? Sed idem monuit ſe Sapientiam inter perfectos loqui. Hæc tradenda ſunt iis quibus conveniunt; Theologis Sapientia Dei in his ipſis commendanda eſt, quòd aptiſſima inſtrumenta perficiendo Generi Humano & invenit & adhibuit. Illis enim convenit intelligere Deum nos vocare Amicos, quia tractat nos tanquam Amicos; non quia nos Eum viciſſim tanquam Amicum tractare vel poſſimus vel poſſe præſumere debeamus. Verùm alius adhuc ſupereſt ſcrupulus:

Velle

Velle enim Deum tanquam Bonum noſtrum videtur ejuſmodi eſſe atque illum per modum Utilis amplexari, velut Equum aut Uinum; quod à Ratione prorſus abhorrere videtur, Sed dividendus eſt Amor quem circa Vinum habent homines: Sunt enim qui Vino ad Sanitatem utuntur & appetunt, & ſunt, qui Vino propter Delectationem indulgent. Priores *utuntur* Vino; Poſteriores dicuntur illo *frui*. Palàm autem eſt Deo in ſemetipſo *uti* impoſſibile eſſe; *Frui* verò eſſe quod ſuper omnia appetendum eſt. Non itaque indignum eſt amare Deum, ſicut Ebrioſi amant Vinum, ſcilicet, ut Summum ſuum Bonum; ſed, ſicut Modeſti, qui ad ulteriorem Fructum illud adhibent. Atat, eſt Amor hic *Concupiſcentiæ*. Si dicis Appetitûs Senſitivi, palàm deciperis: Si dicis, partis Spiritalis, ſcito nobiliſſimum eſſe Actum & longè excellentiorem quàm ſit Electio, quæ eò uſque bona eſt quoad à Concupiſcentiâ naſcatur. Amare autem Deum per Electionem eſt indignum Deo, quatenùs talis, electionis enim nobilitas eſt reſpectu objecti quòd poſſit illud refutare. Unde eligere Primum Bonum ex imperfectione naſcitur; & hominis perfecti conatus eſt (quantum poteſt) figere Voluntatem

ſuam circa Primum Bonum, nè ſit verſatilis.

TRUTINATIO TERTIA.

DE

Charitate in Proximum.

1. ALia Charitatis forma non raro pictatem ſectantibus proponitur; neq; levi Authore, ſed ipſo Chriſto Domino ſic nos erudiente, ut oremus dicentes, *fiat Voluntas tua ſicut in Cælo & in terrâ*; & in Paſſione exemplo monſtrans ſic pugnas Carnis adverſus Spiritum coërcendas, dicendo, *non mea Voluntas fiat, ſed tua.* Hæc imitabundi, Deum velut Amicum ſibi æſtimantes & ipſi placere ſatagentes, conſiderant nihil hominibus præterea dulce eſſe niſi ut quæ deſiderant executioni mandentur. Hoc ad Divina traducentes putant hunc eſſe ſummum Charitatis affectum, velle quicquid volunt quia conforme eſt voluntati Divinæ. Et ſic procedentes materia-

liter

liter (ut loquuntur Scholaſtici) non eſt dubium rectè agere. Cùm enim nihil à voluntate Divinâ proficiſcatur niſi quod optimum rebus eſt, imò niſi quod propterea Optimum eſt quia à Divinâ Voluntate proficiſcitur , utpote quæ ſit eſſentialiter Summa Sapientia & ratio primaria agendorum,non poſſunt hi non ſemper acquieſcere in eo quod reipsâ optimum eſt.

2. Sed cùm affectus hic pro motiuo ſuo vel poſſit habere, idcircò Voluntati Divinæ obſequendum eſſe quia eſt ipſamet Ratio , vel quia eſt Voluntas Amici noſtri, abſtrahendo ab hoc quòd ſit ipſa Regula & Rectitudo; ferè in hanc poſteriorem rationem declinant Pietatis Magiſtri,hoc unum ſpectantes ut placeant illi cujus Voluntati obſecundantur. Hoc autem accipitur ex illorum hominum uſu qui Voluntates ſuas, ſive bonas ſive perverſas, quia ſunt *ſuæ* obſervari volunt, & quà poſſunt efficiunt. Palàm eſt itaque hanc Devotionis ſpeciem traductam eſſe ab uſu hominum non ſeſe ex vi Rationis gubernantium ; Boni enim nolunt Voluntates ſuas, niſi ſint conformesRationi,adimpleri.Imperfecta itáq; eſt hæc Charitas , & docendi ſunt Pietatis ſtudioſi propterea velle ſe conformare Divinæ Voluntati quia eſt ipſa Rectitudo

& ſemper cauſa ut optimè gerantur res humanæ; &, quod ſequitur, noſtra Voluntas recta non poteſt non eſſe quatenùs ipſi conformis eſt quæ eſt perfectio noſtra. Unde hujuſmodi Charitas magis eſt circa res creatas quàm circa Deum; Volumus enim per illam rebus creatis benè eſſe, & illas amamus ſicut oportet.

3. Unde apparet quare ſit naturale Spiritui Charitatis diligere Proximum. Inprimis enim, cùm Charitas ſit perfectio Rationis, Ratio autem dictet ſimilia ſimilibus congruere, omnes autem homines per Unitatem Naturæ ſimiles ſint, conſequens eſt Charitate nos affici ad hoc ut omnes homines habeant quæ nobiſipſis convenire exiſtimamus. Adde, quòd cùm Amor ſit activus; & per conſequens qui Charitate eſt imbutus ex eâ ipsâ qualitate fiat operativus ſecundùm naturam Charitatis, non poteſt non quærere ipſam Charitatem & effectus ipſius propagare. Et rurſus, ex eo quòd Charitatem ſortitus ſibiipſi vult optimè eſſe, vult exercere nobiliſſimos actus: Cùm itaque nobiliſſimi humanorum actuum ſint quatuordecim illæ Miſericordiæ ſpecies, illis delectatur. Sicut enim actus perfecti eſt potior & nobilior actu perficiendi, ſic facere

re opera Miſericordiæ plus prodeſt facientibus quàm recipientibus, ut (præſertim in operibus Spiritualibus) clarum eſt. Nam, ſicut Magiſter docendo acquirit Scientiam perfectiùs quàm Diſcipulus; ſic, qui docet Ignorantes, corrigit peccantes, conſolatur afflictos &c. magis prodeſt ſuæ Animæ infigendo ſibi illa præcepta quæ proponit, quàm ipſis quibus proponit. Et hæc omnia demonſtrant Proximum amandum ſicut noſmetipſos, quia illa ipſa bona quæ maxima in nobis exiſtimamus, proximis communicare conamur.

4. Ex quo patet Legem amandi Proximum eam eſſe ut nobis non noceamus; dico ſpiritaliter; hoc eſt, ut nihil adverſus tendentiam noſtram ad Beatitatem Proximi causâ admittamus: Et, quod ex eo ſequitur, tunc duntaxat Saluti ſeu Bono ſpiritali Proximi operam impendendam eſſe, quando hujuſmodi opus eſt Optimum quòd pro noſtrâ ipſorum ſalute tunc temporis agere poſſimus. Charitas enim ad Proximum, ſicut cætera opera, imò immediatiùs cæteris, ab amore Beatitudinis pendet. De cæteris itaque benefaciendi proximo Legibus tantundem clarum eſt, hoc homini intuendum utrùm Beneficentia quam exercet, omnibus conſideratis, ſit fructuoſa Animæ ip-

ſius; hoc eſt, non impediat aliam Beneficentiam ad quam magis obligatur; quomodò accidit quando quis priuat ſuos neceſſariis, ut Eccleſiæ vel pauperibus donet.

5. Ex his poteſt Solutio pluribus quæſtionibus accommodari quæ ſolent à Doctoribus agitari; verbi gratiâ, Utrum Angeli ſint amandi Charitate? Negandum quippe eſt, cùm Charitas ſit Virtus operativa, circa Angelos autem quicquam operari non ſit in nobis; cùm neque ut Fruendi ſint nobis propoſiti, neque ſubjecti ſint Miſericordiæ noſtræ. Adorandi itaque & admirandi & laudandi ſunt, non amandi. Dæmones & Damnati minùs, cùm Beatitudinem iis optare vel procurare impium ſit. Animæ tamen in Purgatorio exiſtentes amari poſſunt, cùm non ſint extra ſphæram noſtræ Communionis, & à nobis adjuvari poſſint: Quòd & de cæteris Sanctis, exceptâ Beatiſſimâ Virgine, dicendum eſt; qui, cùm expectent perfectionem Gloriæ per unionem ad Corpora, & hæc à completione Mundi & Electorum adhuc in mortali vitâ degentium exercitationibus pendeat, non ſunt hujuſmodi Sancti extra ſphæram noſtrorum operum; &, quod ſequitur, neque extra Objectum Charitatis noſtræ.

6. Quæ

6. Quæ de Hominibus & ordine Charitatis inter eos ſervando dicenda erant, ex prioribus Tractatibus deduci poſſunt. Ordo enim Rationis ſubſervit Charitati & diſponit ipſius officia circa naturalia objecta. Quod autem Charitate noſmetipſos & Animam vel Corpus noſtrum diligere, vel ipſammet Charitatem dicamur, clarè analogicus eſt vocis uſus ; cùm conſtet quòd nemo ad ſeipſum Charitatem habeat ; reliqua autem non ſint ſuppoſita quæ amari poſſint ; ſed noſmetipſi amamur ratione illorum vel ſecundùm illa. Noſmetipſos autem amamus quidem per illam Virtutem quæ eſt Charitas , non enim poſſumus amare Deum tanquam Summum Bonum abſque eo quòd includatur illum velle nobis, hoc eſt, amemus noſmetipſos; Sed, in hoc ſenſu non uſurpatur Charitas quando de Proximo dicitur; ad quem Amicitiam habemus vel actualem, ſicut ad omnes Bonos qui nos mutuò redamant; Vel ex naturâ rei & quaſi in Semine, ſicut ad Malos qui etſi adhuc nos non amant, tamen quatenùs non deſperamus quin poſſint fieri nobis Amici, quodãmodò quaſi amaturos nos colimus. Noſmetipſos autem redamare non poſſumus; cùm, quando nos amamus, ſtatuamus noſ-

metipſos adverſus nos tanquam rem quæ tantummodò objecti rationem habeat, à quo non expectamus retributionem. Similiter Irrationalia per Virtutem Charitatis diligimus, quando ea nobis vel aliis conſervamus, & miſeramur quoties ſine debito ſine deteriorantur.

7. Patet quoque ex dictis Dilectionem Dei eſſe quodammodò imperfectiſſimum actum Charitatis debito modo exercitæ. Cùm enim dilectio cæterorum ex Charitate eam includant, eſt quædam extenſio & additio ad eam, & per conſequens perfectior eâ præcisè. Quod non impedit quin in formali conſideratione ex vi objectorum & comparationis ad objecta infinitè illam ſuperet. Addit autem Charitas ſupra Dilectionem quòd ſit conſtans quædam & radicata inhæſio, talem enim Dilectionem ſonat Amor. Et quamvis de Amicitiæ ratione magis ſit amare quàm amari, tamen in Charitate præſtantius eſt amari quàm amare; quia reverâ Amicitiæ ratio ex parte hominis deficit, ut dictum eſt. Unde manet præcipum in Charitate noſtrâ, quantum Amicitiæ rationem habet, eſſe quod infundatur à Deo; ſeu, quòd ſit quodammodò ipſe Amor Dei erga nos. Unde ſæpè dicitur ipſemet Spiritus Sanctus, ſeu Spiritus Sanctus

per

per ipſam inhabitare in nobis. Eſt itaque æſtimanda quaſi Amicitia Dei verſus nos, non noſtra verſus Deum.

TRUTINATIO
QUARTA.
DE
Oratione eſſentiali & ſpeciali.

1. AB exercitio Fidei & Spei & Charitatis ex naturâ rei oritur quædam naturalis propenſio ſeu habitus, nō quo poſſimus duntaxat frequentare actus earundem, verùm etiam ut velimus. Unde fit, ut ſæpè diuque cogitemus de Deo & Divinis. Et hoc vel contingit per motum quendam quaſi naturalem ſine noſtrâ electione, vel per electionem: Si ex motu quodammodò naturali & quaſi ſine nobis, dicitur *Oratio*. Sin per Electionem fiat, vel ordinatur ad Affectus vel Judicia ad actionem neceſſaria elicienda immediatè; vel tantummodò ad cognitionem & veritatis inquiſitionem: Et priori modo iterùm *Oratio* appellatur; poſteriori modo *Studium* quoddam eſt, etiamſi remotè ordinatum ſit ad pietatem. Aliqui Pietatis Magiſtri illam orationem pluris æſtimant, quæ naturali quodam mo-

tu à Deo introducitur ſine electione noſtrâ, eum credentes eſſe ductum Spiritûs Sancti; & quaſi à Spiritu Sancto regatur homo in illâ Oratione, nihil humanis operis, niſi quando deſerit nos ille fervor, connitendum eſſe aut moderandum. Verùm in eo falluntur: Etſi enim Spiritus Sancti influxu moveatur homo in iis motibus, non minùs eodem Spiritu regitur quando per electionem procedit. Sed intereſt Inſtrumentorum quibus nos agit: Priores enim agit quodammodo merè per motum quendam ſpirituum corporeorum, etſi pertingentium ad intellectionem & volitionem; Poſteriores verò per motus proprios Animæ ad eoſdem affectus deducit.

2. In his itaque ſpirituales effectus per ſpirituales cauſas; in illis verò ſpirituales quidem effectus, ſed per inſtrumenta corporea perficit; & laborioſiores ſunt poſteriores motus, feliciores priores. Sed quia excellentia ex effectis judicanda eſt, & affectus priorum ſunt affectus validi, utpote ex corporeis impreſſionibus nati, effectus verò poſteriorum ſint pacatæ quædam diſpoſitiones Animi, fortes quidem illæ, ſed ſine tumultu in quiete conſiſtentes, hoc eſt, magis ſpirituales & magis

gis propriæ Animæ, propterea eſſentialiter præferenda eſt poſterior cultura priori; etſi per accidens propter facilitatem, & in principiis præſertim vehementiam, prior modus poſſit certis perſonis eſſe commodior et melior. In eo tamen aliqui graviter errant quòd nihil putent moderandum in priori viâ, cùm maximè ſubjecta ſit cautioni. Etſi enim procedat à Spiritu Sancto, non tamen (quod ſibi perſuadent) immediatè, ſed mediantibus cauſis quæ cùm non gubernentur à Ratione, ſicut in poſteriori viâ, ſed per impetus corporales, magis propterea ſunt ſubjectæ lapſui & errori.

3. Ex eo quod Fidelis ſæpè cogitat & afficitur ad Beatitudinem, & videt ipſius aſſecutionem non eſſe in ſemetipſo poſitam, ſed pendere ex accidentibus quæ ſolus Deus moderatur & potens eſt rectè ordinare, naturaliter inclinatur Homo ab intimo corde à Deo rogare ut miſericorditer illa accidentia ſic diſponat quomodo opportunum eſt ad hoc ut Fidelis Beatitudinem conſequatur. Natus eſt itaque hunc affectum ſuum exprimere illis ſententiis mentalibus quas ad effectum conſequendum maximè credit expedire. Et hæc ſive Precatio ſive Supplicatio, plerúm-

rúmque ſpecialiter Orationis nomen ſibi vendicat. Neque Orationis priori modo dictæ opus eſt fructum ſeu effectum indagare, palam enim eſt eſſe augmentum & conſtantem cultum earum Virtutum quæ per illam exercentur, & eorum omnium bonorum quæ ex illis virtutibus nata ſunt ſequi. Similiter, cùm hoc poſteriori modo dicta oratio includat Deſiderium illorum Bonorum quæ ad Beatitudinem vel ſunt neceſſaria, vel certè multum conferunt, palàm eſt ex vi hujus Orationis generari in homine attentionem ad illa quæ hæc ipſa Bona nata ſunt illi afferre, ut omnes occaſiones illorum bonorum acquirendorum captet, & quæ in poteſtate ſuâ credit poſita promptè & diligenter ad eoſdem fines perficiat. Eò uſque igitur nulla eſt difficultas quin oratio ſupplicantis proficiat ad ea bona adipiſcenda quæ à Deo poſtulat.

4. Sed quia omnis rogans ex conſuetudine humanâ perſuadet ſibi quòd ex vi orationis ipſius moveatur rogatus ad agendum quod rogatur; hoc inquirendum manet, quatenùs hoc ad Deum & orationes noſtras transferre oporteat. Quâ in quæſtione hoc ultra omne dubium evidens eſt, & Eccleſiam ſic orare & ſemper oraviſſe, & à Prophetis & Apoſtolis hanc orandi me-

methodum didiciſſe,& ab ipſo ChriſtoDomino iis vocibus accepiſſe, ut de illarum ſenſu quòd ſit legitimus nullatenùs ambigi valeat. Quo poſito conſequens eſt expectare Fideles ex vi promiſſorum Chriſti Domini preces ſuas exauditum iri, & ratum apudOmnipotentiam futurum quod illi rogant ut oportet. Et quoniam Chriſtus Dominus ipſa Veritas eſt, nihil item dubium eſt vota ipſorum Fidelium non alio ſenſu vel modo complenda fore ſed ipſo & eodem quo ipſi poſtulant, quatenùs ex Ipſius præcepto poſtulant. His ex unâ parte ſtatutis,ſiſtamus ex alterâ Divinam Providentiam, quæ à principio rerum iis ordinem inevitabilem & non mutandum impoſuit; & videamus (quoniam hoc ipſum quoque ultra aleam diſputationis certum eſt) quomodò ex precibus hodiè petentis aliquid fieri poteſt quod ſine his precibus futurum non erat. Neque tanta eſt quantam primo aſpectu ſe promittit hæc difficultas. Viderit enim vel provîderit magis in annum ſexageſimum currentis ſæculi Deus copioſam meſſem, num propterea dicendum erit ſi ſemina jacta non fuiſſent meſſem in horrea fuiſſe convehendam? Credo neminem tam inſipidum fore qui non intelligat eum qui meſſem providit, etiam Sementem

præ-

præſcripſiſſe quando facienda foret. Sic itaque preces providit Deus quando proſpexit ut hoc, quod ſine precibus non erat patrandum, fieret.

5. Moventne itaque Deum humanæ preces? Si hoc ſignificet *movere Deum* quod *mutare ipſius voluntatem*, palàm eſt ex eo quod reſponſum eſt voluntatem ipſius eſſe æternam, ſic non movere Deum. Si hoc dicatur movere Deum, determinare actionem ipſius quæ prius erat indeterminata, vel per cæteras cauſas ſecundas aliter determinata, ad hoc petitum obiectum, ſic verè movet Deum precatio Fidelis Populi. Majorem tamen vim habet Oratio Fidelium quàm occurſus quaſi fortuitus cauſarum efficientium, quantùm potentia cauſæ Finalis cæteris præſtat. Preces enim Fidelium faciunt objectum quod per eas rogatur eſſe melius quia petitum eſt, cùm aliud fuiſſet melius niſi hoc exoratum fuiſſet. Idcircò autem melius eſt factum, quia jam vim habet in ſe motivi ut alii alia petant quia vident hæc vota eſſe exaudita & completa; valdè autem Eccleſiæ ſit neceſſarium ut ſæpè & frequenter oretur Deus. Neque dignam moram fecerit qui obiecerit non convenire Fidelibus ut orent Deum mutare anſularem cauſarum

pro-

progreſſionem ; tum quia videtur tentatio Dei & poſtulatio Miraculi, tum quia, cùm Deus ex ſeſe Optimum ſemper faciat, ideò non poterit mutari conſtitutio ipſius niſi in pejus. Et ut regrediamur quibus paſſibus argumentum proceſſit, inquimus, Non idem Optimum eſſe in variis conditionum texturis; atque adeò ipſam imperfectionem creaturæ alicujus, præſertim humanæ, poſſe facere ut aliud ſit optimum quia ipſa imperfecta eſt, quam foret ſi non eſſet imperfecta : Creaturam proinde aliud conſilium Dei vice alterius efficere, utrumque tamen optimum ; illud nimirùm ſi Creatura non oraviſſet; hoc, quia oravit.

6. Ex quo ad anteriorem arguentis Syllogiſmum dicimus, non ſemper eſſe tentationem Dei quando Miraculum poſcitur, ſed interdum & poſci & impetrari Miraculum abſque eo quòd intelligat orans ſe miraculum poſcere; quo in caſu clarum eſt nullam eſſe tentationem Dei. Interdum autem, quando ſic expedit Eccleſiæ, Miraculum ex ipſo impulſu Spiritûs Sancti petitur & impetratur cum magnâ Fidei laude Impetrantis. Sed quod magis ad rem noſtram attinet, duplex eſt mutatio ordinis Divi-

Divini in creatis impreſſi; Una, quæ ſit per hoc quod aliqua Creatura Angelica immiſceatur extra citum motûs Univerſalis, & hæc mutatio propriè miraculoſa appellatur: Alia ſit vel intelligatur potiùs originata ab ipſo Mundi principio, per hoc quòd Providentia Divina prævidens vel potius præordinans Fidelium preces, ſimul ordinat ſeriem cauſarum materialium talem, ut quæ ipſi per preces deſiderant ſequantur ex ipsâ ſerie cauſarum; quæ tamen ſeries cauſarum non fuiſſet futura niſi ipſi preces fuiſſent futuræ, & circumſtantiæ congruentes; in quibus appareret ea quæ eveniunt eſſe effecta ipſarum precum, & ſic ſequeretur accenſio affectuum orandi in Eccleſiâ, & ſpes deſiderata conſequendi, quæ neceſſaria videt Deus rectæ gubernationi Eccleſiæ. Quare, qui ſic orant, non petunt Miracula, ſed effectus connaturales gubernationi Mundi; atque proinde non tentant Deum ſed præcepta ipſius exequuntur.

TRU-

TRUTINATIO QUINTA, DE *Perfectione & gradibus Orationis.*

1. DIces, ſaltem Imperfectum eſſe hunc procedendi modum, atque adeò melius eſſe nihil à Deo petere, ſed quaſi permittere illi curas ſuas, & cum gratiarum actione ſuſcipere quicquid ipſe per cauſas ſecundas egerit. Concedendum eſt illatum, modò cum ſale intelligatur: Quædam enim ex agendis per Deum pertinent ad ipſam Creaturam, & ſunt agenda ipſius, ſeu Dei per illum: Et de his oportet ſollicitum eſſe hominem, ut quantum requiritur ex ipſius parte ſuppeditetur Deo quàm optimè, propterea enim homini dedit Mentem & conſilium. De his itaque ſatagendum eſt homini, & petendum à Deo non ut ſucceſſum habeant, ſed ut ab ipſo homine fiant ſicut oportet. De cæteris verò, inter quæ computantur illa omnia quæ pro aliis petimus, meminerit ſententiæ ſalvatoris

Scit

Scit Pater veſter quibus opus habetis; & rurſum, *Scit Pater veſter bona data dare Filiis ſuis*; &, *Quærite regnum Dei, & cætera adjicientur vobis.* Unde clarum eſt non indigere Deum ut vel ſuggeratur ipſi quid Fideli opus ſit, vel ut ipſi per preces eum ſollicitent; ſed ipſis Fidelibus neceſſe eſſe ut de virtutibus & regno Dei acquirendo ſolliciti ſint, quia talis ſollicitudo eſt ipſa via & procuratio Beatitudinis & Virtutum ad eam ducentium, de quâ ſolliciti ſunt. Satius itaque eſt Viro qui hæc intelligit nihil in ſpeciali à Deo petere, ſed duntaxat in communi ut Mundus rectè gubernetur, & ſibi ut convenientia ad Beatitudinem ſufficiantur.

2. Sicut docuit nos Chriſtus Dominus in Oratione quam ſuo ore dictavit, imperans petere ut *ſanctificetur nomen Dei*, hoc eſt ut opera ipſius benedicant ei, ſive gloriam ipſius manifeſtent per decorem & per utilitatem quam exhibent. Ut *Regnum Patris adveniat*, hoc eſt, ut Eccleſia Dei & Electorum illud augmentum & perfectionem adipiſcatur, quæ neceſſaria eſt ut Chriſtus, ceſſante jam adminiſtrationis motu, poſſit in manus Patris reddere imperium quod ab eo accepit. Tertiò, ut ſinguli

Fi-

Fideles adeò perfectè ſint conformes Dei adminiſtrationi in omnibus ſuis actionibus quàm ſunt Sancti in Cælo. Sic vides tres petitiones eſſe vota & deſideria ut Mundus & univerſaliter & particulariter optimus ſit. In ſequentibus petuntur primò neceſſaria petenti in *hunc diem* quem inchoat, quaſi qui neſciat an longior vita ſit ſibi conveniens. Petitur proximè vitæ præteritæ Correctio, ut omnes affectus quos hactenus habuimus pravos & imperfectos jam deſinant. Tertiò, ne novos affectus pravos contrahamus; & tandem, ut avertatur quicquid mali Diabolus adverſum nos machinabitur. Sic itaque vides & in communi & in ſpeciali nos à Chriſto eſſe eruditos quid deſiderare oporteat; ex quo diſcimus quòd quæ cumque alia deſiderare imperfectionis ſit.

3. Si tamen non poſſimus continere animum noſtrum ab affectibus vilioribus, non prohibet nos Chriſtus ſpem noſtram in Deo ponere, & hæc ipſa ab illo petere ſub beneplacito Voluntatis Divinæ, ut ex frequentibus ipſius cohortationibus ad orandum conſtare poteſt; & clariſſimè ab exemplo myſterioſi horti, ubi ad vitam noſtram informandam permiſit imbecillitati Naturæ ardentiſſimè rogare quod ſcie-

ſciebat non concedendum, neque abſolutè volebat concedi; teſte ipſomet cum Petro diceret, an putas ſi rogarem Patrem non concederet mihi duodecim Legiones Angelorum? Non fuit itaque prior Oratio vera Rogatio ſed conditionalis. Verúm, ulteriùs quæritur an ſaltem uti debeat perfectus formâ allocutionis quâ loquatur Deo. Dum enim conſtat quòd Deus intelligat deſideria noſtra quantumvis non expoſita, ad quid ſervit forma Allocutionis? uel, cur non præſtat reſolutio interna agendi quod in ſe eſt, remittendo cætera Divinæ Providentiæ?

4. Neque dubium eſt quin in hujusmodi efficaci deſtinatione ad opus, cum agnitione quòd nihil de nobis poſſimus, ſed è Cælo advenire nobis debeat ſucceſſus, conſiſtat ſubſtantia Chriſtianæ pefectionis: ſed forma hæc Allocutionis mirè auxiliatur homini adhuc in carne conſtituto. Eſt enim quædam Rhetorica incitatio, trahens ſecum ſpiritus qui faciunt in interiorem animã validam & naturalem impreſſionem. Si quis tamen ſeſe majorem ſentiret his motibus, adeò ut ſine illis, ex ſolidâ quiete puræ Viſionis veri, fortiùs operaretur; vel etiam, conſcius hanc formam Metaphoricum quid eſſe & non ſerium, eam averſare-

tur

tur non foret condemnandus. Neque obſtat quòd Chriſtus Dominus & Sancti (quantum ex iis colligi poteſt) ſemper hâc formâ uſi ſint; Chriſtus enim Dominus ad informandam Eccleſiam non ad ambitum exorandi eâ formâ uſus eſt; quandoquidem ſciebat jam præconceſſum eſſe quod petebat, ut ipſe nos docet. De Sanctis plerúmque quòd uſi ſint ſpirituum agitatione in oratione clarius eſt quàm ut diſputari poſſit. Quid verò in ſummâ ſolitudine Animi & attentiſſimâ oratione fecerint, ſoli Deo, quod ſciam, manifeſtum eſt.

5. Ex dictis facile eſt deducere quid de Sanctorum orationibus pro nobis dicendum ſit. Cum enim Sancti noverint Voluntatem Dei, quid illi placeat in iis quæ illorum interceſſione futura ſperamus, palàm eſt precationem illorum pro nobis non aliam eſſe quàm ut (quàm optimè per gubernationem mundi liceat) nobis provideatur, ſive in communi ſive in hoc ſpeciali negotio; qui etiam eſt affectus quem nos ipſi ſolum bonum & perfectum habere pro nobis ipſis poſſumus.

6. Ex dictis hactenùs de oratione conſtare poteſt, priorem modum orationis non eſſe aliud quàm puram exercitationem Virtutum Theologicarum, aut actuum ejuſdem

dem rationis, ſeu illis analogorum; nempe aſſenſuum circa Divinas Veritates quæ movent in nobis Spem & Charitatem, & affectus earum vel illis analogos. Orationem verò poſteriùs explicatam eſſe arte factum quoddam Intellectivæ facultatis Practicæ, hoc eſt, moventis voluntatem (ut in Imperatione, Comminatione & ſimilibus) ſimile illis quibus Oratores publicè populo vel Judicibus perſuadere nituntur, vel privati familiariter inducunt alios ad quidpiam concedendum vel agendum. Eſt itaque propriè nullius Virtutis actus, ſed cujuſdam Facultatis; etſi materialiter conſtet iiſdem actibus quibus prior oratio. Non itaque eſt actus Religionis formaliter, ſed imperativè.

7. Ex eo enim quòd per Charitatem affecti ſumus ad Beatitudinem, naſcitur in nobis ordo quidam virtutum per quem Anima dirigit omnes actiones ſuas ad Beatitatem concupitam, in quo ordine illuſtrior portio eſt illarum actionum quibus Anima magis per ſe adjuvatur; hoc eſt, illarum quæ patenter & immediatè concurrunt & ſubſerviunt orationi explicatæ. Ex eo namque quòd Hominis Voluntas extrinſecùs à corpore moveri nata eſt, & iterùm activa eſt & effundit ſe ad alia, fit ut quædam a-

ctiones

ctiones neceſſariæ ſint ad præveniendam orationem, immiſſis quaſi monitionibus in mentem per ſenſuum aditus; aliæ natæ ſint ſecundùm quod Homo de ſe & ſuis ratiocinatur ex corde naſci & fluere ad exteriora. Et virtutem quidem quâ ad hæc afficimur vocant Theologi *Religionem*. Eſt itaque *Religio* conſtans affectus animi agendi ut oportet ea quæ ad cultum Dei, hoceſt ad Orationem, pertinent. Sunt autem illa plerumque Externa & Corporalia; ſed tamen aliqua ſic Interna ut etiam de exteriori participent; & ſint quaſi media vel compoſita ex Interioribus & exterioribus: Et numero ſunt duo; vel enim conſiſtunt in applicatione noſtrorum exteriorum ad Deum, & pertinent ad Adorationem; vel in applicatione Dei ad noſtra, quod fit per Iuramentum.

8. Noſtra applicantur Deo vel per Donationem, vel per Promiſſionem. Donatio purè Externa eſt, Promiſſio vel Interna vel Externa; & utraque ad Orationem pertinet. Proponit enim Apoſtolus, 1æ ad Tim. 2° quatuor quaſi gradus Orationis; Græcè δεήσεις, προσευχὰς, ἐντεύξεις, εὐχαριστίας. Interpres noſter δεήσεις reddit Obſecrationes, neque malè: Δεήσεις enim ſunt preces indigentium; qui quia non habent merita aliqua, ſolent per Sacra obteſtare; ut quando propter amorem Dei vel Beatæ

Virginis rogant ſibi ſubveniri. Προσευχαὶ verò interpretantur *Orationes* : Eſt autem εὐχὴ *Votum*. Significat ergo eam orationem ſeu rogationem, quæ urget ſubſidium ex ſpe emolumenti adventuri ſubvenienti, præſertim ex promiſſis orantis, ut videmus in Pſalmis Laudem & Sacrificium promitti Deo. Ἐντεύξεις explicat *Poſtulationes*. Poſtulo autem dicitur quaſi *poſculo*, hoc eſt, frequenter poſco; & ſignificat ardentem & attentum affectum rogantis qualis eſt habentis Spem immediatè occupandi Bonum Concupitum, de quo eſt illud dictum, *poteſt, quia poſſe videtur.* Ἔντευξις etiam Græcè ipſam potitionem ſeu occupationem rei deſideratæ ſonat. Εὐχαριστία autem clarè conformis eſt Latinæ voci *Actionis gratiarum.*

9. Ex quibus patet diſtributio Orationis in hæc capita; cùm enim omnis actio habeat Principium Medium & Finem, ſi in Motu conſiſtat, & finitâ actione nihil natum ſit deeſſe quod per actionem acquirendum ſit; de hoc Gratiæ agendæ ſunt, reliquis tribus conveniunt ordine eodem tres Orationis gradus, prout explicatum eſt. Patet itaque *Votum* eſſe quandam partem Orationis, quâ aliquid Deo promittitur ut aliud impetremus. Et hæc quidem

dem eſt naturalis voti geneſis. Extendit tamen ſeſe Votum etiam ad Promiſſiones ſine ſpe retributionis, generalis enim retributionis ſeu Ultimæ Beatitudinis expectatione nulla actio Chriſtiani debet eſſe libera. Ulterius, cùm nihil Deo valeamus donare præter Laudem, *Dixi* enim (ait Propheta) *Domino, Deus meus es tu, quia bonorum meorum non indiges*, patet Votum oportere eſſe de facto aliquo unde reſultet Honor & Laus Deo. Et cum non laudemus aliquem niſi de inſigni aliquo bono, rurſus fit evidens, materiam voti eſſe factum aliquod illuſtre quod convertat in ſe oculos & animos hominum, unde ſurgant ad Laudem Dei, Ex quo concluditur leviculas actiones & ſecretas non ingredi materiam Voti. Quare, neque interiores affectus & interiorum Virtutum actus; niſi fortè per accidens quatenùs faciunt vitam exteriorem talem ut inde laudetur Deus. Advertendum tamen, hæc ſic intelligenda ut illuſtre factum intelligatur in proportione ad agentem, & non ut inter Pueros & Plebeios requirantur actiones Heroum & Principum, ſed quales ſunt extraordinariæ & Laudabiles inter illos. Dices, in die Iudicii etiam intimos actus ceſſuros

 in

in Laudem Dei & manifeſtatum iri omni creaturæ,quare erunt etiam illi objecta votorum. Reſpondetur, Deum non petere Laudem & Honotem ſui ſed Hominum gratiâ, *ut impii ad ipſum convertantur*, hoc eſt, eam Laudem quæ ſervit bono Proximi & Eccleſiæ. In die autem Iudicii, cum jam perfectum eſt opus Eccleſiæ, Laudem non amplius eſſe Bonum Deo. Unde ea de quibus non prius laudabatur Deus nihil ad eum pertinent. Secreti proinde actus non ſunt materia Voti,cujus eſt Bonum aliquod Deo offerre ut aliud conſequatur.

TRUTINATIO
SEXTA.
DE
Obligatione & Perfectione
VOTI.

1. DE Obligatione Voti ex iis quæ de Promiſſione ſuprà dicta ſunt pronunciandum eſt Votum obligare ex virtute Con-

Conſtantiæ quam debet ſibi Homo, & quidem magis circa Promiſſiones Deo factas quàm hominibus, quantò excellentiora Bona ſunt Divina humanis, & quantò majorem reverentiam debet homo Deo quàm Proximo. Verùm, ex eodem capite ſolvitur vovens ab Obligatione quam erga homines contrahit, ut teneatur implere illa quæ viſus eſt promiſiſſe etſi non illa verè pollicitus fuerit; quia Deus cor videt, & ex ambiguæ elocutionis ſive per voces ſive per circumſtantias Amphibologiâ nihil lucratur. Quod intelligendum eſt ſi Votum non fuerit manifeſtatum; & proinde ex vi honoris Deo præſtandi non teneatur homo ea facere quæ homines ædificandi expectant. Simile quidpiam eſt de Obligatione ex vi acceptationis. Cùm enim nihil Utilitatis Deo afferat Laus & quæ Laudem creant; neque pendeat Deus quoad ſuas operationes ex promiſſis creaturarum quæ ſatis prævidit ſintne ſolida futura nécne, ex illâ parte nulla Obligatio accreſcit voventi, quandiu nulla Lex Poſitiva, ſive Divina ſive Eccleſiaſtica miſceatur; quæ ſi miſcentur, non ſpectant niſi ad Providentiam externã, & circa illa quæ homines in rationes nati ſunt reducere; & propterea ex iis quæ dicta ſunt Legibus æſtimare oportebit an

Votum ſit talis Natnræ ut ex acceptatione obligationem creet.

2. Ex iiſdem Legibus & Conſuetudine ſaltem per argumentationẽ à paritate pendet definitio Deliberationis ſufficientis ſeu maturitatis ad emittendum Votum obligatorium : Cujus proportio ex naturâ rei ſumitur ex Materiâ Voti. Cùm enim major deliberatio requiratur ad negotia majoris momenti, non eſt ſtatuenda una regula omnibus votis. Votis itaque quæ totam hominis vitæ rationem implicant, qualia ſunt vota Caſtitatis, Religionis &c. requiritur æqualis deliberatio illi quæ petitur ad Hereditatem & poſſeſſionem paternorum bonorum, vel potiùs Adminiſtrationem ineundam. Videbitur alicui ætas quæ ad Matrimoniũ cenſetur idonea ſimilibus etiam votis ſufficere, quia Matrimonium eſt quædam diſpoſitio de toto vitæ curſu : Et cedendum eſt comparationi cum diſtinctione quidem, ſed utriq; parti applicandâ. Vel enim interveniunt Parentes ſive in Matrimonio conciliando ſive in voto edendo vel non : Et Reſolutio poſita procedebat de caſu quo Parentes ſeu Tutores nihil conferunt, ſicut quando Adminiſtratio Hæreditatis aditur. Quia autem Libertas Filiorum in immaturâ ætate nondum eſt plenè ipſorum, ſed ex parte

te

te in Parentibus vel Tutoribus, Inde fit iis vel conſentientibus vel dirigentibus valere Promiſſionem & Votum quæ alioqui non haberent idoneam cauſam. Ut enim ſuprà patet tenendæ Promiſſionis ratio eſt, quia cùm fieret erat ex ratione illam facere. Loquendo verò abſtractè ponitur ſufficiens cauſa ut rationabilis ſit Promiſſio quando Parentes & Tutores, ſi ipſimet habentur pro prudentibus & amicis eam permittunt & dirigunt.

3. Urgebis, minorem ætatem requiri à Legibus ad validandum Matrimonium quàm ad Adminiſtrationem Bonorum. Reſpondeo, me non intelligere rationem talium Legum. Unde, ut hujuſmodi Conſtitutiones, ubi ſunt, tenendæ ſunt quia Leges ſic ordinant; ita non ex vi ipſius Pacti vel Promiſſi nudè ſumpti, ſed ex obedientiâ debitâ Legibus tenenda ſunt Promiſſa, ſive Matrimonialia ſive Votiva. Patet ulterius, ex eo quòd Votum ſit pars quædam Orationis, quòd ſit actus ejuſdem facultatis, nempe Intellectûs Practici, & qnòd non ſit immediatè actus Religionis ſed imperatus ab actu Religionis. Neq; obſtat quòd Votum ſit ordinatio alterius actionis pertinentis ad cultum Divinum; Religio enim eſt Virtus quædam in Voluntate, unde ad Iuſtitiam re-

reducitur à Sancto Doctore; & non eſt ordinatio quæ eſt actus Intellectus, ſed Affectûs, ex quo procedit tanquam imperante Cultus Divinus; & cùm inter cætera per quæ Cultus Divinus perficitur unum ſit ut aliqua rectè ordinentur quod eſt officium Intellectûs, Religio imperat Intellectui ea ordinare, quorum unum eſt emittere Vota.

4. Unde elicitur declaratio illius quæſiti, num melius ſit agere ex voto vel ſine voto: Sicut enim clarum eſt melius eſſe formaliter & abſtractè loquendo, agere ex causâ Voti, ſic evidens eſt eum qui agit præciſè quia tenetur Voto, & non ex eo motivo propter quod fecit Votum, clarè non æque benè agere atque qui agit ex illo affectu vi cujus ipſum Votum fecit. Præterquàm quòd imperfecta eſt actio agentis præciſè ex vi Voti, quia eo ipſo inconſtans eſt reſpectu illius voluntatis quam habuit quando fecit votum. At, ſi ponatur Agens ex vi voti non præciſè agere ex obligatione propoſiti, ſed etiam ex Voluntate, quâ ratione ſeu operante obligatione Voti conſervat etiam Voluntatem perpetuandi actionem ex motivo propter quod fecit Votum, ſic melius eſt agere ex Voto quàm ſine Voto; vel potiùs, melius eſt homini ex eo quòd ha-

habet Votum, quàm ſi non haberet. Dices, qui agit ex Voto & ex affectu quo ipſum Votum edidit ex geminâ Virtute agere, & per conſequens meliùs illo qui ex ſolo affectu agit: Verùm, ſi affectus retinendi Voti non ſit niſi Religionis Virtus, & affectus edendi votum fuerit idem & eadem vis Animi diſperſa circa duo objecta materialia (conſervationem nempe Voti & effectionem rei quam voverat) ſi non inde reddatur minor, certè nullo modo evadit major; non erit perfectior operatio ex eo quòd procedat ex vi Voti quàm ſi procederet ſine cogitatione de Voto.

5. Aliud ſolet afferri, quòd ſicut donans Arborem & Fructus plus donat quàm ſi ſolos Fructus donaret, ſic qui ſe obligat Voto meliùs facit quàm qui ex purâ Bonitate aliquid agit. Sed neque exemplum eſt propriè verum, neq; illatum. Si enim propterea dicatur plus dare quia dat lignum arboris & fructum quàm ſi ſolum Fructum donet, verum quidem eſt, ſed non applicabile ad propoſitum; niſi quis velit ipſam quoque Animam donari cum Voto, quam non credam eſſe Authorum mentem. Si autem ſenſus ſit plus Fructûs dari, debet ſupponere eum qui facit actum abſtrahendo à Voto, non elicere actum circa totam vitam ſuam ſed dunta-

xat circa præſentem actum, quod eſt mutare Subjectum actionis : Ac ſi diceres, qui donat fructus omnium annroum dat amplius quàm qui donat fructus unius Anni ſolius; Quod clarè quidem verum eſt, ſed non contingit Quæſtionem, quæ procedit circa actus qui ſunt circa idem objectum ex diverſis tamen cauſis. Vel itaque ponendum eſt actum ſeu intentionem operantis abſque voto ſe extendere ad totam vitam, vel actionem ex voto ſe extendere duntaxat ad præſentem actionem ſeu materiam ut rectè fiat comparatio. Neque refert quòd Intendens poſſit non perficere, ſed Vovens teneatur perficere quod vovet; Intendens enim ſi non perficiat reus eſt Inconſtantiæ; & Vovens non eſt magis reus niſi propter externam obligationem accedentem ex vi Propalationis, quæ neceſſitas eſt accidentaria & non ex vi Voti, neque neceſſariò reſpicitur in agente ex vi Voti.

6. Ex dictis mihi ſatis videtur patere, quòd ubi de ſummâperfectione eſt quæſtio, & ex ratione illius Perfectionis talis Actio tribuenda eſt ſive modus actionis, quòd nulla mentio de Voto habenda ſit. Sicut, quando quæritur an Beata Virgo emiſerit Votum Virginitatis ante Annunciationem, non eſt tutum ſic arguere; Dicit ſe *non cogno-*

gno-

gnoſcere Virum, & hoc intelligendum non eſt de præterito quaſi quòd nondum cognoviſſet Virum, patet enim quòd Angelus de futuro loquebatur; ergo, Beata Virgo obligaverat ſe Voto ad non cognoſcendum virum. Poteſt enim alia intercidiſſe cauſa; &, ſi Hiſtoriam conſulas, planè videtur fuiſſe quia nondum nubilis foret, ſed data à Parentibus Ioſepho tanquam pupilla donec corpus, ætate adveniente, fieret idoneum; talia enim Matrimonia frequentia ſunt inter probos, ut poſt Matrimonium ratum Conſummatio differatur ætatis vel valetudinis causâ. Docet enim Hiſtoria Sanctam Virginem non niſi tredecennem fuiſſe quando concepit de Spiritu Sancto, quæ ætas plerumque nondum eſt matura Viro; & decebat talem Conceptionem illa ætas quæ de ſe præferret non fuiſſe opus Viri illam imprægnationem. Et ipſa mora quæ in ſacrâ Scripturâ inſinuatur quâ in domo Ioſephi manſit intacta, abſque ullâ ſignificatione alterius impedimenti, idem confirmat.

7. Simile eſt de Apoſtolis & primis Chriſtianis, an in vi Voti alicujus Communitatem bonorum iniverint & paupertatem tenuerint. Non enim conſequens eſt, vivebant communiter, ergo ex Voto. Neque obſtat quòd Ananias & Sapphira condemnati

ti ſint eò quòd mentiti ſint Spiritui Sancto: Palàm enim eſt quòd dicebant ſeſe totum prætium afferre cùm non afferrent, quod eſt clarè mentiri. Non itaq; adeò faciliter ab Actu ad obligationem Vóti tranſiliendum eſt. Votum enim ſignum imperfectæ perfectionis eſt, cùm ſit ex naturâ rei quædam captivatio hominis ex conſcientiâ imbecillitatis propriæ, propter quam non confidit ſe actionem quam intendit perfecturum, niſi aliquo modo vinculum ſibi imponat. Non itaq; Principiis Chriſtianæ vitæ quibus ebulliebat Sancti Spiritûs fervór digna ſunt Vota, ſed medio cuidam ſtatui Eccleſiæ ſunt convenientia.

INSTI-

INSTITUTIONUM ETHICARUM, SIVE STATERÆ MORUM, EXAMEN UNDECIMUM, DE Adoratione & Iuramento.

TRUTINATIO PRIMA. DE *Adoratione, & ſpecialiter de Vocali.*

1. ORationi quæ in interioribus actibus completur reſpondet in Corpore *Adoratio*. Sicut enim Oratio, ſecundùm eſſentiam ſeu prout naturaliter procedit ab Homine,

mine, conſiſtit in exercitio Fidei, Spei, & Charitatis, quæ ſunt agnitiones Summarum in Deo Excellentiarum, & ſubjectiones Animæ ſub Deo propter illas perfectiones: Sic Adoratio corporaliter eaſdem perfectiones agnoſcit,& humiliat ſe Deo propter eaſdem. Unde patet duplex Adorationis ſeu Finis ſeu Fructus: Alter, ut totus Homo applicetur Divinis, & ſive per extenſionem affectionum Animæ ad Corpus, ſive per miniſterium Corporis ad augendas & creandas rectas Animæ affectiones, ipſe Homo pleniùs & perfectiùs Deo conformetur & uniatur. Alter fructus eſt, ut per teſtificationem quæ eſt in Adoratione, propagentur iidem affectus ad circumſtantes & ſpectantes, & Eccleſia Dei creſcat & perficiatur.

2. Habitâ ſic Adorationis Eſſentiâ, facile eſt conſiderationem derivare ad præcipuas ipſius ſpecies ſeu potiùs Analogata; nempe, quòd alia Adoratio ſit Formaliter talis, alia duntaxat Virtualiter. Formalis Adoratio eſt quoties intentio prima & immediata actionis alicujus eſt agnoſcere aliquam Excellentiam Divinam & eam teſtificari ſive ſibi ſive aſpectantibus: Et hæc vel fit per Voces vel per Signa muta, vel utraque conjuncta. Quando fit per Voces

ſolet

ſolet vocari Oratio Vocalis, & plerumque eſt artificioſa compoſitio Vocum, apta Animæ Deum humano more perſuaſibilem apprehendenti, & eum iis vocibus alloquenti quæ homini perſuadendo natæ ſunt. *Alloqui* hic ſumimus latè, prout ſignificat Exprimere mentem alicui, ſive forma perborum procedat in ſecundâ perſonâ, ſive ad alios quaſi in auribus Dei deſtinetur; ut quando decantantur Laudes & Hymni, vel per modum ſuarum meditationum Dei magnitudo exprimitur? Omnia hæc ad Adorationem Formalem Vocalem pertinent.

3. De his nulla poteſt eſſe quæſtio quin per ſe requiſita Attentio, ſit attendere ad ſenſum ipſarum Vocum; non magis quàm quæri poteſt de fodiente terram, an debeat curare ut foſſam agat: Ad hoc enim Voces factæ ſunt ut exprimant mentem Loquentis. Si itaque non ſit illa Mens in Loquente quæ in Vocibus, Verba vana ſunt. Rurſus, ſecundaria intentio loquentis eſt ſenſum Vocum in Audientes introducere; quod imperfectè fit niſi procedant ex conformi mente in loquente; perit enim tota vis Elocutionis tantum ab Oratoribus æſtimata. Et hoc quidem dictum eſto per ſe & ex debito Orationis. Poteſt autem deficere tribus occaſionibus, vel quia non poteſt

teſt attendi, vel quia Orans conatur ſed non perficit aliquo Vitio ſui, vel quia videns voléntſque ex intentione ad alia mentem divertitur. Prima ratio invenitur in illis, qui in Idiomate ſibi ignoto preces recitare conſueverunt. Et his clarum eſt ſufficere Univerſalem intentionem dicendi quæ credunt rectè in peregrino Idiomate explicata; hoc eſt, affectu orare, non intellectu. Unde evidens eſt hujuſmodi Orationem adeò imperfectè dici Orationem ut verè non ſit Oratiò; cùm Oratio dicat actum Intellectûs vel exprimentis Mentem vel Intellectum Loquentis. Pertinet itaque hujuſmodi Actio ad Adorationem quæ fit per muta ſigna. Ipſæ ſiquidem Voces Signorum mutorum non Vocum vim in tali actione habent.

4. Proximus defectus nihil in ſe particularis difficultatis continet; namq́ue ſecundum quantitatem defectûs vel eſt ſubſtantialiter verè oratio, ſed defectuoſa; vel omninò non eſt formaliter Oratio ſi plerumq́ue attentio deficit, ſed Adoratio quædam muta, mixta tamen Oratione. Tertius defectus (modò adſit intentio ipſas voces recitandi ex affectu Religionis) etiam pernet ad Adorationem per Signa: Alióqui eſt hypocritica Simulatio, vel Religionis ſi liberè

berè fit, vel Obedientiæ ſi ex præcepto. Etſi enim Præcepti ſpecies non ultra externam Rationis exhibitionem extenditur, Finis ta- Præcepti ſe extendit uſque ad fructum debitum Orationis. Unde Orans taliter ut ex vi Orationis factæ non poſſit fructum expectatum referre, quamvis ſatisfaciat Præcepto exteriori, & ſic non teneatur repetere, tamen non ſatisfacit debito Obedientiæ quod ſibi debet, putà, ut Obedientiam non ad Oculum ſed ex Conſcientiâ exhibeat. Quod dictum eſto, ex naturâ rei; nihil enim prohibet circumſtantias fingi in quibus Obedientiam ad oculum exhiberi ſatius eſſe poſſit: Veluti, ſi Orans ex præcepto ex neceſſitate habeat de aliis illo ipſo tempore cogitare quæ magis neceſſaria ſint.

5. Adoratio per Signa pura ſeu Actionem duplex eſt, aut eſſe videtur; Alia, quæ immediatè Deo ſit; alia, quæ mediãte alio. Prioris generis videntur Genuflexio, Incurvatio, & ſiqui ſimiles geſtus *videntur* immediatè Deo fieri, Reipsâ enim impoſſibile eſt immediatè ad Deum referri. Cùm enim Actio ſit corporea, neceſſe eſt & terminum corporeũ eſſe. Sic legimus Chriſtianos Primitivos ad Orientem flexiſſe, Iudæos ad Templũ vel Iudæam quòd inde exulabant: Un-

Unde nulla poteſt eſſe corporea actio quin habeat medium aliquod corporeum per quod referatur ad Deum. Omnis itaque Adoratio Dei quæ per pura Signa fit eſt mediata propriè loquendo. Unde patet oſculantem Imaginem vel Crucem vel quicquam Sacrum, adeò propriè adorare atque eum qui videtur immediatè ſe incurvare vel flectere genua ante Deum.

6. Et ex his evidentiſſima eſt Veritas illius Concluſionis Angelici Doctoris, quâ docet eodem Latriæ actu Adorantem ferri in Imaginem & Prototypum. Quia ipſa actio incurvandi ſe coram Cruce, eo ipſo & per hoc eſt Adoratio Chriſti. Non quòd agnoſcamus aliquam Excellentiam in Sanctâ Cruce; ſed quòd hanc actionem, quæ eſt incurvari coram Cruce, accipiamus & faciamus teſtimonium quòd agnoſcamus Excellentiam in Deo. Non itaque exhibendus eſt aliquis Cultus ſecundarius, ut aliqui Scholaſticorum loquuntur, Imaginibus, vel ipſi Dominicæ Cruci, non Reliquiis Sanctorum, non ipſi Dominico ſanguini vel præputio, ſi extant in terris ut aliqui memorant: Quia, cùm in rebus Inanimatis nulla poſſit eſſe Excellentia ſupra Creaturam Rationalem, nihil eſt in iis quod poſſit eſſe Reverentiæ & Submiſſio-

nis

nis objectum. Sed connexio quam hujuſmodi res Sacræ habent cum Animatis faciunt ea propriiſſima Inſtrumenta cultûs qui Deo & Intellectualibus Creaturis exhibentur. Unde quando dicuntur Sacræ Imagines vel Crux *adorari*, ſignificatio Vocis eſt oſculationem vel alium actum Honoris ad ipſa directum eſſe Adorationem Chriſti & reliquorum Prototyporum. Unde Adoratio Dei & Sanctorum ad illa vel potiùs per illa dirigitur, & non aliud ſignificatur quando illa Adorari dicuntur.

7. Sunt aliæ Adorationes Formales quæ partim Vocibus, partim actionibus ſeu cæremoniis conſtant; ut Sacrificia & Supplicationes & Preces Solennes, de quibus nihil ſpecialiter occurrit monendum; cùm de Sacrificio in Theoricis ſatis diffusè actum ſit. Virtualis Adoratio eſt actio quædam quæ non eſt inſtituta vel acceptata ad formaliter & diſertè profitendam Excellentiam aliquam, attamen procedit ex illâ, & eſt quodammodò honorifica reſpectu alicujus Inſtrumenti Adorationis. Tales ſunt levare Crucem vel Imaginem de terrâ; conſervare cum decentiâ Veſtes, Calices, Unguenta & hujuſmodi alia Inſtrumenta Sacra. Ad hæc etiam pertinet ipſa Adoratio quæ exhibetur Præſidibus Sacrorum officii cauſâ,

sâ, non verò propter privatas Virtutes quæ pertinent ad Formalem Adorationem. Actiones quas Virtuales Adorationes vocavimus, clarum eſt eſſe curationem eorum quæ ad Adorationem Formalem ſerviunt; &, per conſequens, ex vi agnitionis Divinæ Excellentiæ & Submiſſionis ad illam fieri, & ad Religionem ſubalternatam reduci, & eſſe actus ab ipsâ imperatos.

TRUTINATIO
SECUNDA,
DE
Superſtitione & Prophanitate.

1. S*Uperſtitio* Religioni opponitur, Cultus videlicet Numinis indebitus debito. Cultus autem Indebitus eſſe poteſt vel ratione Perſonæ cui tribuitur, vel ratione Cultûs qui tribuitur. Sic alia ratio Superſtitionis eſt in Cultu Falſorum Deorum, alia in cultu Veri Dei. Et Cultus quidem Falſorum Deorum quia ex Infidelitate ſequitur, non eſt ſub eodem genere quo Religio, & proinde non propriè ſpectat ad noſtrum opus.

pus. Superſtitio itaque qui pertinet ad nos eſt Veri Dei Cultus perverſus. Quem ut vitemus, advertendum eſt ex dictis, Religionem conſequi ex Virtutibus Theologicis quaſi circa debita ex iis miniſteria verſantem. Sicut itaque ſolus Homo Juſtus placet Deo propter ſemetipſum in noſtro viſibili mundo, cætera autem non aliter quàm quo modo ſunt Inſtrumentalia ad Iuſtitiam; Sic eatenùs Actio Humana cenſenda eſt recta vel ſequior, quatenùs ſervit vel nocet inducendis Virtutibus quæ faciunt Hominem Iuſtum. Qnatenùs ergo, quiſquam perſuadet ſibi Deo ſe placiturum per actiones quaſlibet (præſertim materiales) quæ non conferunt ad Virtutes augendas vel conſervandas ex ſuis viribus, eatenùs Superſtitioſus eſt, & Actio facta Superſtitio. Si quis itaque in re vel actione materiali quâcunque, ipſam dico Sacro-Sanctam Miſſam vel Sacrificium Crucis, apprehendit ineſſe bonitatem quæ placeat Deo, abſtrahendo ab actibus Intellectûs & Voluntatis, quos vel faciunt vel à quibus fiunt, *Superſtitioſus* eſt.

2. A fortiori tantundem dicendum eſt de faciendâ Miſsâ in tali loco; verbi gratiâ, *ad Memoriam Sancti Petri*, vel cum aliis circumſtantiis non facientibus ad Chari-

Charitatem Perſonarum quarum intereſt, hoc eſt, non habentibus vim movendi Intellectum aut Voluntatem. Unde, qui putat Miſſam inde efficaciorem evaſuram, vel magis propitiatoriam coram Deo & Sanctis, *Superſtitione* peccat. Hæc Doctrina ſe extendit ad Reliquias Sanctorum, ad ſtatuas & Imagines quantumvis celebres & honoratas, & ad quaſlibet Obſervationes. Etſi enim certa loca, vel quantitatem vel numerum precum vel aliarum piarum actionum permittere vel præſcribere, ad modum figendum actionibus humanis neceſſarium & laudabile ſit, tamen Virtutem aliquam imaginari conſequi Numerum vel determinationem materialẽ, ultra hoc quod conveniat viribus illorum in quorum miniſterium & utilitatem inſtituuntur, ad Superſtitionem pertinet. Hinc fit Divinationes per Omina, per Aſtra, per Sortes, & ſi quæ aliæ ſint quæ ſine Innocatione Dæmonnm fiunt, ſi credantur ex Providentiâ Dei eſſe ordinata ad futuros eventus prænoſcendos, eſſe Superſtitioſas; Si verò ex naturali Cauſarum ſerie veritatem habere & connexionem ſecretam cum Effectis, ad Errorem & ſtoliditatem credendi ſine juſtâ causâ reduci debere: Credere enim vim aliquam in Naturâ exiſtere abſque legi-

legitimâ probatione, ad Imprudentiam ſpectat.

3. Oppoſita eſt ex adversâ parte Religioni & Superſtitioni *Sacrilegium* ſeu *Profanitas*. Sicut enim Superſtitio timorem indebitum violandæ Religionis quaſi tyrannicè ſuperſtantis ſignificat, ſic Sacrilegium ex defectu debiti timoris naſcitur. Unde ad Sacrilegium ſpectat quicquid ſive in verbis ſive in rebus ad violationem debitæ Deo Reverentiæ exercetur. *Blaſphemia* itaque quaſi principaliter Sacrilega eſt; &; quatenùs in Mente, Sacrilegii eſt Author & Parens. Ex eo enim quòd de Deo non pro Majeſtate ſentitur, naſcitur quòd Divina & Sacra tanquam Communia tractentur. In hoc ſiquidem poſita eſt propria malitia Sacrilegii, quòd res Sacras tractet quaſi communes. Furtum ſiquidem rei Sacræ purum Furtum foret, niſi hæc circumſtantia afforet, quòd Fur non deferret Sanctitati rerum ablatarum & Perſonarum à quibus ſunt ablatæ. Sic itaque obambulare, tractare mercimonia, confabulari de nugis, effusè ridere, & quicquid Templa Converſationis loca facit, ad Sacrilegium reducitur. Quod non ſic dico ut neceſſitas non excuſare ſit nata, & facere non ſolùm non ſacrilegas actio-

nes,

nes, ſed etiam Legales & Sanctas; Verùm, ut inſinuem, quando ſunt vitioſæ; ad quod Caput ſint reducendæ.

TRUTINATIO TERTIA.

DE *Iuramento & Adjuratione.*

1. TEmpus modò eſt ut reliquam Religionis partem exequamur, quam diximus conſiſtere in applicatione Dei ad ad nos, quod per *Iuramentum* fieri ibidem dictum eſt. Etſi enim per Sacramenta & Benedictiones videatur Deus applicari nobis; hoc tamen propriè eſt recipere à Deo, non verò applicare illum nobis; quandoquidem nemo Sacramentum ſibi applicat, ſed ab alio tanquam Dei Miniſtro accipit; etiam cùm quis Sacram Euchariſtiam ſuſcipit; à Sacerdote enim primò & principaliter traditur. Etſi enim Sacerdos in Miſsâ illud ſuſcipiat, ſuſcipit tamen quaſi unus de Populo, & non tanquam Miniſter; &, quantumvis materialiter ſit una Perſona, formaliter eſt à ſe diverſus.

2. Iu-

2. Iuramentum autem eſt Precatio quædam, quâ optat Iurans ut Deus ſibi bonus vel malus ſit prout verum vel falſum eſt quod jurat. Non itaque duæ ſunt jurandi differentiæ, Invocatoria & Execratoria, ſed unica; Utrumque enim Iuramentum eſt Execratorium. Cùm enim Iuramentum ſit ad faciendam Fidem de re occultâ & ignotâ audienti, Invocatio Dei, etiam non formaliter Imprecatoria, duplicem vim habet: Una eſt, ut Deus manifeſtet Veritatem, & ſic teſtimonium ferat; Altera eſt, ut ex vi manifeſtationis audiens habeat Iurantem, ſi fallat, pro Infideli & omninò execrando homine, qui Vinculum Summum honeſtæ actionis, quod eſt reverentia Numinis, nullatenùs agnoſcat. Patet autem quovis ex his duobus modis invocet Deum, imprecari ſibi Malum ſi Iuramentum falſum evadat. Omne itaque Iuramentum eſt Imprecatorium ſeu per Execrationem factum.

3. Rurſus, non eſt dividendum Iuramentum in Iuramentum quo Deus vel Creatura invocatur: Verè enim omne Iuramentum per Deum eſt: Quod videtur exprimere Sacra Scriptura, quatenùs cum negat jurandum per Cœlum vel

Terram,reddit rationem,quia hæc ſcabellum pedum Divinorum ſit, illud ejuſdem ſolium.Ratio autem eſt quia Creatura,ut in Juramento accipitur non habet vim aliquam atteſtandi, niſi mediante Dei Providentiâ & Applicatione. Sic itaque quando per Panem,vel Vinum vel Lucem juratur, Senſus eſt,Deus hæc mihi faciat noxia ſi falſum dico. Tantundem eſt, quando per Caput vel vitam alienam juratur. Senſus enim eſt,Deus illi Vitam non proroget ſi falſum dico.

4. Conditiones Jurandi ſolent aſſignari, ut fiat in Judicio, Juſtitiâ & Veritate.Et de Veritate quidem clara eſt res neque diſputatione eget. Judicium ab aliquibus pro Prudentiâ ſumitur; ſed videtur æquius eſſe prout ſonat ſumi; hoc eſt, non eſſe jurandum niſi in materiâ litigioſâ ad terminandam litem.Clarum enim eſt cùm Juramentum inſtitutum ſit ad faciendam fidem, neceſſariò præcedere Litem, hoc eſt ut diffideant Jurans & cui Juratur de Veritate aliquâ incertâ & judicandâ. Non itaque jurandum eſt, niſi quando Lis aliqua terminanda eſt per Iuramentum; unde fruſtrà & incongruè jurat qui non credituro jurat; Sed tunc tantùm jurandum eſt quando apparet Lis finienda interpoſito Iurejurando,

do. Iuſtitia Iuramenti includit reliquas circumſtantias prudentiales quæ concurrunt ad hoc ut æquum ſit jurare; verbi gratiâ, ut Iurans habeat ætatem, ut Iuramentum præſtetur cum gravitate & decentiâ & non præcipitanter. Et ſi qua alia requiruntur ad dignitatem talis actionis.

5. Vera itaque & neceſſaria diviſio Iuramenti eſt ſecundùm materiam ſeu enunciationem confirmandam: Quæ vel eſt Speculativa vel Practica; Speculativa, quando juratur ſimplex Veritas de præterito vel præſenti: Practica, quando quid agendum juratur, ſeu quando Iuramentum eſt Promiſſorium. Et de primâ ſpecie ſufficiunt quæ dicta ſunt: De poſteriori videndum eſt quid virium Promiſſioni addat. Neque quando Promiſſio de ſe irrita eſt aliquam vim addere poteſt; nemo enim confirmat quod non eſt; unde, ſi Promiſſio de ſeſe nulla eſt, confirmari non poteſt. Si autem Promiſſio ſit ex ſeſe tenenda, non facit Iuramentum niſi ut Violatio ipſius ſit gravior & nocentior. Facit tamen ut promittens teneatur promiſſionis conditiones acriùs intueri, neque ſit præceps in promittendo, neque judicando promiſſionem eſſe perperàm factam; ſicut gravius inconveniens quod natum eſt ſequi ex actione, na-

tum eſt majorem ſollicitudinem in agente excitare.

6. Patet etiam leviorem eſſe obligationem Voti quàm Iuramenti ; Non ideò tantùm quòd Votum ſit Promiſſio quædam quæ naturaliter à Iuramento ſolet confirmari ; verùm , quia major eſt Irreverentia profiteri Deum eſſe Mendacem , quàm Hominem eſſe mendacem Deo.

7. Ex dictis de Iuramento palàm eſt Iuramentum eſſe actum quo profitemur agnoſcere Excellentiam Dei ; putà , quòd ſit Scrutator cordium , & Verax , & Punitor Periurii ; quare clarum eſt à Religione imperari. Eſt autem , ſicut Oratio , actus Intellectûs Practici formaliter. Vox communiſſima Iurantium eſt Præpoſitio *Per*. Significat autem hæc vox Mediationem ; & , quando adhibetur ad Veritatem manifeſtandam , mediationem Teſtis. Unde , ſi addatur alicui rei quæ ex ſe Teſtimonium ferre non poteſt , non facit Iuramentum ; ſicut , quando additur *Fidei* vel *Honori* : tunc enim tantùm vocatur *Probitas* vel eminentia loquentis in teſtimonium ; & non valet amplius, quàm, Ne habeas me dignum functione & loco meo , vel converſatione humanâ , ſi tibi

bi mentior. Sed qui dicit, *coram Deo loquor*, vel, *Deus ſcit*, jurat: Etſi enim voces grammaticè non habeant vim Iuramenti, tamen adhibitæ ad confirmationem Veritatis ſunt Invocatio Dei: Iurare autem per Falſos Deos inter Chriſtianos non eſt Iuramentum ſed pura fictio, & magis oſtendit Promiſſionem cui addita eſt eſſe ludicram quàm addat aliquam obligationem.

8. Tandem, qui utitur voce *Iuro* verè jurat, ſi enim Iurare ſit Deum teſtem citare, qui dicit *Iuro*, dicit, Deum teſtem invoco. Cùm dicitur Verum eſſe jurandum, intelligitur quod Iuranti eſt Verum, hoc eſt, *notum*. Unde non poteſt quiſquam Iurare niſi quod ei Senſu perceptum eſt, audita ſe audiviſſe, facta vidiſſe. Si quid autem per incerta media vel Signa novit, debet illa Signa jurare, non autem Rem ipſam. Unde in Promiſſorio Iuramento non poteſt jurare quod credit impeditum iri, ſine explicatione conditionis, verbi gratiâ, quantum pendet à Promittente. Petes, an Iuramentum de re indifferente teneat? Reſpondetur, nullam actionem in particulari, de cujuſmodi ſunt Promiſſiones & Iuramenta, eſſe indifferentem; ſemper enim aliquid

Boni vel Mali, Utilis vel Incommodi agitur. Unde Mercator qui jurat ſe merces non diſtracturum pretio oblato, mutatis conditionibus neque Promiſſione neque Iuramento obligatur quia actio de bonâ facta eſt mala. Qui verò fingit ſe jurare, hoc eſt, Externum Iuramentum præſtat, ſine intentione ut Deus veritatem manifeſtet, verè jurat & obligatur ex Juramento; quia citare Teſtem eſt actio Externa non Interna; &, facta actu, irrîtat ſequentia modò conditiones maneant, ſicut & in Promiſſionibus contingit.

9. *Adjuratio* ſolùm nomine tenùs ad Iuramentum pertinet. Eſt autem Perſuaſio quædam per interpoſitionem Sacrorum. Et ad homines quidem vim habet ex ignorantiâ eorum qui adjurantur; ſi enim intelligentes ſunt, noverunt Sacra illa nihilo ampliùs propter commemorationem obligare. Deo autem, & Sanctis, vel etiam Dæmonibus adhibetur ad Fidem in nobis excitandam, non ad illos permovendos.

TRU-

TRUTINATIO QUARTA.

DE

Adoratione aliorum propter Deum.

1. EXplicatis quomodocunque quæ ad Adorationem Dei ſpectant, conſequens eſt Adorationem quæ aliis propter participationem Dei ſupernaturalem debetur inſpicere. Supernaturalis porrò participatio Dei quâ aliæ Creaturæ ſunt excellentiores nobis, in Fide Spe & Charitate primariò reſident, aut in dotibus his correſpondentibus; hoc eſt, Viſione & Comprehenſione. *Charitas* enim *non excidit*, ut ait Apoſtolus, ſed magis perfecta evadit. Statim patet alios eſſe venerandos quia habent has participationes Dei; alios verò, quia credendi ſunt habere; prior gradus pertinet ad Sanctos, ſive Angelos ſive Homines, quos credimus Æternâ Beatitudine frui. Hi enim conſtanter creduntur habere, & non poſſe ab habendâ Excellentiâ deficere: Quare, abſolutè adorandi ſunt Adoratione teſtificante creatam illam Excellentiam.

2. Infra hos & inter nos Homines nemo ſupponitur ita Charitatem habere, ut aliis perfectè cognitum ſit illum eam habere , & multò minùs quòd non poſſit ab eâ deficere. Sed neque comprehendere valemus in quo gradu Excellentiam illam habeat. Hujuſmodi itaque Perſonis debetur Reverentia, vel nomine Publico vel Privato. Privatum nomen ex puris conjecturis pendet; &, quod ſequitur, eſt liberum ſingulis eo titulo venerari vel à veneratione abſtinere juxta prudentiam cuique à Spiritu Sancto infuſam. Publico nomine debetur Reverentia iis quibus ex ſanctionibus publicis permiſſum vel imperatum eſt Signa Sanctitatis gerere.

3. Horum autem duo gradus ſunt. Aliis enim tributa ſunt ſigna Charitatis adeptæ, aliis Charitatis ſpeciali præ cæteris Chriſtianis niſu appetendæ atque proſequendæ. Et quia primus & quaſi infimus gradus Charitatis proſequendæ conſiſtit in purgatione Animæ ab affectibus corporeis & mundanis, hi poſteriores primò Pœnitentes dicti ſunt, & officium illorum creditum eſt eſſe invigilare puritati Animæ, per ſecretionem à cæteris hominibus & illorum converſatione; & propterea

Mo-

Monachi vocati ſunt,& *Anachoretæ*; &, à loco ubi degebant, *Eremitæ*.Ii verò quibus tributa ſunt Signa Charitatis adeptæ vocantur *Clerici*, quaſi Sors & ſpecialis pars Domini ſeu Chriſti. Hi in duos gradus analogos dividuntur; Verè & per ſe Clericos, & Clericorum Miniſtros. Verè ex propriè Clerici ſunt quibus Officium eſt Fideles inſtruere, & docere Leges & Cæremonias à Chriſto inſtitutas. Miniſtri ſunt,qui neceſſaria Clericorum functioni ſuppeditant.

4. Palàm autem eſt ex dictis admodùm diverſam Adorationis ſpeciem deberi his tribus generibus Virorum Venerabilium.Et, ſicut æquivocè ſeu analogicè annuntiatur Sanctitas de eo qui eam habet & de illo qui eam quæritat, ſeu eſt in viâ ad illam acquirendam, ſic etiam ſpeciē Venerationis quæ debetur ex ſignis tributis Charitati adeptæ eſſe propriam & per ſe Venerationem; Illam verò quæ ex Signis proſequendæ Charitatis duntaxat debetur, eſſe impropriè & ſecundariò dictam Venerationem. Tertia autem Veneratio propriè ſpectat ad illam quæ debetur Vaſis vel Reliquiis: Hujuſmodi enim Clerici honorantur ut Inſtrumenta quædam Viva Sanctitatis, non ut formalem Sanctitatē habentia;niſi per acci-

dens ut ſupponuntur eſſe gradus ad Formalem Sanctitatem habendam. Patet quoque cùm hæc Signa ſint ex Reipublicæ Decretis poſita, non licere privatis Venerationem uni generi debitam alteri tribuere; &, ſi quis faciat, violare eum Leges & Ordinem Reipublicæ. Verùm, ratio Operis poſtulat ut magis ſpecialiter de utriſque agatur, ut Chriſtianus homo nôrit quid ſingulis eorum deferendum ſit.

5. Horum duorum Ordinum ad excellentiam Charitatis & adorabilitatem ſpectantium clarum eſt præferendum eſſe illum cujus membra actu poſſeſſæ Charitatis nomine agunt; tum quia Dignitate præſtat, tum quia Origine & executione prior eſt; cùm non per Inſtitutionem prolixam (quomodo in Monaſteriis acquiritur Sanctitas) ſed quaſi per Creationem, infuſo Spiritu Sancto in die Sacro *Pentecoſtes*, nativitatem acceperit. Adde his Neceſſitatem: Cùm enim perfectio vitæ Chriſtianæ in exercitio Theologicarum Virtutum conſiſtat, quarum initialis eſt Fides, Fides autem ex Auditu ſit, & Auditus ab Eloquio pendeat, Deus autem ſemel locutus eſt per Unigenitum Filium ſuum, & abiit; neceſſum eſt

eſt ut Allocutio Dei ad nos permânet auxilio & denunciatione illorum qui ab ipſo audiverunt. Neceſſe eſt itaque Apoſtolos & Diſcipulos Chriſti accepiſſe ab Ipſo,& poſſediſſe, & ſecum tuliſſe vim teſtificandi Eccleſiæ;quæ in duobus conſiſtit, ut non poſſent oblivisci ſibi tradita vel fingere non tradita, & ut poſſent Infidelibus veritatem ſui Teſtimonii patefacere ; quod, dum ſinguli eſſent, per Miracula faciebant: *P*oſtquam autem tanta facta eſt Eccleſiæ plenitudo, ut ipſa de Apoſtolorum dictis Infallibile Teſtimonium ex ipsâ naturâ rei haberet, ceſſaverunt in Eccleſiâ Miracula ; etſi, cùm opus foret Infidelitati convincendæ ſuppeditarentur. Manſit tamen in Succeſſoribus Apoſtolorum Virtus docendi Eccleſiam, hoc eſt, regendi ipſam. *S*i enim *S*ubditi ſint boni, idem eſt declarare illis quid ſit factu opus,& imperare. Qui enim novit quid ſit Bonum & non vult operari eo ipſo non eſt Bonus.

7. Ex hâc poteſtate regendi Bonos conſequitur alia excludendi Malos à conſortio & communione Bonorum. Ex ipſo ſiquidem quòd quis habet poteſtatem declarandi Bonis, malum & iniquum eſſe communicare operibus Malorum , &

quòd *Ave* ipſis dicere ſit communicare nequitiis ipſorum, palàm eſt habentes Poteſtatem declarandi quid ſit Agendum, habere etiam Poteſtatem prohibendi Bonis Communionem Iniquorum; hoc eſt, habentem Clavem *Scientiæ*, eo ipſo habere Clavem *Correctionis* ſeu *Poteſtatis*. Verùm, hæc hactenùs ſic ſunt tradita ut non videantur excedere limites credendorum; nempe tradendi quæ ab Apoſtolis accepta ſunt, & ſeparandi illos qui non acquieſcunt huic Fidei. Attamen, ſi indagationem perſequamur, patebit hanc Poteſtatem etiam ad Diſciplinam & Mores pertingere & perviam ire.

7. In primis enim dubitari nullatenùs cum ratione poteſt, quin Apoſtoli & Diſcipuli, qui immediatè à Chriſto Miſſionem acceperunt, in Provinciis quas obibant, & in quibus Eccleſias fundabant, prudentiſſimos & maximè idoneos elegerint, qui in abſentiâ ſuâ ipſorum Eccleſias fundatas regerent & erudirent. Si itaque aliquid non ex ipſis Apoſtolicis dictatis ſed ex conſequentibus ad illa in litem veniret, vel certè in dubitationem, nunquid non Naturæ humanæ obliviſcimur ſi dubitamus ad ipſos Apoſtolos ſi adforent, vel, ſi deeſſent, ad maximè conſcios & penetrantiores

tiores ſenſorum Apoſtolicorum deferendũ, ut quid verè conſentaneum Apoſtolicæ doctrinæ foret quid adulterinum, ex illorum arbitrio penderet, & à plebe Chriſtianorum ſuſciperetur. Si enim Conſequentia in Principiis lateant, ſed inſint; quid reliquum eſt, niſi ut qui Principiorum callentiores ſunt, in ipſis etiam conſequentia diſpicere poſſint & poſſe credantur. Clauis itaque Scientiæ etiam ad omnia illa extenditur quæ ex traditis ab Apoſtolis pendent.

8. Numerantur autem illa duplicis ordinis: ſunt enim quæ pendeant ex ſolis Traditis, ſeu ad quæ Cognitio noſtra derivatur ſine aliis mediis; Et ſunt, quæ non niſi adjunctione aliorum Principiorum colligi poſſunt. Et hæc Principia vel ſunt quæ à Prudentibus ignorari non poſſunt, vel quæ ex ſcientiis Naturalibus petuntur. Et ſtatim clarum eſt has Veritates poſtremas requirere in Iudicibus peritiam Scientiarum; Priores verò non requirere quicquam quod plerumque in Prudentibus non reperiatur. Omnes itaque has Veritates per ſe pertinere ad ſucceſſores Apoſtolorum clarius eſt quàm ut difficultatem patiatur: Cùm ipſæ tertii ordinis à Scientiis inferioris notæ pendeant, unde æquius eſt illas

expectare in ſucceſſoribus Apoſtolorum ſi ſe immiſceant communibus doctrinis,quàm à Profeſſoribus inferioruui diſciplinarum qui altiora Principia,cum quibus ſunt conjuncta ea quæ ab Apoſtolicis definienda ſunt, ignorare cenſentur. Præterquàm quòd ipſæ Veritates & earum firmitas magis refundenda ſit in altiora Principia quàm in inferiora & debiliora. Attamen, non hinc inferendum eſt,quæcunque a ſucceſſoribus Apoſtolorum traduntur ad Fidei (ut vocant) Theologicæ vel Catholicæ præciſam rationem ſpectare; ſed ea tantùm quæ reipsâ ex Traditione accepta ſunt; Cætera tamen firmam quoque Obedientiam inducere, juxta firmitatem conſequentiarum, ſi ſpeculativa ſunt; vel, ſi practica, juxta debitam adminiſtrationem Fidelis populi.

9. Moneamus hic quos hactenùs ſucceſſores Apoſtolorũ appellavimus conſueto vocabulo Eccleſiam appellari, non accipiendo Eccleſiam pro Collectione omnium Fidelium, ſed pro Præſidibus doctrinæ & diſciplinæ Chriſtianæ. Clarum quoque eſt cuilibet tantillum prudentiæ & cognitionis in re Eccleſiaſticâ habenti, Poteſtatem illam quam Eccleſia habet, hoc modo & ordine in illam eſſe deductam; Nempe

pe

pe ut Apoſtoli Miraculorum Virtute arma-ti doctrinam Fidelibus inconcuſſâ firmitate traderent, & illa à Fidelibus abſque omni ambiguitate & renitentiâ ſuſcepta fuerit. Cætera qnoque Apoſtolorum Præcepta à Fidelibus velut Leges tenerentur ſummæque Prudentiæ dictamina, pro illo rerum ſtatu in quo ab Apoſtolis inſtituta fuerunt. Vides itaque, prudens Lector, ſufficientem Originem & Fundamentum Chriſtianæ & Fidei & Diſciplinæ; hujus per Obedientiam Voluntatis & deſiderium rectè agendi; Illius, per ſubjectionem Intellectûs amplectendæ. Duo itaque ex hoc diſcurſu indubitatè relinquuntur; alterum, ſic Introductionem eſſe factam; alterum hanc Introductionem eſſe ſufficientem ad effectus in Chriſtianæ Reipublicæ actione & uſu exercitos & neceſſarios. Utrùm autem ad vehementiorem & abundantiorem Unionem Populi cum Paſtoribus aliud præterea Vinculum poteſtatis gratis infuderit Deus, deinceps eſt inquirendum. Evidens enim eſt uſu Introductionem explicatam occupaviſſe voluntates Chriſtiani Populi, & illas ſolidâſſe in formamGubernationis & imperii,quantum Vis temporalis, & Præſcriptio longi Uſûs Leges aut Gubernationem Civilem quan-

quantumlibet firmiſſimam vel ſtabilivit, vel ſtabilire poteſt. Unde Eccleſiaſtica Poteſtas omnium quæ ſunt eſt maximè legitima, diuturna & æqua.

10. Hæc doctrina, etſi in ſeſe clara & naturalis, & Poteſtatis Originem quâlibet Naturali feliciorem Eccleſiæ deferens, non paucis tamen diſplicet & inſufficiens videtur. Imaginantur itaque in Deo Poteſtatem quandam Moralem, ſeu Jus quoddam, per quod non ſolùm licitum ſed etiam quodammodò conſentaneum ſit Deo Creaturam pro nihilo reputare, eandem affligere Animi causâ, annihilare, & ſine aliâ ratione quàm quia ſic Voluntas ipſius fert quomodocunque tractare. Hanc Poteſtatem Moralem *Supremum Dominium* vocant; deductâ, ut ex denominatione patet paritate quâdam ex Dominio & Servitute in humanis uſurpatâ. Neque verà Theologia negat in Deo Supremum Dominium; ſed illud collocat in Omnipotentiâ ipſius, ſeu in Poteſtate, quâ *poteſt ſubjicere ſibi omnia*; non in Jure quodam ſeu in Poteſtate Morali. Addit vera Theologia Sapientiam Dei eſſe æqualem Potentiæ ipſius, & Bonitatem Sapientiæ non eſſe imparem: Unde impias iudicat hujuſmodi propoſitiones, quòd Deus abſque juſtâ

cau-

cauſâ poſſit Creaturam annihilare & cruciare; Et, ſi ageret, adverſum Leges Sapientiæ & Bonitatis acturum; quarum illa jubet nihil ſine dignâ causâ omninò movere vel agere; hæc ſaltem nihil Mali citra Providentiæ Leges vel inferre vel velle vel etiam pati fieri ab alio. Rurſùm, quid ſignificat Ius in Deo? Poteſtatem Moralem ex creatione rerum inceptam, hoc eſt Relationem realem temporariam in Divinitate, quales ſanior Theologia repudiat.

11. Deinde *Dominium* ſignificat Virtutem Activam reſpondentem Paſſivæ in Creaturâ, quæ Servitus dicitur. Facit itaque Deum & Creaturam eſſe Cauſas Activam & ſubjectivam in eodem ordine. Malè itaque collocatur Ius ſeu Poteſtas Moralis in Deo, & eò infeliciùs, quòd Moralis Poteſtas ex conſenſu Voluntatum naſci ſoleat, ut Deus ab humanâ Voluntate pendere debeat quoad hoc Dominium, ſi verè Moralis Poteſtas eſt. Aſt, ſi nulla talis Poteſtas eſt in Deo, non poterit à Deo Creaturis communicari, neque Creatura dici Domina per participationem talis Dominii: Sed quæcunque talis Jure dicitur, hōc habebit ex participatione Omnipotentiæ, quia potentiam habet ſubiugandi ſibi rebelles. Sed quicquid ſit, videndum eſt in quo col-

collocent Poteſtatem commemorati Theologi. Hoc ſcilicet volunt Deum quaſi per Imperium mandare inferioribus ut obediant ſuperioribus: Et non atttendunt Præceptum Dei eſſe ut Superioribus obtemperemus. Priùs itaque cenſendi ſunt Superiores quàm hoc Præceptum incumbat ſubditis. Non itaque Poteſtas ſeu Superioritas eorum conſiſtit in hoc Præcepto, ſed prior eſt. Non itaque Superioritas eſt ex hâc immediatâ participatione Poteſtatis Divinæ, ſed ex Aſſenſu Voluntatis Humanæ quo creatur Superior.

12. Hæc ſic dicta ſunt, ſi ratio Præcepti intelligatur immediata; ſi enim per rationem Præcepti intelligatur operatio Rationalis Creaturæ ſecundum Rationem ſe ſubjicientis alteri Homini, ſive cogitet de Deo ſive non, ſic non eſt negandum ex vi Præcepti communicari hanc Poteſtatem à Deo. Verùm, aliud eſt effectionem Dei per Creaturas quarum vis cognoſcitur allegare; aliud, ignotam quandam Voluntatem Dei cujus limites nullos æſtimare poſſumus, ſed immenſam quandam reverentiam ei debemus nullis Legibus conſtrictam, nullâ menſurâ ponderabilem. Et hoc eſt ad quod aſpirant hujus ſententiæ Authores, ut quodammodo Deificata ſit Poteſtas Su-

pe-

periorum ; Inferiores verò , quaſi ad myſterium inſcrutabile,cum admiratione conniveant,& ſe duci quaſi mutas pecudes permittant. Neque prorſus inficias eo cum incapacibus hunc morem procedendi & Utilem eſſe & Honeſtum , ſive illi pueri ſint , ſive Barbari ; ſed in Scholis inter Theologos hæc doceri non ſuſtineo : Imprimis enim tollit omne Iudicium quid ſuperior poſſit mandare, & quatenùs Inferior teneatur ſubjici ; quando , non per Leges , ſed per immediatum Dei Imperium, quod nullibi niſi fortè in Vocibus Univerſalibus ſcriptum reperitur, adminiſtranda eſt Obedientia. Deinde , tollitur illa condeſcenſio ſuperiorum ad Inferiores ex æqualitate & æſtimatione communis ſortis naſci ſolita : Fingitur enim Imperans quaſi Deus vel Dei membrum , præ quo vilis ſit ſubditorum ordo , Superiores ad Tyrannidem animantur, Inferiores ad Ambitionem acuuntur ut ſint Superiores & Excellentiam illam participent.

13. Cæterùm , hæc magis Theologicè quàm Moraliter diſputata ſunt. Verè enim eòdem redit , ſive Deus Eccleſiæ ſeu Clero Poteſtatem immediatè infundat ad ordinationem & inſtitutionem Eccleſiæ , ſive mediante ipsâ actione Eccleſiæ. Semper enim

in

in Deum refertur, & quod amplius eſt fortaſſe factum auget, ſed non Authoritatem; ſicut videre eſt in Principibus illis quos expreſſo iuſſu impoſuit Deus; & in eorum ſucceſſoribus, quos, mediante vel electione Populi, vel ex Legibus Reipublicæ, & Rationis dictamine, fecit creari. Similiter, non magis cenſentur obligare Præcepta Dei quàm Eccleſiæ, ut in obſervatione Septimæ Diei, & Feſtorum Nativitatis & Epiphaniæ ipſo uſu evidens eſt. Sic itaque nihil prorſus intereſt ad plenitudinem & firmitatem Poteſtatis Eccleſiaſticæ, an immediatè, vel mediante Succeſſionis & Deputationis Jure, Poſſeſſio incipiat.

INSTI-

INSTITUTIONUM ETHICARUM, SIVE STATERÆ MORUM, EXAMEN DUODECIMUM, DE Poteſtate Eccleſiæ & Hierarchiâ.

TRUTINATIO PRIMA. DE *Poteſtate Eccleſiæ circa Doctrinam.*

1. PRoximum eſt, ut quantum ſe extēdat Poteſtas, Eccleſiaſtica tentemus aperire. Tria autem ſunt quæ in arenam prodeunt; Doctrina, Diſciplina, & Mores. Doctrina alia eſt

eſt accepta dudum à Majoribus, alia nova. Acceptæ atteſtari habent Minores, non de illâ judicare. Vnde Poteſtas Eccleſiæ circa illam non eſt alia quàm declarare quæ ſit ſententia à Majoribus ultra omnem memoriã ad nos derivata ſine diſputatione & dubio. Nova, vel ut certa vel ut Incerta proponenda eſt: Certa non niſi per Revelationem vel per Demonſtrationem haberi poteſt. Alterum profiteri Eccleſia debet, ſi aliquid novi pro Certo credendum proponat. Revelatio clarè ſpiritum Prophetiæ dicit, ad quem non pertinet *Magna Conquiſitio*, quã in Synodo Apoſtolicâ & in cunctis poſtmodùm Eccleſiæ determinationibus exercitam eſſe teſtatur Hiſtoria. Supereſt itaque ut quicquid novi ab Eccleſiâ pro Certo ſtatuitur, tanquam inventum per Conquiſitionem, hoc eſt Demonſtratum proponatur. Demonſtratio modò quando pendet purè ab acceptis, & iis quæ omnibus prudẽtibus nota ſunt, facilis eſt. Unde ejuſmodi Veritates ab Eccleſiâ abundè proponi natæ ſunt, neq; requirunt in auditore ad aſſenſum aliud quàm ut credat Acceptis, & prudẽs ſit. Hæc ſi habeat, pronus aſſentitur propoſitis. Veritates autem quæ à ſcientificâ Demonſtratione pendent, quoniã etiam Clavis Theologica in Eccleſiæ poteſtate eſt, ab Ipsâ pro cer-

certis ſtatui & proponi poſſunt, modò ipſi conſtet eſſe demonſtratas. Jus enim ſcientis eſt abſque dubietate propalare quod abſque dubietate certum ipſi eſt. Demonſtratio ex Authoritate ſive Sacrarum Literarum ſive Sanctorum Patrum ad utram harum claſſium reducenda ſit, non eſt præſentis laboris. Satis eſt, ſi Demonſtratio ritè facta ſit veritatem ſic agnitam pro Certâ proponi poſſe.

2. Superſunt ſcibilia quæ *Incerta* ſunt ipſi Eccleſiæ, quæ pro Certis proponere ſi Eccleſiæ permittatur, eo ipſo & Eccleſia proponens dicitur poſſe, & quidem licitè, decipere Fideles; & æquum eſſe Fideles decipi: Quod Dogma adeò prophanum eſt ut neque expectari poſſit à Theologo, neque in Theologo tolerari. Attamen videndum an eadem ſit Lex de Prohibitione veritatis Incertæ quæ eſt de ejuſdem Propoſitione. Videtur enim in cautelam prohiberi poſſe Incerta enunciatio, etſi eandem propoſuiſſe temerarium fuiſſet. Verùm, ipſa quæſtio Veritatem diſcludit: Quoniam enim dicitur Veritas prohiberi poſſe Cautelæ gratiâ, quænam hæc cautela ſit inſpiciendum eſt; neque poteſt in hâc materiâ eſſe alia Cautela quàm *Erroris*; prohibetur itaque Propoſitio nè fortè inducat aſſentientes in Erro-

rorem. Error itaque vel intelligitur eſſe qui ſit in ipsâ Enunciatione, vel qui deducatur ab ipſâ. Neque de Errore ipſius Enunciationis caveri poteſt, cùm Incerta Enuntiatio obnoxia ſit Errori ex utrâque parte contradictionis. Vnde, qui prohibet unam partem cogit impingere in alteram. Vel itaque utraque Propoſitio & affirmativa & negativa prohibenda eſt; vel, loco Cautelæ, ab uno Errore ponitur Inductio in aliam. Palàm eſt itaque in Incertis Enunciationibus ſi de earum Veritate quæritur, Utramque fortaſſe Silentio damnari poſſe, Unicam non poſſe.

3. Sin de Errore in quem inducat Incerta Enuntiatio arguatur, ita rectè additur vox *Cautela*; ſed ſimul monet de periculo Incautorum eſſe ſermonem. Quærendum itaque eſt qui in hac causâ *Incauti* cenſendi ſint. Et ſtatim evidens eſt eos qui cenſentur in hâc causâ Docti & Cenſores non poſſe pro Incautis haberi: Non poteſt itaque Prohibitio abſtractè loquendo, iis facta intelligi qui eum locum in Eccleſiâ obtinent qui Enunciationum & Veritatum ipſi Cenſores ſint; non poteſt enim cenſeri Cautela iis eſſe neceſſaria. Tales cùm plerumque ſint qui Profeſſores ſunt Theologiæ, & Theologicas ar-

argutias penitùs callere creduntur, Prohibitio Cautelæ causâ facta eos non comprehendit; &, ſi non illos, neque poteſt illos comprehendere quibus ipſi explicant quantum ipſimet noverunt, hoc eſt, Theologiæ Studioſos; alióquin eâdem Lege difficiliora quæque Hæreticorum argumenta ab iis celari deberent. Prohibitio itaque Doctrinæ Incertæ ad eos ſolos pertinet, qui neque ad Theologiam pertinent ut periti, neque ut diſcentes; hoc eſt, ſolos comprehendit vel illiteratos; vel, ſi literati ſint in aliis Diſciplinis, qui Theologiæ tamen ſeriam operam neque dederunt, neque dant.

4. Conſequens ad dicta eſt, non poſſe Ecclèſiam Doctrinam aliquam Incertam prohibere titulo Cenſurarum Moralium; ut quòd ſit Scandaloſa, derogativa Eccleſiæ, corruptiva bonorum morum, ſeminarium malorum, aut ſimili quâpiam ſeu Morali ſeu politicâ Cenſurâ. Cùm enim clarum ſit Veritatem per ſe non eſſe Cauſam Mali, conſequens quoque eſt non poſſe ipſam condemnari malorum quæ ex vulgatione ipſius interdum nata ſunt ſequi; ſed eſſe Hominum non Sententiæ Veræ vitium quòd Mala ex illâ ſequantur: ex eo quòd intempeſtivè &

imperfectè, & indebito modo publicent Veritatem. Cùm itaque Notans enunciationem Incertæ Veritatis, quantum in ipſo eſt notet ipſam Veritatem, palàm fit Illicitum eſſe Propoſitionem dubiam aliquâ Cenſurâ notare. Quod non impedit quin Publicatores coërceri & poſſint & debeant; ſi ad malum finem vel malo modo Incertas enuntiationes in vulgus jactitent.

5. Par ex adverſo eſt, laudare Incertam Veritatem, vel eam amplecti Theologico aſſenſu quaſi *piam*. Eſſe enim Piam, includit quòd conformis ſit Deo, qualis nulla Falſitas eſſe poteſt. Præterea, ſaltem hoc intendit talem ſententiam utilem eſſe veræ devotioni promovendæ, quod de Mendacio & Ficto pronunciare Blaſphemum eſt. Ad minus itaque Temerarius, & Temeritatis condemnandus eſt Theologus, qui Sententiam, quam agnoſcit eſſe Incertam, venditat tanquam Piam; & multò magis quiſquis in Eccleſiaſticâ poteſtate conſtitutus attentat Subditis ſuis ſententiam Incertam pro Pietate commendare. Quis enim poteſt ſecurum reddere quòd non ſit contra honorem Dei? Si enim Falſum ſit quod enuntiatur, & Gloria Dei erit credere quod ſit Falſum, & adverſus Glo-

Gloriam Dei credere eſſe Verum. Et hæc Doctrina præcipuè extendenda eſt ad illas perſuaſiones quæ inducunt Credentes ad Fiduciam Salutis & Perfectionis collocandam in Actionibus, de quibus non conſtat quòd ſint ſalutares Devotioni & Animæ Agentis, quomodo eas eſſe inſinuant Laudatores.

6. Illuſtre hujus dicti Teſtimonium à Concilio Tridentino deſumitur; ubi, cum motum fuiſſet ut Decreto de peccato Originali adderetur piè credi Beatam Virginem immunem eſſe; Reſtitit Ordo Prædicatorum hoc argumento; quòd, ſi decretum foret eſſe *Pium* hoc credere, *Impium* foret hoc non credere; &, quod ſequitur, ex obliquo deciſa maneret Quæſtio quam Concilium in priori ſtatu relinquere cupiebat. Unde particula illa omiſſa eſt; nihil obſtante importunitate cujuſdam Epiſcopi Hiſpani, qui ex conſenſu cæterorum Ordinum & Univerſitatum contendebat non poſſe negari eſſe *Piam*. Quaſi conſenſus cujuſlibet Multitudinis in opinionem Falſam, poſſet eam Piam, & proinde Veram reddere; vel quòd non poſſet æquè dubitari de illorum Voto quòd Sententia illa foret Pia, quàm quòd foret Vera.

7. Ex deciſione circa Sententias fit gradus ad deciſionem circa Libros qui fiunt ex Enunciationibus; & non ſunt aliud quàm Enuntiationes confirmatæ. Libri itaque vel propter Errores prohibentur vel propter accidentales aliquas rationes. Si propter Errores contentos & promotos, palàm eſt, niſi extingui poſſent Libri, ex utilitate Eccleſiæ eſſe ut Doctorum manibus ingerantur potiùs quàm excutiantur. Si enim inter Heterodoxos vel pravos inveniantur, tunc Eccleſiæ neceſſarium eſt Errores & Probationes errorum notas eſſe; alióqui Fideles perverſioni exponuntur. A Vulgo itaque removendi ſunt ejuſmodi Libri, ſed conſervandi Doctis. Verum eſt, poſtquam in libris Pugilum Eccleſiaſticorum Errores manent ſatis impugnati, fortaſſis ipſos Libros etiam è Doctorum manibus tollere conſultum eſſe poterit; licèt experientia doceat Hæreticorum Libros impugnatoribus eſſe neceſſarios, etiam poſtquàm à pluribus ſunt confutati. Neque ampliùs de Libris neceſſe eſt diſſerere. Prohibitiones enim quæ ex aliis cauſis fiunt ut ex Vindictâ adverſus Hæreticos, cujus gratiâ etiam boni ipſorum libri, imò Sanctorum Opera ab ipſis impreſſa, ſed & ipſi Sacri & Eccleſiaſtici Codices, modò

ab

ab eorum prælis exeant, inveniunt Eccleſiaſticis Interdictis ſubjacere, non pertinent ad opetam noſtram, ſed ad Caput *Diſciplinæ* proximè occipiendum.

TRUTINATIO SECUNDA.

DE

Poteſtate Eccleſiæ circa Ritus & Perſonas.

1. DIſciplinæ itaque tres partes ſunt, ſeu potiùs Subjecta: Cæremoniæ, Vita Clericorum, & Cultus Laicorum ſeu Populi. *Cæremoniæ* continent Sacrificii & Sacramentorum & Sacramentalium ritus; quorum adminiſtratio ad Clericos ſpectat. Sacrificium & Sacramenta quoad Subſtantiam à Chriſto deſcenderunt, & per conſequens non potuerunt non ubique Chriſtiani Orbis ab Apoſtolis eſſe in uſum introducta. Palàm eſt itaque ad Subſtantiam Traditæ Doctrinæ pertinere, neque poſſe in ea Eccleſiam plus quàm in ipſam Doctrinam. Quoad adjuncta, fuerunt in diverſas Eccleſiæ partes ab Apoſtolorum vel

Succeſſorum prudentiâ diverſimodè introducta. His reverentia ex Antiquitate & Authoritate inſtituentium conciliata eſt,& propterea non niſi ex gravi neceſſitate tangenda ſunt, quæ ab immemorabili origine firmitatem traxerunt. Attamen Eccleſiæ poteſtas non deeſt, ſi inconvenientia evadunt, illa mutandi; quandoquidem Eccleſia moderna eſt æqualis vel potiùs eadem Antiquæ: Quorum verò Origo nota eſt, ſervatâ Legum regulâ quòd melius ſit mediòcribus uti quàm frequentes alterationes inducere, plenè diſpoſitioni Eccleſiæ ſubjacent.

2. *Vita Clericorum* in duabus Actionum lineis conſideratur: Ordinariarum,quæ vel in Adminiſtratione Sacrorum, vel in Honeſtate ſe gerendi, impenduntur; & Extraordinariarum. Quoad priores, palàm eſt, decentiam & aſſiduitatẽ requiri;&, per conſequens, proprium eſſe Eccleſiæ ut eas curent & imperent. Poſteriores oportet eſſe immunes & à Vitiis & à ſpecie Vitiorum, & eatenùs ſubjacent ſollicitudini & imperio Eccleſiæ. Ultra hæc non habet Eccleſia Jus in Clericos, ut privatum vivendi morem, vel Perſonas quas frequentent vel colant, iis determinet; quoniam, his poſitis, vivunt ut Clerici, quod ſolum imperare iis

eſt

eſt in poteſtate Eccleſiæ; &, in cæteris, Homines ſunt, & communi Hominum Societati Obedientiam debent, Hæc vera ſunt, quamdiu abſtrahitur à ſpecialibus Pactis & Inſtitutis, per quæ uberior poteſtas Eccleſiæ conceſſa eſſe poteſt. Nos enim quid ex Naturâ Eccleſiæ & Clericorum notione conſequatur inveſtigamus, à Legibus Poſitivis & Moribus abſtinemus. Sic autem ſpeculanti clarum eſt Finem ad quem inſtituti ſunt Clerici eſſe ut Populus Chriſtianus verbo & exemplo ad vitam Beatitudini acquirendæ idoneam à Clericis educetur; & palàm eſt hæc perfici ſi Clerici & Officio ſuo fungantur, & citra Suſpicionem Criminis converſentur. Ex vi itaque Finis non poſſunt ad alia cogi; &, quod ſequitur, Eccleſia quæ ex vi talis Finis agit, non habet ex naturâ rei ulterius in eos Imperium.

3. Quod Extraordinarias Actiones attinet; eæ vel Sacræ ſunt, vel Prophanæ ſeu Communes. Sacra eſt mitti ad Converſionem barbaræ nationis vel inter Hæreticos, vel cum gravi periculo ad adminiſtrationem Sacramentorum, velut tempore peſtis. De his ſicut clarum eſt eas cadere ſub Scientiâ & Providentiâ Eccleſiæ, ſic palàm eſt quæſtionem eſſe particularem in cujus

vel quorum poteſtatem cadat particularibus Presbyteris & Clericis ea imperare; & propterea differendam eſſe quæſtionem donec de ſpeciebus Poteſtatum Eccleſiaſticarum pronuntiatum ſit. Quoad actiones prophanas ſeu communes patet Clericos æquè liberos eſſe atque Laicos; cùm non extendat ſe regula Imperii Eccleſiaſtici ad eas. Hoc formaliter intelligendum eſto. Cùm enim Eccleſia præter Scientiā Sacrorum habeat Politicam, quâ ſeſe tanquam Corpus Politicum adminiſtret & defendat, ex hoc capite non eximuntur actiones communes Clericorum à poteſtate Eccleſiæ; ſed non jam ut Eccleſiæ, ſed velut cujuſdam Reipublicæ ſeu Communitatis.

4. Tertiam partem materiei diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtatuimus eſſe *Cultum Laicorum*; hoc eſt, illas Laicorum actiones quibus cultum & venerationem Deo debent & reddunt. Harum aliæ ſunt Publicæ, aliæ Privatæ: Et ſtatim ſurgit hæc Diviſio Poteſtatis Eccleſiaſticæ, ut privatas nata ſit dirigere non imperare, publicas etiam imperare. Palàm eſt enim ſi Laicis, hoc eſt, ignaris cultûs Divini permittatur univerſaliter quæ colunt privatim applicare Cultui Divino, neceſſe ſit Superſtitionem & aliena à Cultu Divino in populi adorationes

nes irrepere. Licet itaque Laicis eorum quæ probata ſunt Eccleſiæ quodlibuerit in privatas devotiones aſciſcère, non autem nova introducere. Hujuſmodi itaque Laicorum Cultus quoad Directionem ſubeſt Eccleſiæ; ſed non quoad Imperium, niſi mediante Laicorum conſenſu; ut, ſi conſuetudine, vel directionibus ultrò acceptatis dudum Legis vim nacta ſint illa inſtituta.

5. Quoad Publicas actiones, imprimis clarum eſt eas omnes ab Eccleſiâ imperari poſſe quæ neceſſariæ ſunt ad populum in eâ pietate conſervandum, quæ requiritur ad hoc ut ex majori parte & plerumque ad vitam æternam de facto pertingat. Cùm enim Virtutis ratio (dico illius quæ propriè talis nominatur) conſiſtat in motione voluntatis ad actualiter agendum, non ſufficit Decretis Eccleſiaſticis ut ejuſmodi ſint ut per illa qui de ſe volet *poſſit* pius eſſe; ſed talia ut *faciant* homines velle pios eſſe. Sicut in Reipublicæ Legibus expectatur ut tales ſint quæ *faciant* Pacem & Juſtitiam actu obſervari plerumque. Sequitur in cæteris quæ ad Eccleſiæ ſplendorem vel meliorationem morum faciunt, Clerum habere Ius perſuadendi, ſed non imperandi. Cùm enim Imperium afferat

neceſſitatem Obedientiæ & actionis imperatæ, ſi finis ob quem agit Clerus non confert neceſſitatem aliquam actioni imperatæ, neque conferet poteſtatem Clero imperandi talem actionem, ut qui ab ipſo fine regulandus ſit. Verùm, hoc non obſtat quin Laici teneantur obedire hujuſmodi præceptis ſi data ſunt, quia non eſt illorum judicare de Neceſſitate quam Finis quem intuetur Eccleſia donet actionibus; & propterea ex ſuprà explicatis de Republicâ clarum eſt Populum ſubmittere ſe debere, ſi nihil aliud ſpectetur.

6. Verùm, ſi conſtet Decretum Cleri obſtare Civili Gubernationi populi, non tenetur Populus obedire Eccleſiæ. Cùm enim Ars Civilis Gubernationis, etſi ſubordinata Eccleſiaſticæ, tamen, certis & indubitatis, hoc eſt, quæ falſa eſſe non poſſint, Principiis ſit fundata, hanc autem comprehendat populus, hoc eſt, Magiſtratus; fit eum comprehendere poſſe Cleri judicium eſſe falſum ex repugnantiâ quam habet cum ſuis Principiis certis & evidentibus. Neque obviari poteſt ex hoc quòd magis certa ſint Principia Fidei quibus Clerus nititur: Quoniam enim vera non poſſint ſibi invicem adverſari, clarum eſt ſi pars populi ſit evidenter vera, partem Cleri eſſe defectuo-

ctuoſam. Et Univerſaliter, quoniam quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt; & Utrumque Regimen à Deo ſit, reipſâ impoſſibile eſt Gubernationem Eccleſiaſticam eſſe oppoſitam Civili; imò neceſſe eſt ipſam confirmare & perfectiorem reddere. Unde, per hanc Doctrinam non derogatur Obedientiæ quæ debetur Eccleſiæ; Sed Vitia & temeritas Clericorum, quando non ſatis diſcuſsâ Veritate ad iniqua Imperia procedunt, impediuntur nè in effecta pernicioſa prorumpant, & ipſi Eccleſiæ detrimentum & dedecus concilient.

7. Attamen, non videtur impoſſibile evenire ut actio eadem Populi & detrimentum grave inferat Temporali Statui & tamen multum commodi afferat rectæ populi erga Deum adminiſtrationi; ſecundùm illud quòd qui volunt Divites fieri incidant in laqueum Diaboli. Sed, ſtatim evidens eſt qnòd ſi ſermo dùntaxat fiat de divitiis, vel gloriâ, vel ſimili aliquo accidente, Gubernationi Reipublicæ præferendum ſit commodum Spirituale, & poſthabendum detrimentum Temporale: Sed, ſi Incommodum ſpectet vel Securitatem vel Tranquillitatem Reipublicæ à Clero cedendum eſt Magiſtratibus. Magis enim neceſſarium eſt ut ſit Reſpublica quæ quoquo mo-

do poſſit perduci ad Beatitatem, quàm ut ſpe felicioris ſtatûs periclitetur nè non maneant qui vel ſic perduci poſſint ad hæreditatem Æternæ Salutis. Et per hæc aliquo modo determinatum manet in quibus Reſpublica Eccleſiæ ſive obedire teneatur, ſive repugnare licitè & honeſtè permittatur.

TRUTINATIO TERTIA.

DE

Poteſtate Excommunicationis.

1. SIcut Bona imperare obſequioſis ſic & deterrere Superbos à Malefactis ad Diſciplinam pertinet. Quare etiam hoc operis noſtri eſt quibus Terroribus utatur Eccleſia exponere. Hi ſunt præcipuè Æternorum Malorum Denunciationes. Hæ & Voce fiunt, & Actione. Voce, per Prædicatores & Doctores; Actione verò, per excluſionem ab iis adjumentis per quæ tardiores Animæ ad cæleſtia deſideria eriguntur. Hæ ſunt Sacræ Cæremoniæ & Conſuetudo cum illis qui eas frequentant. Terrores Æternæ Infelicitatis intentant prædicatores ex Chriſti mandato & vi ipſius Euangelicæ

cæ Doctrinæ quæ eos continet. Pro poſterioribus recolendum eſt quomodo poteſtas *E*ccleſiæ originem acceperit; nempe, ex Prædicatione ſeu perſuaſione populi ad obediendum Fidei Chriſti: Cujus ubi competens multitudo conſpiraviſſet obedire præceptis & documentis quæ ab Apoſtolis vel Apoſtolicis Viris acceperant, obtinuerunt Prædicatores vim Doctorum & Gubernatorum; conſentiente populo ſequenda eſſe præcepta ſui Doctoris.

2. Palàm autem eſt, populum conſentientem Apoſtolis, cum foret ſub Imperio Politico principum qui non obediebant *E*uangelio, quibus & docebantur obedire, non potuiſſe conſentire in poteſtatem aliqnam quæ Civiles ſuorum Gubernatorum Leges violare poſſet; cùm ipſe non ſuus foret ſed ſub alienâ poteſtate. Clarum itaque eſt non potuiſſe aliam Poteſtatem dare ſuis Prædicatoribus quàm ut volentibus denunciarent *E*uangelium, & imperarent ea quæ ipſis factu libera erant. Cùm itaque Chriſti præceptum non aliud acceperint quàm *E*uangelicæ Prædicationis & Adminiſtrationis Cæremoniarum, non apparet unde Apoſtolis vel Cleroeorum Succeſſori ex vi purâ Fundationis *E*ccleſiæ alia poteſtas competere poſſit. *E*x adverſo, cùm Congregatio

Fidelium & exercitium Legum Euangelicarum foret actio nullo modo Civili Gubernationi adverſa, & quod ſequitur prorſus libera, acquiſivit eo ipſo iuſta Multitudo ex ipsâ Naturæ vi quâ permiſſum eſt cuique privatas actiones ſuas pro libito moderari, ut poſſent quos vellent admittere, & quos nollent ab exetcitiis ſuis repellere, prout illi Fini conveniens erat cujus gratiâ Euangelicas Leges ſibi imponebant. Unde eos qui moleſti & noxii erant Fratribus & Exercitiis, rejicere à Communione ſuâ licebat & conveniebat. Erat autem Communio & in Sacris Exercitiis & in Vitâ communi; licebat itaque quando utraque libera erat, ab utrâque repellere eos qui malè ſe gerebant, & quicquid Communitati agere liberum erat, hoc ipſum liberum erat conferre in Præſidem Communitatis. Quare evidens eſt, Clero, hoc eſt, Præſidibus Populi Chriſtiani, competere Jus Excommunicandi, hoc eſt, à Communione tum Sacrorum tum Communium Actionum merentes talem pænam repellendi.

2. Video objici poſſe & Chriſtum Dominum per eas voces, *ſit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus*, & Apoſtolum cum prohibet *Ave* dicere Excommunicatis, & docet illum qui ſalutat Impium communi-

nicare malignis ipſius operibus, clare poteſtatem Excommunicandi præbere. Quinimò audet Apoſtolus, *Ideò* (inquit) *hæc abſens ſcribo ut non præſens duriùs agam, ſecundùm poteſtatem quam Dominus dedit mihi* &c. Quid poteſt apertiùs enuntiari quàm Poteſtatem Vindicandi eſſe à Chriſto Eccleſiæ traditam? Deinde, quod Petrus Ananiæ & Sapphiræ fecit, nunquid à populo hanc Poteſtatem habuit? Sed facilis eſt reſponſio; Non in hoc ſitam eſſe quæſtionem, Utrùm à Chriſto ſit hæc Poteſtas, certum enim eſt à Chriſto eſſe; ſicut nemo Theologus dubitat Regiam & quamlibet aliam Politicam Gubernationem à Deo eſſe; ſed quæſtio eſt quibus gradibus à Deo data ſit; immediaténe an mediante liberâ acceptatione Populi; & hæc æque evidens eſt atque prior. Cùm enim ipſa acceptatio Euangelii ſit libera, quomodo non ex Populi Voluntate pendet quod ex illâ pendet? Et, ſicut Euangelii acceptatio non aliâ pœnâ firmata eſt quàm Æternæ Damnationis (hoc eſt, nullâ viſibili pænâ denunciatâ etſi reipsâ non acceptantes Evangelium ulciſcatur ſua improbitas;) Sic neque aliâ pœnâ fundatus eſt rectus ordo gubernandi Populum Fidelem. Sed evidens eſt neq; Eccleſiam conſiſtere poſſe ſine hâc

po-

poteſtate Excommunicationis, unde adeò neceſſaria eſt atq;ipſaEſſentiaEccleſiæ,ſed, ſicut illa ita & hæc per Obedientiam voluntariam Populi vim & conſtitutionem obtinent. Sic tamen ut hæc obedientia æquè clara ac neceſſaria ſit atq;habere ſeu eſſe Eccleſiam.Neq;mirum eſt quod Apoſtolus audenter loquatur & mandet; Loquitur enim ad eos qui agnoſcebant Euangeliũ,& ipſum ejuſdem Diſpenſatorem, & cui concrediderunt gubernationem Animarum ſuarum. Voces autem Chriſti clarè inſinuant Poteſtatem Populi; voce *Eccleſiæ* ſignificante connaturaliter Multitudinem, ut appareat Præſulis poteſtatem inde originem traxiſſe: Quod autem Petrus egit (& videtur ſimile quidpiam eſſe quod minabatur Paulus) ad poteſtatemMiraculorum pertinebat: Quam conſtat non eſſe prorogatam ad poſteros,ſed vice ipſius adoleviſſe in cordibus Fidelium Conſtantiam Obedientiæ erga Prælatos; & adeò evidentem factam ut dubitari de illâ nullo modo liceat. Succeſſit etiam Confirmatio Politicæ poteſtatis ad immorigeros coercendos.

4. Patet ex hâc explicatione *Excommunicationis* illam non eſſe ſitam in Præcepto facto ipſi Excommunicato, ſed in Præcepto facto populo fideli, ut ſatis patet ex textibus

Sa-

Sacræ Scripturæ explicantibus Excommunicationem, & ex naturâ Gubernationis Politicæ & Legum pœnalium; ut ſupra, cum ageretur de illis, declaratum eſt. Ex hoc ulteriùs patet diſtinctio illa Excommunicationis *ſententie ferendæ* & *ſententie latæ*. Excommunicatio etenim ſententiæ latæ de facto premit populum ad evitandum Malefactorem; nempe quando facinus eſt Notorium, alioquin enim neceſſe eſt ut denunciatio verſus populum intercedat. Excommunicatio verò ſententiæ ferendæ non urget donec ab homine Excommunicatio inferatur. Patet etiam differentia Excommunicationis *à Iure* & *ab Homine*. A Jure enim eſt Excommunicatio, quando Ius imponit pænam Excommunicationis alicui crimini; ſive de facto eam ferat, ſive ferendam præſcribat: Ab Homine verò, quando Excommunicatio fertur propter delictum, cui ex vi Iuris non eſt conjuncta Excommunicatio, ſed fertur ex ſpeciali occaſione & prudentiâ Prælati; vel certè præſcripta eſt ut ferenda, non ut lata.

5. Nihilominùs, falſum eſt quòd expiret per mortem Latoris; ſed habet rationem Legis, durante causâ, niſi revocetnr, cùm ex naturâ rei ſit pars rectæ Gubernationis Eccleſiæ: Et, quamvis videatur ferri tem-

temporariè, tamen eſt conditionaliter æterna, ſcilicet niſi Satiſfactio fiat. Et hoc ex eo quoque roboratur; quòd non ſolùm Prælatus ſed etiam Capitulum vel Concilium, Diocæſanum vel Provinciale, poteſt ferre Excommunicationem, quaſi ab Homine; quæ tamen vel non cenſentur mori, vel ſaltem ſtatim moriuntur quamprimùm diſſolvantur. Sciendum ulteriùs, Excommunicatum alium ſolere dici Vitandum, alium non vitandum ſed Toleratum; & hoc ex decreto Concilii Conſtantienſis. Ad cujus diſtinctionis intellectionem ſciendum eſt Concilium Conſtantienſe in illa tempora incidiſſe in quibus abundabant Excommunicati; &, ut loquitur Apoſtolus, qui vellet omnes vitare in aliquibus partibus habebat ex mundo exire. Inde grave erat bonis obſervare Excommunicationis præceptum accuratè, & in præjudicium Eccleſiæ cedebat: Propterea, Concilium cupiens huic malo adhibere remedium, diſtinxit Excommunicatos in duas Claſſes; Unam illorum qui forent denunciati; & aliam illorum, qui ex generali Iure eſſent excommunicati; ſeu Unam illorum qui ratione Perſonalis cujuſdam delicti forent ab Homine Excommunicati, quibus adjunxit notorios Clericorum Percuſſores; & aliam il-

illorum, qui *per ſententiam latam* abſq; ſpeciali denunciatione forent Excommunicati: Et permiſit hos non vitari, illos verò vitari voluit. Non quòd de horum pœnâ detractum cuperet; ſed de moleſtiâ proborum & periculo Animarum humiliorum quæ facilè ſeſe ſcrupulis implicabant, ſatageret. Ex hâc itaque intentione Decreti explicatio pendet; quam viderint, quorum hæc intereſt.

6. Nobis de per-ſe-Effectis Excommunicationis agendum eſt: Quæ, cùm Excommunicatio ſit actio Fori Externi, non niſi ad Externos Actus applicari poſſunt. In primis itaque quando Excommunicatus privatur communibus ſuffragiis Eccleſiæ, duo patenter includuntur; nempe, quòd neque nominari debeat in publicis precibus, neque comprehendatur ſub Communibus Vocibus; verbi gratiâ, quando oratur pro omnibus Fidelibus, vel pro Circumſtantibus, & iis qui afferunt hoc Sacrificium: Neque, ſi ſit Imperator, vel Rex, vel Epiſcopus, ipſi Tituli quibus deſignatur commemorandi ſint. Hujuſmodi enim Expreſſiones vocantur Communia ſuffragia, quæ ablata faciunt erubeſcere vel certè Turpem fieri Excommunicatum: Non autem Interiora Vota ſive Eccleſiæ, ſive

par-

particularium proConverſione & ſalute ipſius, vel quæcunque auxilia propriè ſpiritualia, quæ tollere à peccatoribus contra Legem Charitatis foret, & quidem præcipuam ipſius intentionem ut omnes homines ſalui ſint, & mandatum diligendi Inimicos. Patet hæc Veritas tum ab expreſſione Apoſtoli quâ illum finem Excommunicationis ſtatuit ut confundatur Peccator & emendetur; tum ex uſu Eccleſiæ, quæ rogat pro Excommunicatis Feriâ ſextâ hebdomadis Sanctæ, quando quaſi in luctu poſita eos commemorat, non tanquam partes & communicantes Eccleſiæ, quod eſt prohibitum eos reputare, ſed tanquam miſerandos & Deo & ipſi. Tandem, quia Eccleſiæ poteſtas data eſt ad ædificationem, nòn ad deſtructionem; impedire autem auxilia ſpiritualia eſt opus Deſtructonis. Neque dictis obſtat quòd participatio Sacramentorum activa & paſſiva denegetur Excommnnicatis, ſicut & cætera Sacra incluſivè uſque ad ſepulturam. Reſponſio enim facilis eſt hæc non prodeſſe ſed obeſſe ſuſcipientibus & adminiſtrantibus indignè, quales Excommunicati & ſupponuntur eſſe, & per ſe loquendo etiam ſunt. Unde ſimilia non anferuntur, ſed declarantur ablata per peccatum quod meretur Excommu-

municationem ; Exterior autem actio impeditur ad confuſionem ipſius peccatoris.

7. Rurſus clarum eſt, privationem habilitatis ad Beneficia, & Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, & Communicationis Civilis tum in Foro tum in communi converſatione cum Fidelibus ad eadem confuſionem ſpectare, & eſſe partem præcipuam in Excommunicatione, cùm maximè obdurato cordi ad pœnitentiam valeat. Petes, an habeat Eccleſia ex ſeſe, vel ex permiſſione ſeu donatione Ciuilis Magiſtratûs ut denegetur Iuſtitia Excommunicato? Reſpondetur, per ſe loquendo eſſe ex vi poteſtatis ipſius Eccleſiæ, cùm contineatur intra terminos converſationis, & eam ex neceſſitate includat, modò negans non ſit ſubditus alteri ; tunc enim non niſi ex ipſius licentiâ poteſt negare Juſtitiam, præſertim ſi alter non ſit ſubditus Excommunicanti : Quare, quoties exercetur, in vi Eccleſiaſticæ directionis exercendum eſt. Sed in particulari, ſi quando ſpeciale dubium & difficultas naſcitur in Civili adminiſtratione Juſtitiæ, tunc ex deliberatione Civilis Magiſtratûs pendet, an ſit executioni mandandum.

8. Ex

8. Ex præmiſſis clarum eſt Excommunicationem non extendere vim ſuam per ſe extra ditionem Excommunicantis; Unde vis quam alibi habet ex Lege vel Pacto poſitivo ſurgit. Similiter, cæteræ pænæ Eccleſiaſticæ, ſive Cenſurarum rationem habeant (quales ſunt Suſpenſio & Interdictum, à quo parùm differt Ceſſatio à Sacris, ſicut Depoſitio & Degradatio à Suſpenſione, eò tantum quòd hæc ſit æterna, illa temporalis, ſive Cenſuræ & Condemnationis non habeant naturam ſicut Irregularitas, (quæ non ſemper ſupponit Delictum & per conſequens tunc non habet propriam rationem Pænæ) ſunt quodammodò Excommunicationis partes, & per differentias à Jure inventas ab eâ diſtinguuntur; &, quod ſequitur, nihil ſpeciale habent quod ad noſtrum inſtitutum attineat.

TRU-

TRUTINATIO QUARTA.

DE

Poteſtate Eccleſiæ in Mores, & de Habentibus eam.

1. TErtia pars Subjecti ad quam ſe extenderet poteſtas Eccleſiaſtica in Moribus poſita eſt ex diviſione factâ. Mores Chriſtianorum dicimus illam actionem ſeu uſum qui inter homines intercedit, abque ſpeciali mixtione Sacræ alicujus cæremoniæ, qualis eſt ferè Moralium Virtutum materia. Cùm itaque mores ex vi naturalis Rationis in praxim reductæ, inter homines adoleſcant, clarum eſt ex naturâ rei ad Rationis in rebus civilibus peritos per ſe pertinere. Quia tamen Providentia humana brevis eſt, nihil impedit aliquas Regulas quæ difficiliores ex ſolâ vi Rationis forent, à Divinâ eſſe Providentiâ ſtatutas ad homines ab erroribus tuendos. Has autem par eſt vel Traditione ab Eccleſiæ initio eſſe ad nos derivatas, vel ex Sacrarum li-

literarum ſtudio erutas : Et ſive uno ſive altero modo conſtent,eſſe eas Eccleſiaſticæ Poteſtatis objectum.

2. Primò itaque clarum eſt pertinere ad Eccleſiam illos mores, qui cum Evangelio nobis traditi ſunt, ſartos & tectos inter Fideles conſervare. Talis fortaſſis eſt Lex Monogamiæ, & de non repudiandâ uxore, & alia hujusmodi præcepta, quæ non eſt dubium ab ipſo Eccleſiæ principio eſſe apud Chriſtianos legitima; quæ, quia ex traditâ Doctrinâ pendent, palàm eſt pertinere ad poteſtatem illorum, quibus Traditam Doctrinam nos erudiendi cura commiſſa eſt. Quoad Mores autem ſive Uſum qui ex Sacris Scripturis elici poſſe creditur, ſed non eſt à principio traditus, hoc clarè conſtat non eſſe neceſſarium; &, quod ſequitur, perſuaderi poſſe non imperari. In reliquis non habet Eccleſia poteſtatem, niſi quatenùs Clerici Excellentiſsimi Reipublicæ, & perſpicaciſſimi Veræ Rationis, & Paſsioni ſuiſque Utilitatibus minùs addicti exiſtimantur; hoc eſt, non ut Eccleſia, ſed ut ſelectior populi pars ſunt & habentur.

3. Tandem ex dictis habetur Eccleſiam eſſe capacem aliorum Jurium circa res Civiles, & iiſdem titulis peruenire ad illa poſſe

Per

perq; Populus ad illa pervenit: verbi gratiâ, Donatione Rerum publicarũ, Præſcriptione, Ceſſione, Emptione & Uſucapione; &, ſi qua uſurpatio, in Principio injuſta, ex vi Naturæ tempore & uſu evadit juſta, ſic factam, eandem vim ad Eccleſiaſticos in Bona & Potentiam vocandos habere quàm habet erga Laicos. Cùm enim per hoc quòd Eccleſiæ aſcripti ſunt non perdiderint Naturam ſed illam perfecerint, & perfectiorem poſſideant, palàm eſt non minùs quin potiùs magis iis competere quæcunque ex Naturæ vi bona aliis contingunt. Non tamen ex hoc illatum volo, eos omnia ſimilia Bona participare conveniens eſſe. Quid enim conveniat ex iis quæ de ſe agibilia ſunt ad Scientiam vel Politicam vel Politicæ ſubalternam diſquirere ſpectat. Nos Moralem tractamus, in quâ quid Virtuti Vitioque dandum ſit tantummodò inquirimus. Et ſic quantum Deo ducenti infirmitas noſtra anſcultavit, de materiâ Poteſtatis Eccleſiaſticæ determinavimus. Supereſt, ut de Perſonis in quibus reſidet hæc Potentia ex rerum evidentiâ, ſequentes filum diſcurſûs noſtri, ſatagamus.

4. Quod itaq; legimus in Hiſtoriis ſacris & de quibus dubitare nòn licet, ferè hæc ſunt: Chriſtũ duodecim Apoſtolos elegiſſe, &

inter illos Primum Petrum. Poſtmodùm ſeptuaginta alios, quos dicitur deſignaviſſe. Inter hos duos Ordines has differentias legimus, quòd Apoſtoli ſint Electi, Septuaginta Expoſiti, quaſi non electiores ſed Neceſſarii. Apoſtolis datum ut cum Chriſto eſſent, & mitterentur ad prædicandum abſolutè: Septuaginta tantùm ad eos mittuntur ad quos Chriſtus ſecuturus eos erat. Apoſtolis data eſt plena poteſtas ſuper Dæmonia: Septuaginta dictum eſt tantummodò ut curarent Infirmitatem Hoſpitum ſuorum, quaſi in mercedem hoſpitii. Tandem Apoſtoli etſi legantur bini ſocietatis gratiâ iviſſe ad prædicandum, tamen ut ex ſeſe ſufficientes ſinguli miſſi ſunt, Septuaginta autem ut imperfecti in ſocietate, ut alter alterum adjuvet.

5. Evidens itaque bidiſtinctam eſſe à Chriſto Domino Hierarchiam; in Apoſtolos nempe & Diſcipulos; & Apoſtolos in unum Primum & reliquos ſecundarios. Apoſtolorum quoque numerus poſt Aſcenſionem Domini completus eſt, nunquam Diſcipulorum. Apoſtoli Spiritum Sanctum dabant per Confirmationem, Diſcipuli non dabant. Apoſtoli in Conciliis loquebantur, Diſcipuli tantummodò aſſiſtebant. Et hanc Diſtinctionem ab uſque principio in hodier-

diernam ætatem permanaviſſe tota Hiſtoria Eccleſiaſtica & facti evidentia coarguit. Siquidem evidens eſt in Eccleſiis ſemper & Epiſcopos fuiſſe, & Sacerdotes alios ſubditos Epiſcopis, per quos Populum adminiſtrabant Epiſcopi; & Pontificem Romanum, ut Succeſſorem Petri, ſemper inter Epiſcopos Primatum obtinuiſſe. Epiſcopos porrò, non privatâ Authoritate, ſed cum Concilio Sacerdotum ſuorum rexiſſe Eccleſias, & ex Sacris Literis & ex perpetuo tenore Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ,& ex neceſſitate Rationis,ut rectum & connaturale foret Regimen, evidenter convincitur.

6. Cùm enim rerũ agibilium ea ſit conditio,ut ex variis circumſtantiis pendeat,præſertim quando multis per unum Decretum providendum eſt, moneat autem nos quotidie memoriæ & comprehenſionis noſtræ imbecillitas uni homini impoſſibile eſſe omnia multis neceſſaria vel meminiſſe vel reſciviſſe;palàm fit Agibilia Humana non niſi ope plurium,quorum ſinguli circumſtantias quæ actionem in variis conditionibus ſubditorum comitantur, hi unas, alii alias pernoſcant, ut ſic nulla notabilis circumſtantia, quantum poſſibile eſt, evadat indagationem & ſcrutinium Legem ferentis, adminiſtrari poſſe : Alioqui, palàm eſt

Legem congrue ad Populi commodum ferri non poſſe. Cùm itaque de Divinâ Inſtitutione non poſſit eſſe ſuſpicio quòd non ſit conformis Naturæ & idonea rebus rectè gerendis, neque dubitari valet, quin Deus inſtituerit Epiſcopos habere Conſiliarios quorum ope gubernent Eccleſiam; ſi autem Conſiliarios, certè rerum peritos, & expertos eorum malorum quæ rectum regimen interturbent; quos certè palàm eſt, vel ſolos vel optimos, eſſe ſacerdotes qui in partem adminiſtrationis ab Epiſcopis vocati, & Epiſcopis geſtorum rationem reddentes clariſſimè (proximè ipſi Epiſcopo) ſunt idonei per ſe loquendo ad cognoſcenda mala & remedia Eccleſiis neceſſaria. Niſi itaque Epiſcopi Sacerdotum Collegium habeant, non ex Naturâ & ſecundùm Chriſti Inſtitutionem gubernant Eccleſiam.

7. Verùm, ſicut Epiſcopo neceſſarium eſt & Concilium habere, & ex ipſius conſilio regere, ſic Rationi adverſatur ut teneatur ſententiæ ſui Concilii ſtare. Sicut enim in ſpeculativis differere & indagare veritates ſcientificas Dialecticæ opus eſt, determinare verò eaſdem ad propriam Scientiam ſpectat; Sic & in Practicis, inferioris prudentiæ eſt movere difficultates, majoris

eas

eas conferendo, quod omnibus conſideratis ſit minus inconveniens, quid majus; & ex illo inferre quid, omnibus poſitis, præferendum ſit, quod negligendum. Quare, cùm Concilium Sacerdotum ad prius Officium requiri concluſum ſit fit poſterius eſſe Officium Epiſcopi; adeoque eſſentialiter ex vi Finis ſuperiorem eſſe Epiſcopum ſimplici Sacerdote. Et, quoniam Sapientis eſt judicare ſeu ordinare, Diſcentis autẽ inquirere,& dubitare, Epiſcopum perfectum eſſe & Magiſtrum, ſimplices Sacerdotes ad eos Diſcipulorum & *imperfectorum*, induere proportionem. Evidens itaque eſt Epiſcopi eſſe ſententiam ferre ex ſcientiâ ſuâ propriâ, factâ vel occaſionatâ ex dictis ſui Concilii, vel aliunde etiam; ſed non ex illorum Sententiis, quæ nullæ ſunt, cùm non ſupponantur habere poteſtatem ferendæ ſententiæ; quicquid ſit de privato Perſonarum valore & æſtimatione.

8. Attamen, quando dicitur Epiſcopum non obligari ad vota ſui Concilii, non eſt intelligendum eum poſſe ex Voluntate ſuâ magnum vel paruum determinare, ſed ex Judicio & quaſi Scientiâ collectâ ex ſuggeſtionibus Concilii, vel aliunde; modò ex Iudicio ſuo & non ex Voluntate, vel ex eo

quòd præ æſtimet alios ſuo Concilio (quod ex naturâ rei apparet eſſe vitioſum) ſed, quia ipſemet aut videt, aut videre ſibi videtur Veritatem ſeu Optimam Gubernationem in parte adversâ ſententiæ ſui Concilii eſſe poſitam; Alióqui tenebitur, ſi ſe habeat tanquam ignarum, præferre ſententiam ſui Concilii cuicunque ſententiæ aliorum, qui ex Officio & per ſe non ſupponuntur tantùm periti eſſe rerum Eccleſiæ ſuæ quantùm ipſum Concilium.

9. Ulteriùs evidens eſt ex origine Eccleſiæ, quam & Hiſtoria teſtatur & ipſa Natura clamat non aliter potuiſſe contingere, plures Epiſcoporum gradus in Eccleſiâ eſſe. Cum enim Apoſtolus aliquis vel ipſe in Eccleſiâ reſideret, vel vice ſuâ (cùm non rediturus diſcederet) ſucceſſorem ſibi ſubſtitueret; ut Paulus Titum Cretæ, Timotheum Epheſi, alium Antiochiæ ſive Ipſe ſive Petrus; iique in minoribus Civitatibus ubi non reſidebant, alios inſtituerent; habet Natura, ut ſic inſtituti, ſi quid dubii eos vexaret & ambiguos redderet, ad ſuos Inſtitutores conſilii & directionis gratiâ illud referrent. Ex quo clarum eſt natam eſſe oriri Conſuetudinem graviora ad Inſtitutorum ſuorum Iudicium referre; Conſuetudinem verò in Legem tranſire & facit Natura,

tura, & in Magno Nicæno circa Patriarcharum Provincias clariſſimè & diſertiſſimè expreſſum eſt. Evidens itaque eſt non potuiſſe non plures gradus in Ordine Epiſcopali ſuboriri. Hinc tres celebres illi gradus Patriarcharum, Metropolitanorum ſeu Archiepiſcoporũ, & Epiſcoporum qui alios ſub ſe Suffraganeos non haberent. Et, ſicut neceſſe eſt, quod non ex conſilio ſed caſu adjuvante naſcitur, etiam non perfectâ conformitate ubique ſibi concordare; ſic neque horum Iura ubique eadem ſunt, ſed qualia Uſus introduxit.

10. Et adnata eſt quædam quarta ſpecies Epiſcoporum, quæ Primatum dicitur; qui, cùm nequaquam adeò amplam ditionem poſſiderent ut inter Patriarchas computarentur, & tamen ex uſu antiquo & originario à nullo Patriarchâ penderent, ſed immediatè Univerſali Eccleſiæ ſubjacerent, Primates propriè dicti ſunt. Hic fuit caſus Epiſcopi Cypri judicatus contra Antiochenum; & vel poteſt fuiſſe, aut denuò futurus eſſe aliorum Epiſcoporum nullum Suffraganeum habentium, cùm quodammodò ex caſu non ex conſilio pendeat. Verùm, de his omnibus clarum eſt, utcúnq; Vſus Superioritatem & Inferioritatem induxerit, ſemper manere æqualitatem eſſentia-

lem, eò quòd Inferiores æquè vim judicandi habeant atq; ſuperiores, & differentia ſit in quadam Perſonali, hoc eſt accidentali præſtantiâ in Iudicando; non quòd ex neceſſitate Perſona ſit melior, ſed quòd habita vel habenda ſit, ex Iudicio eorum qui Officium contulerunt, præſtantior; vel ſimpliciter, vel in conditionibus poſitis.

11. Ex his colligitur quomodo celebris illa diſtinctio trium Graduum Perfectionis communicandæ, ad Hierarchiam accommodetur. Palàm enim eſt Apoſtolos poſt Aſcenſionem Domini, tertium Gradum Eccleſiæ ex Laicis adoptaviſſe, ſub Diaconorum, hoc eſt Miniſtrorum, nomine; occaſionem fuiſſe murmur natum ex inæquali diſtributione communium alimentorum : Et hanc adminiſtrationem iis pro principali Officio datam, hoc eſt, opera Miſericordiæ eſſe primum Diaconorum opus; & per conſequens cætera, maximè quæ circa Sacra miniſtrant, iis competere non tam ex Inſtituto quàm quia digniſſimi poſt Sacerdotes inventi ſunt. Adminiſtratio autem Temporalium clarè, quando exercetur ut oportet, emundat Animam à Concupiſcentiâ temporalium; & propriè idonei ſunt aliorum *Purgationi*. Sacerdotes verò, ut diximus, intelligunt, & explicare aliis nati ſunt quæ ip-

ipſi didicerunt; quòd eſt *Illuminationis* virtus. Epiſcoporum demum eſt agenda judicare, ſeu ad Finem Ultimum applicare, quod eſt *Unire*.

TRUTINATIO QUARTA.

DE

Poteſtate Superiori Epiſcopali.

1. EX dictis facile eſt colligere, non poſſe eſſe aliquem gradum in Eccleſiâ Superiorē eſſentialiter Epiſcopatu; quia neque in Intellectu humano eſt præſtantior actus quàm *Iudicii* cui correſpondet Epiſcopale Officium; neque in Vitâ Spirituali actus aliquis celſior quam *Unire*, quem ipſum ſequi ad vim Iudicii & Diſcretionis palàm eſt. Unde & *Papa* explicatur per illas voces *Summus Pontifex*, & quæcunque Superioritas ipſius annexa eſt Titulo Epiſcopi Romani. Ad idem pertinet quòd nulla poteſtas Ordinis ſeu Conſecrationis reſervata eſt Papæ; Chriſmatis enim confectio, & Confirmatio & Ordinatio communis eſt omnibus Epiſcopis. Quòd autem Agnos Dei conſecret ſolus, & Indulgentias,

 com-

communicet quaſi ex propriâ authoritate, eſt per reſervationes novitias, cùm palàm ſit Indulgentias ad Curiam Epiſcopalem ſemper pertinuiſſe, & Agnorum inventio nihil ſpeciale ultra Calicum ſanctificationem habeat, & novella ſit, cùm in Sextâ Synodo Can. 82°. prohibitum inveniatur Chriſtum in formâ Agni depingere, per has voces, *In imaginibus impoſterũ pro vetere Agno erigendam ſancimus*; putà quam humanus character valet exprimere. Neque vim habet cavillatio de *Veteri Agno*, quaſi forma Novi Agni eſſet permiſſa: Clarum enim eſt & Veteris Agni in hujusmodi cereis ſignis retineri formam; & Baptiſtam à Vetere Agno nomen eſſe mutuatum, etſi de novo loqueretur. Cùm itaque Summus Pontifex Iure Ordinis & vi Sacramenti nihil habeat præferendum cæteris, quærendum eſt, in quo ſedeat decantata Sanctæ Sedis Eminentia, præſertim ſupra Primates & Patriarchas.

2. Neque dubitari poteſt de Primo Privilegio; nempe quod (quicquid ſit) ex Iure Divino ſit, non ex Legibus Conciliaribus, vel ex Conſuetudine duntaxat Eccleſiæ. Cùm Petri Privilegium ut ſit Summitas Theologorum, hoc eſt, Epiſcoporum, & in Sacris Literis, & in Antiquitate, & in Traditio-

ditione euidentiſſimè conſpiciatur. Ho c tamen non obſtat quin alia Privilegia habeat iiſdem nominibus quibus ea poſſident Patriarchæ & Primates, quorum omnium celſiſſimus eſt. Sed, in hoc negotium ſitum eſt, ut quid ex vi Iuſſi Divini poſſideat, quid ex aliis capitibus enucleetur; Cætera enim ut mortalibus titulis accreverunt, ſic etiam & ſimilibus cauſis decreſcere nata ſunt. Atque ut more noſtro citra ambages ad viſcera Quæſtionis properemus,

3. Commemorandum eſt quod Paulus ait, *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*: Sed, poſt Chriſtum Dominum, qui Epiſcopos ad prædicandum & docendum miſit, & Væ illis fecit ſi non *euangelizarent*. Non autem adeò lutulentè hoc interpretor ut *Euangelizare* non aliud ſignificet quàm ſtare concionabundum in ſuggeſtu: ſed quòd *Prædicare* ſignificet *curare Prædicationem*; ſive id gravi ſermone fiat, ſive curando eos qui id agant, & quoad Vitam & quoad Mores, & potiſſimè quoad Inſtructionem de formandis Populi moribus. Sed, in quocunq; conſiſtat, in Actione quærendum eſt quid ſit Epiſcopum eſſe. Actionem enim eis præcepit Dominus; Poteſtatem Dominii & Faſtum, & quod non Actionis gratiâ habetur, interdixit. Primatus ita-

quæ Petri & Papæ in Actione inveſtigandus eſt. *E*t ſic videmus Petrum in Actione Primum fuiſſe. Dum viveret Magiſter, Primus fuit in Fidei Confeſſione: Poſt Aſcenſionem Dominicam in ſupplendo defectu Eccleſiæ per Apoſtaſiam Judæ fatiſcentis. Poſt receptionem Spiritûs Sancti, prædicando & Judæis & Gentibus; in damnando Sacrilegium & Simoniam; *E*t tandem in ferendis Legibus ex communi Collegarum voto. Par itaque credere eſt ſimilia eſſe Jura Summorum Pontificum.

4. Verùm, ut magis vivè ſtringamus quæſitum, divido Eccleſiaſticam Operationem in *Communem* & *Particularem*. Communem voco illam, quæ ad Univerſitatem Chriſtiani Populi ſpectat: Particularem appello, quæ ad ſingulos Epiſcopatus, vel Patriarchatus, vel Primatias. Rurſus, *Communis* Actio declaranda eſt; Alia enim eſt quæ ad ſingulos omnium ſpectat; ut, Jejunia, Feſta, Mores, & hujuſmodi alia: Alia eſt, quæ pro totâ Collectione laborat; ut, Defenſio Juris Eccleſiaſtici in Communi, Condemnatio Hæreſûm, Schiſmatum ſublatio &c. Secundùm has Diviſiones inquirendum eſt de Officio Papali: *E*t inprimis, Actio *Communis* Communitate Univerſali, hoc eſt, ſingulis comnium præſcribenda ex naturâ rei, ſeu abſtra-

ſtrahendo à Conſuetudinis & Legum humanarum vi, ſpectat ad Concilium Generale. Patet enim tot circumſtantiarum accidentibus involutam eſſe hujuſmodi Actionem, ut ex naturâ rei requirat determinationem Peritorum totius Orbis Chriſtiani, hoc eſt, omnium Judicum ſingularum Diœceſium; hoc eſt, omnium Epiſcoporum. Ad Papam itaque pertinent quidem ſimiles Actiones; ſed, ut per Concilia Oecumenica,& ex illorum votis peragendæ.Sunt enim, ut dictum eſt, *E*piſcopi hujuſmodi actionum Scientes & Judices.

5. Actio,quæ Communis eſt quia reſpicit Collectionem, conſideranda eſt ſecundùm neceſſitatem: Vel enim requirit expeditionem ſubitariam,vel poteſt ad Conciliũ Generale referri. Si prius, clarum eſt ſpectare per ſe ad Papam ſeu *E*ccleſiam Romanam; modò ſit in conditionibus in quibus poſſit Eccleſiam ſublevare. Quodſi non ſit, ſpectat ad quoſlibet Epiſcopos in quorũ poteſtate eſt, quòd Neceſſitas Eccleſiæ poſtulat ſubſidium ipſi exhibere. Neceſſitas enim cuilibet Authoritatem donat Animarum ſaluti providendi; quandoquidem Supremi Finis & Boni rationem induit & ex illâ agit. Actio Privata extra proprium *E*piſcopatum, non poteſt pertinere ad Papam, niſi

vel ex conſuetudine, aut Jure poſitivo, vel certè ex Neceſſitate. Neceſſitas intercedit quoties non rectè geritur ab iis, quorum intereſt vel immediatè vel mediatè; hoc eſt, Epiſcopis vel Conciliis minoribus.

6. Explicatâ quomodocunque ſingulorum Epiſcoporum poteſtate, quam ex naturâ rei ſortiti ſunt, de Conciliorum poteſtate, ſive de Epiſcoporum multitudine & Collectionibus agendum eſt. Clarum autem eſt ex ſuprà dictis, Poteſtatem quæ eſt in Multitudine ſnpra privatam Perſonam ſed æqualem è duobus fontibus exilire, Scientiæ & Conſensûs. Scientia vel eſt Speculativa vel Prudentialis; Speculativa non neceſſariò eſt major in Multitudine, imò ſæpè in inſigni portione minor. Unde nulla Authoritas accreſcit Multitudini ex Scientiâ Speculativâ. Verùm, Practica & Prudentialis quæ ex experientiâ naſcitur, expectatur major in Multitudine quàm in particulari. Quare Leges & Lites quæ ex Prudentiâ pendent, ferendæ & terminandæ ſunt à Multitudine quæ ſupponitur perfecta, qualis eſt Epiſcoporum, adverſus ſententiam particularis cujuſpiam; neque ſolùm unius particularis, ſed etiam adverſus notabilem partem Collectionis Judicum; quæ quanta ſit in ſimilibus, vel Lege

vel Conſuetudine fermè ſtabilitum eſſe ſolet. Sin verò de Condemnatione partis, verbi gratiâ de Excommunicatione vel Depoſitione Epiſcopi ſit quæſtio, clarum videtur quòd Multitudo tanta debet eſſe ut habeat rationem Totius ad Partem; hoc eſt, ut in morali æſtimatione Univerſalitas ſeſe teneat ex parte condemnantium. Cùm enim æqualis in æqualem non habeat poteſtatem, purus autem Numerus non det rationem Superioritatis, non ſupereſt aliud quàm ratio Totalitatis quæ poſſit requirere cedentiam tantam, ut pertineat ad ipſam Subſtantiam Ceſſoris. Non videtur itaque hujuſmodi ſententia à majori in minorem partem ferri poſſe ex Naturâ rei, ſed tantummodò ex Lege ſeu priori aliquo conſenſu quo obligata maneat minor pars cedere potiori. Notandum autem eſt omnes Epiſcopos, ex ipsâ Eccleſiæ ratione, eſſe ejuſdem Unius Corporis membra, & propterea non requiri conſenſum aliquem Civilem, qualis in Rebuſpublicis deſideratur ad dandam rationem Totius & Partis, ſed hæc haberi ex ipsâ naturâ Fidei & Religionis Catholicæ.

7. Attamen, quibúſnam Epiſcopis ſeu cui Concilio ſiſtendus eſt ex naturâ rei Epiſcopus, maximè Archiepiſcopus, vel Primas,

mas, vel Patriarcha? Reſpondetur, cùm clarum ſit illum eſſe membrum ſuæ Provinciæ, ſeu tantummodò Primum ſuorum Suffraganeorum, & ſolo Jure poſitivo prælatum, quæ prælatio ex Crimine perdi poteſt, palàm eſt omnium Comprovincialium, ſit tot ſint ut Unus totius Multitudinis non ſit notabilis pars, arbitrio illum ſubjacere: Sin pauci ſint, ex proximis Provinciis illum numerum coire debere, ut reſpectu omnium non ſit æſtimandus rationem totius infirmare. Hæc dicta ſunto ubi Leges Eccleſicaſticæ nihil oppoſitum conſtituerunt, vel major Legibus Conſuetudo introduxit.

INSTI-

INSTITUTIONUM ETHICARUM, SIVE STATERÆ MORUM,

EXAMEN DECIMUMTERTIUM, DE

Poteſtate Papæ; & Obedientiâ reſpectivè ad omnes Poteſtates.

TRUTINATIO PRIMA. DE

Papæ & Concilii comparatione.

1. AT nondum liquet quid de Romano Pontifice pronuntiandum ſit; qui cùm Primatum à Chriſto Domino & Jure Divino poſſideat, procul-

culdubiò non eſt in Eccleſiæ Poteſtate eidem derogare. Non videtur itaque ratio Multitudinis adverſus Ipſum prævalere poſſe ut cedere teneatur quaſi Pars Toti: Cùm tamen ex adverſo evidens ſit, non Eccleſiam propter Ipſum, ſed Ipſum propter Eccleſiam natum eſſe & creatum. Attamen, ſi propiùs Quæſtionem intueamur, & quid ſit quod Chriſtus ſpeciatim contulit *Petro*, facilè apparebit non aliud eſſe quam onus gravius Actionis, ſeu ſollicitudinem Totius Eccleſiæ. Neque cum ratione dubitari poteſt quin tale onus comitentur gloria & præmia humana; Verùm, non à Deo immediatè, ſed ab Eccleſiâ. Chriſtus enim prohibuit ſuis Miniſtris talia expectare vel aſſumere. Sed idem Eccleſiæ præſcripſit per Apoſtolum ſuum, ut Operariis mercedem retribuat; cui debemus tributum, Tributum; cui vectigal, Vectigal; cui honorem, Honorem. Hæc itaque non conſequuntur Officium Papale vel Epiſcopale ex vi Præcepti Divini facti ipſis Miniſtris; ſed ex vi inſpirationis & ductûs Spiritûs Sancti per quem ſubditis imperat ut hæc impleant, & honorificent, ſeu recipiant ad ſe miſſos. Quod ſi verum ſit, palàm quoque erit, ſicut Præmia temporalia, ita & Pœnas ab Eccleſiâ infligi poſſe; nullibi enim vel

in

in Sacris Literis vel in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ, aut Sanctis, immunitatem à Pœnis (ſuppoſito delicto) legimus, vel fando accepimus: Verùm, è contrà, deponendum eſſe Papam qui Hæreſim doceat expreſsè declaratum eſt. De cæteris Eccleſiaſticis dignitatibus à quibus ad Papatum fit gradus & argumentatio, notius eſt quàm ut diſputari poſſit.

2. Hæc tamen differentia videtur inter Summum & alios, quòd nulla indignitas Perſonæ poſſit crimen in Cathedram derivare, ut Petri Succeſſio à Ditione Romanâ ſeparari valeat. Hoc enim Chriſti Inſtitutione fundatum eſt ex morte Petri in illâ Civitate nè vaga & incerta ſit Eccleſia quò recurrat, & ubi Caput agnoſcat. Tantummodò itaque Perſonam, ſicut electione & cæremoniâ ſtabilit & conſecrat, ſic ob Delictum poteſt deponere & deſecrare Eccleſia. Palàm itaque eſt inania & ſine fundamento eſſe commenta illa Theologorum, quæ deplui de Cœlo quandam Immobilitatem in Caput Pontificis dum ab Eccleſiâ Conſecrationem recipit, fingunt; cùm Authoritatem per vim Succeſſionis accipiat, ſicut cæteri Epiſcopi; & originaliter, non Epiſcoporum tantùm, ſed & Sacerdotum poteſtatem è cœlo derivari nemo dubitet.

Unde

Unde mirum eſt qnòd adeò levia figmenta virorum alióqui Doctiſſimorum & graviſſimorum pectoribus inſidere potuerint, abſque ullâ apparente causâ vel occaſione, ut ſecare Fidem & Unitatem Eccleſiaſticam adeò futilibus opinionibus paratos non paucos reperiamus; *Tantum Religio potuit ſuadere malorum*, ſed incautè ſuſcepta, vel magis indebitè ampliata.

3. Ex his aperietur via ad celebrem illam Quæſtionem de Papæ & Concilii Superioritate evolvendam. Crediderim enim utrimque in extrema diſceſſum. Inprimis enim & Papæ eſſe convocare Concilium, & in illo per ſe vel Legatos ſuos præſidere inevitabiliter ex principiis ſuprà poſitis ſequitur, quòd in iis actionibut quæ ad Collectionem Eccleſiæ ſpectant proprium ſit Officii Papalis eas incipere & promovere. Ex aliâ rurſus parte quia Collectio eſt Judicum, hoc eſt, peritorum & capacium, qui à ſe ſententiam ferant, & non ex alieno ore pendeant, palàm inde eſt Papam in Concilio non ſupra Concilium præſidere; adeò ut Definitiones perfectè debeant eſſe Communitatis ſeu Concilii, non Papæ ut à Concilio ſejuncti; utcunque utrùm ſcribendæ ſint nomine Concilii an Papæ in Concilio ex ordinatione Eccleſiæ pendeat; tamen ve-

neran-

nerādæ ſunt ut Cōcilii, non ut Papæ ſolius.

4. Conſequenter, ſi quæratur an Concilium habeat poteſtatem vel Authoritatem ſupra Papā, reſpondendum eſt non habere, ſed poteſtatem Papæ eſſe Supremam in Eccleſiâ Dei. Ex aliâ parte ſi petatur an Concilium poſſit Judicare ſive Decreta ſive perſonam Papæ in causâ criminis, nullatenùs eſt dubitandum. Et, ſi petatur quomodò Synodus hoc actura ſit ſine poteſtate? Sciendum eſt poteſtatem propriè dictam, & ut communiter accipitur à Legum Conſultis ſignificare potentiam quandam ex conceſſione alienâ perſonæ alicui inexiſtentem. Sic Princeps poteſtatem habet ex conceſſione populi, per cujus Voluntatem potentiam regendi accepit; Iudices & inferiores Magiſtratus ex Conceſſione Principis: Et ſic quærunt Doctores in Conciliò Authoritatē poſitivo quodam Juſſu Dei impertitam Concilio, ſicut Primatus à Chriſto conceſſus eſt Petro. Sed intimiùs dirigenda eſt intuitio & quærendum, Unde in populo poteſtas ſit conſtituendi ſibi Principem, & ſtatim apparet non ex aliquo titulo Juſtitiæ vel Donationis, ſed ex vi Naturæ, & ex eo quòd Homines ſunt, quòd Creaturæ natæ gubernare ſe cum Ratione. Inde poſſunt paciſci, & ſtare Pactis: Inde ha-

habent poſſe dare Magiſtratui potentiam in perſonas & actiones ſuas, quod eſt conſtituere illum Magiſtratum. Sic itaque Chriſtus Apoſtolis ſuis dicendo, *Prædicate, Remittite & retinete peccata*, conſtituit illos, & in illis Epiſcopos Succeſſores, Congregationem quandam Supernaturalem, ceu novum Genus Humanum creans; dans illis Fidem ſeu Rationem Fide elevatam pro Fundamento & Baſi novæ Vitæ quam deinceps eos vivere oporteret. Nunc itaque ſicut Homines ſeſe gubernant Ratione, ſic Prælati per Fidem ſeu Rationem Revelatione elevatam; & ſicut Ratio præſcribit hominibus, ſcandala & offendicula pacis auferre debent quibus modis optimè poſſunt.

5. In hâc itaque virtute & Naturâ ſupernaturali conjunctâ cum Communitate Reipublicæ Chriſtianæ fundatur Actio quâ Univerſalitas Epiſcoporum agit contra Epiſcopum particularem qui ſit membrum illius Communitatis, cujuſcunque dignitatis ſit, eâ non abſolvente Ipſum neque à vi Naturæ Humanæ, neque à vi Supernaturalitatis ſeu novæ quodammodò Creationis quam Chriſtus Dominus fundavit ſuo & Juſſu & Sanguine. Nihil enim magis adverſum naturæ Hominum & ipſi Rationi

eſt,

eſt, quàm impedimenta ſecurè & quietè vivendi impunia permittere. Unde, mirum eſt quomodò Viri, alióqui prudentes, perſuadere ſibi potuerint Chriſtum inſtituiſſe, ut Papa propter Hæreſim ſolam deponi valeat, in cæteris impunis exiſtat. Fateor equidem poſtquamPapæ ſæcularis Supremitas conciliata eſt, quoad crimina quæ Statum vel Ditionem ipſius tantummodò lædunt, oportere Ipſum frui privilegiis reliquorum Principum; Quatenùs autem eſt Caput Eccleſiæ non poterit deponi niſi ob crimina quæ Univerſam Eccleſiam graviter lædant quales ſunt Hæreſis & occupatio Tyrannidis Univerſalis in Eccleſiam & immania ſcelera quæ in totam Eccleſiam infamiam derivant. Iudicant itaque Epiſcopi ſive Papam ſive alios Epiſcopos ubi poſitiva Lex ſilet, ex vi Juris Naturalis Divini fundati in ipſo officio illorum, non per ſpecialem Conceſſionem, ſed per ipſam Creationem & Conſecrationem; quod principium altius & efficacius eſt quàm poſitiva quælibet Conceſſio, cùm ab ipſomet Principio, Deo, utraque prodeant; ſed hæc magis accidentaliter, illud magis ſubſtantialiter. Sic itaque evidens manet, quomodo, etſi Concilium nullam propriè dictam Authoritatem ſuperiorem Summo Pontifice ha-

habeat, eum tamen judicare Actáque ipſius infirmare valeat.

6. Nondum ſatisfactum eſſe ſcio adverſæ Sententiæ Patronis; propterea ſpecialiùs ad eos loquendum eſt. Hi credunt Chriſtum Dominum D. Petro omnem Poteſtatem *E*ccleſiaſticam commiſiſſe, cæteris Apoſtolis ab ipſo pro ſententiæ ſuæ conſilio diſpenſandam. Unde conficiunt illum addere poſſe vel tollere ab *E*piſcopis Poteſtatem prout ipſi viſum fuerit in Domino. Fundamentum hujus ſententiæ conficiunt ex iis promiſſionibus ſeu injunctionibus quæ ſpecialiter factæ ſunt Petro, ſive per collationem Clavium ſive per trinam repetitionem mandati oves ſuas paſcendi; addito etiam, ſive mandato ſive prophetiâ, quod confirmaturus foret Fratres ſuos. Hæc teſtimonia armant Diſcurſu, ut credunt, Demonſtrativo, ſic arguentes. Deus, cum curam aliquam committit vel imperat quippiam, dat ſimul facultates & inſtrumenta neceſſaria ad operationem imperatam: Cùm itaq; Univerſalem Curam Eccleſiæ ſuæ Papæ impoſuerit, cum Mandatum addiderit Oves & Agnos Chriſti paſcendi, non ſupereſt locus dubitandi quin poteſtatem neceſſariam hæc agendi ſimul contulerit. Sed poteſtas neceſſaria ad rectam guber-

bernationem eſt, ut poſſit facere quicquid ei viſum fuerit expedire ad perfectum regimen Eccleſiæ: Dedit itaque Petro & Succeſſoribus plenariam Poteſtatem agendi quodcunque viſum fuerit expedire ad utilitatem Eccleſiæ. Addunt Regulam ex Jure; *Qui nihil diſtinxit nihil reſtrinxit ſeu excepit*; Omnia itaque illi licent, ſaltem quæ ipſi expedire videbuntur. Oneroſior enim eſt illorum opinio qni Dominium ipſi tribuunt & poſſe in Legibus diſpenſare, & gratuita quæque facere merè ex vi poteſtatis abſque legitimâ ullâ aliâ causâ quàm quòd æquum ſit unumquemque de ſuis pro ſuâ libertate diſponere, abſque onere reddendæ Deo vel Homini rationis.

TRUTINATIO
SECUNDA.
DE
Papæ in Eccleſiam Poteſtate.

1. HOc eſt, fundamentum, non malè dixerim Unicum, adeò pernicioſi Erroris, & adeò immanis Tyrannidis in Eccleſiam introducendæ. Etſi enim videantur Sanctorum dicta & geſtorum exempla aggerere, ſunt tamen potiùs honorifica Sanctæ Sedis elogia, vel decorè geſtorum monumenta quàm Poteſtatis teſtimonia; cùm ex adverſo ingens rerum Chriſtianarum alveus retrorsùm ferat. Libet itaque primò Sententiæ merita expendere, poſtmodùm argumentationis fallaciam increpare. Quoad priorem partem videnda eſt qualitas propoſitionis, & quomodò ad noſtram notitiam derivari potuerit. Subſtantia Propoſitionis hæc eſt. Chriſtum Dominum integram Eccleſiæ ſuæ diſpoſitionem, Unius hominis, neque ſemper futu-

futuri *Petræ*, ingenio & viribus, concredidiſſe; ut in omnibus & ſingulis Provinciis ex informatione Romæ perceptâ & ſui propoſiti ſive integritate ſive imbecillitate dicat, hîc eſto Epiſcopus, hîc nullus. Hîc tu impera Joannes, illîc tu Andrea: Hanc partem Eccleſiaſtici Theſauri poſſidebit Philippus, potiorem Jacobus. Poteſtas ſingulorum Romæ menſuram accipiat, quot annos abſque renovatione habiturus ſit, quando nulla ſit futura ipſo facto quo non nova auſpicia Romæ petita ſint. Neque fingo in his quicquam quod vel non præſens ætas viderit, vel fidelis hiſtoria narraverit. Imò eò uſque proceſſum eſt, ut neque ſcribi permiſſa voluerint quæ non priùs Romæ fuiſſent viſa. Non queror Abuſus in exercitio qui in Miniſtros refundi poſſunt, Publicam Aſſumptionem Poteſtatis fleo.

2. Ultra decem milliarium millia Româ abſiſtunt ipſi Antipodes, & non erubeſcunt optare ſibi poteſtatem Romani, pinguiora beneficia & dignitates illîc conferendi & adoptandi; etſi minora ſint Epiſcopatibus, etſi curæ animarum præſentaneæ alligata. Inquies, nunquam hoc egerunt. Credo equidem; quia nunquam potuerunt: Sed poteſtatem defuiſſe, non

voluntatem arguunt quæ in Europâ geſſerunt & gerunt. Et, ſi improbum eſt extendere executionem in partes adeò diſſitas, æque iniquum eſt in propinquiora exercere, cùm poteſtas non ſit in hæc major quàm in illa, ſed occupatio facilior. Si Potentia, (qualem profitetur hæc ſententia) data eſt, æquè data eſt in impoſſibiles ejuſmodi regimini Provincias, quàm in ſolâ proximitate obnoxias. Evidenter itaque concluſum eſt talem Potentiam inutilem & impoſſibilem eſſe, atque proinde nunquam datam. Romani Ethnici commemorantur Imperii ſui pomœria contraxiſſe quia magnitudine laborabat, & unius Civitatis Obedientiæ erat grave nimis. Horum Catholicorum vanitati non ſufficit adjectus vel incognitus Romanis antiquis orbis.

3. Deinceps, convertat Lector animum ad Errores in adminiſtratione Eccleſiæ neceſſariò ſecuturos; perpendat, quando ubique proprii ſunt Paſtores, quando munia ſua ex conſcientiâ & cum diligentiâ exequuntur, quando per Concilia Provincialia & Nationalia ſæpè collecta caſtigantur occurrentia mala, quot tamen ubique Morum deliquia neceſſariò interveniunt? Quid itaque erit, quando unus Paſtor

ſtor Romæ degeret, Orbis Chriſtianus per mercenrios, ad Domini ſui placitum cuncta digerentes, adminiſtrandus erit? Si quid Curiæ placuerit, exoneratam ſuam conſcientiam modò illi obediant exiſtimantes? Pro remedio quocunque Romam uſque currendum erit. Non palàm eſt prodi Sanctam Eccleſiam avaritiæ & libidini miniſtrorum? Sentiunt tenuiores quanto levius ſit oppreſſionem ſubire, quàm dubium auxilium adeò longè quæſitum proficiſci. Quid moneam alienigenas pro conſuetudine tyrannidis ubique Dominaturos? indigenas perpetuò ſuſpectos habitum iri? Qui Politica meditantur facilè cumulabunt hunc locum uſque ad horrorem legentium. Nos indignitatem & vilitatem Generis Humani in hâc adminiſtratione & ex hâc erupturam expendamus.

4. In eo conſiſtit Nobilitas Humani Generis, quòd ſuarum actionum Sciens & Dominus ſit. Ex hâc adminiſtratione ſequitur Unam Civitatẽ eſſe Scientiæ domũ, cæteras Orbis partes Animaliũ genus, appetitu ducendum velut Canes & Pantheras aut Accipitres, propoſitis verberibus & eſcis ad venationem, ſic illas ad ea quæ Genti Romanæ congrua viſa fuerint exequenda, per-

pellendum. Ariſtoteli indignantur Philoſophi, quòd aliquas Nationes Servas naturâ æſtimaverit: Quo ſunt animo excipiendi hi qui cæteras præ Unâ tali ſtigmate notant? Fides enim Natura quædam eſt, & qui unius Dominatui lege Fidei ſubjiciuntur, tantundem eſt ac ſi naturâ ſervi forent: Deus populos liberos condidit, non Unum ſed Omnes; in omnibus capacitatem ingenuit, quâ aliqui eorum de ſummis humanæ naturæ negotiis arbitri eſſe valeant, ſi congruis diſciplinis & educatione fruantur. Quantum ſcelus eſt Uni Civitati Libertatem & ipſum Eſſe Hominis incarcerare!

5. Quid quòd hæc ſententia jam olim in damnationem Hæreſis proſcripta eſt à Gregorio Magno, Sanctiſſimo & Digniſſimo Pontifice? Si enim Epiſcopi non niſi Vicarii Apoſtolici ſint & deputati Papæ, tota Authoritas in unâ Perſonâ reſidet. Si Epiſcopus *Univerſalis* ſit, non per providentiam circa communia, ſed per per imperium in ſingularia, evanuit profectò Res & Virtus Epiſcopalis muneris, nomen manſit; Deſponſatio Eccleſiæ, Principatus Judicandi, radix Charitatis, quaſi circa proprium Gregem fervor, elanguit. Nuncii ſunt Apoſtolicæ Cathedræ, mutabiles

biles ad libitum, nihil habent quod curent vel diligant cras in aliam partem delegandi. Hanc ſingularitatem Dominationis ſi non invadant *Pontificio* nomine hujus ſententiæ aſſertores, atque adeò antiquæ illius Hæreſeos novi propagatores ſint, ego prorſus cæcutio. De Nomine *Epiſcopi* vel *Patriarchæ Univerſalis* non litigo; Voces enim ſunt ambiguæ ad plures ſignificationes: Et hæc ipſa Vox in ſignificatione nocivâ repudiata eſt ab aliquibus Sanctis Pontificibus, & in ſano ſenſu ab aliis acceptata. Unde Levium eſt hominum de Voce cavillari.

6. Adjice his talem eſſe hujus Subjectionis vim, ut non temporariis incommodis, non Corporeis vinculis, neque Corpus Pœnis alliget; ſed ipſum Animum, ipſam Mentem inviſibiliter coërceat. Legitur de quibuſdam Tyrannis quòd Fletum miſeris & oppreſſis interdixerint; ſed hujus Dominii Leges ſunt, ut neque te oppreſſum *videre* aut *cogitare* permittaris. Primum Juſſum fertur, ſi dubitas de Validitate hujus Imperii, *Hæreticus* & abominandus es. Niſi in corde agnoſcas & intimis ſenſibus reconditum habeas à Chriſto Domino & abſoluto Dei Imperio conſtitutam eſſe hanc Dominationem, reus es Gehennæ Ignis, & tene-

bras exteriores pro æterno latibulo hæreditabis. Secundũ Præceptũ ſimile huic, niſi paratus ſis ſanctificare manus tuas in ſanguine Amicorum, Conſanguineorũ, Parentum & Principum ut hoc Jus tueare, negas Chriſtum, neq; te confitebitur corã Angelis Dei. Niſi Opes prodegeris vel perdideris, Perſonam tuam carceribus & tormentis & horrẽdæ morti tradideris pro defenſione portentoſæ hujus in uno Homine Potẽtiæ, & in Univerſo Genere Humano Servitutis, interminatę Miſerię reus, omni ſpe Beatitudinis & promiſſæ Chriſtianis felicitatis exſpes & extorris, ſocius Sacrilegorũ & Prophanorum in tenebras exteriores ejiciêris.

7. Crediderítne quiſquam adeò horrendum jugum cervicibus Fidelium imponi ab Hominibus Sapiẽtiæ & Theologiæ cultoribus abſq; manifeſtiſſimis & invictiſſimis Chriſtianæ perſuaſionis fundamentis? Illa itaque diſcutiamus. Et firmus expoſtulo ut verbulũ unum pro Poteſtate Papali in hanc ſeveritatem exaltandâ, quod in ſenſu eodem claro & naturali aliis Apoſtolis non ſit commune, producant. *Paſce*, (inquit Chriſtus) *Oves meas:* Tota vis Poteſtatis in extenſione ſeu potiùs intẽſione illius vocis [*Paſte*] fixa eſt. *E*t quis negabit eam communẽ eſſe omnibus Apoſtolis? Paulus in *E*ccleſiâ præponit

ponit Paſtoribus, Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas; quomodo ergo non omnes Apoſtoli ſunt Paſtores? Vel quæ incognita Vis latet in hâc voce quando Petro dicitur quæ non poteſt agnoſci in cæteris Apoſtolis? Neque apud *Ezechielem*, neque in defenſione Jacobi adverſus Labanum commendatur Poteſtas Paſtoris, ſed Cura & Actio; & hoc ſignificatur per vocem *Paſce*, non Eminentia Imperandi. Non diffiteor in voce [*meas*] aliquam proprietatem latere, ſed quæ ad Univerſalitatem ſpectat non ad Imperii Vim; ut ſignificet Oves Chriſti *univerſim* non *Dominativè* cõmendatas Petro. Deniq; quid ſignificat *paſcere* niſi *alimenta præbere*; hoc eſt, Doctrinam & Scientiã prerogare? Cætera quæ apud *Ezechielem*, & in defenſione Jacobi narrãtur, Sollicitudinem & Amorẽ explicant. Ovium eſſe ponitur cognoſcere Paſtorem, & ſequi & audire vocem ipſius; hoc eſt, per perſuaſionẽ & amorem & exemplum duci, & ſequi Paſtorem.

8. Neque amplius erui poteſt ex vocibus, *Tibi dabo Claves Regni Cælorum.* Si enim *Claves* non aliud valeant quàm quod immediatè exprimitur, ut ligatum vel ſolutum in Cælo ſit quod Petrus in Tellure vel ſolverit vel ligârit, extra dubium eſt eandem poteſtatem cæteris quoque

Apoſtolis ore tenùs diſertè à Chriſto eſſe communicatam, & ſimul & iiſdem Donationis vocibus quibus Petro. *Dabo* enim Promiſſionis verbum eſt, *Accipite* Donationis;&, *Accipite* commune eſt omnibus, *Dabo* proprium Petri. Quòd tamen ipſa pollicitatio, præſertim cum adjunctione ſequentium vocum, *ſuper hanc Petram &c.* non ſignificet vel efficiat particularitatem aliquam in ipſâ Donatione nequaquam aſſero: Sed aliud eſt idem datum cum ſingularitate aliquâ competere Petro; aliud, ipſam Subſtantiam Doni eſſe diverſam, quod identitas Vocum omninò non permittit.

9. Securior locus eſt fundandæ Fidei Traditio, eademque præcipua ſolidè procedentium. Hanc non attingunt hujus dogmatis Patroni. Nobis, clarè huic ſententiæ oppoſita eſſe videtur. Fidem Catholicam ininterruptè ab Apoſtolis ad nos perductam,& propterea tempore Catholicam eſſe, conſentiunt Catholici: Si quid de novo emerſit non poteſt eſſe tempore Catholicum; *Et*, ſi loco Catholicum fieri poſſit ut videntur aliqui exiſtimare, tunc tandem erit cum Catholicam Eccleſiam ſucceſſu temporis occupaverit. Ad rem ut loquamur: Si hæc Poteſtas Traditione perpetuâ ad nos deſcendit, neceſſum eſt ut in primis

mis trecentis perſecutionis Annis perpetuò exercita fuerit; & in omnibus vel pleriſque provinciis in quibus Apoſtoli & Apoſtolici Viri tunc temporis prædicaverunt. Quod excedit figmenta Poëtarum,cùm rara eſſet inter Occidentem & Orientem communicatio; cum utriſque Indiis, imò remotiſſimis Europæ partibus, cum Æthiopiâ & Tebithâ neque per ſomnium. Si rari aliqui vel Hieroſolymam vel etiam Romam viſendi Sacra Monumenta ergô aliquando acceſſerint, privati hi erant, & Peregrinationi non Eccleſiaſtico Regimini intenti. Evidentiſſimum proinde eſt immanem hanc Poteſtatem perpetuo exercitio nunquã deductam ad nos. Si qui in Eccleſiaſticis monumentis inveſtiget quibus gradibus hæc cura quaſi Paſtoralis extenderit ſeſe ultra Diœceſim Romanam, vel uſque Ravennam (cujus Epiſcopi confirmationem ſub Leone ſecundo vel Benedicto ſecundo primùm occupavit) exercitium ipſius ſtabiliendæ Traditioni prorſus inidoneum comperiet. Verùm Libelli, non unius Tmematis hæc occupatio eſt.

10. Quandoquidem itaque infirma eſt pro hâc ſententiâ Authoritas; &, ſi velimus veritatem dicere, talis ut vix dum vires aſſumpſerit (quæ enim ex Sanctis trahuntur

 teſti-

teſtimonia & multa ſunt & ad rem parùm vel nihil facientia, & propterea neq; facilia citatu & quæ ſolo ſufflamine diluantur) ad Rationem dirigendus eſt intuitus, quam ſuppoſitâ communi ſollicitudine Papæ de omnibus Eccleſiis ſic effingunt, ut illi ſollicitudini neceſſariam eſſe authoritatẽ quidlibet jubendi àd finem rectæ adminiſtrationis ſubingerant. In quo manifeſtè errant ex Sollicitudine Poteſtatem arguentes. Actio (ut ſuprà dictum eſt) commendata eſt Petro, de Poteſtate nihil audivimus. Actio hæc eſt ut impellat omnes Fratres Epiſcopos ad munia ſua adimplenda; ut adjuvet ſi quâ in re poteſt; ſi quis injuriam patitur, ut interponat Authoritatem, quâ ut Primus & potentiſſimus Epiſcoporum gaudet, pro ſublevatione Innocentis: Si ſuperbos & rationi non audientes oppreſſores inveniat, & ſuam & ſibi conjunctorum Communionem iis deneget. Hæc erga ſingulos, hæc erga plures, & ipſa Concilia non vereatur exercere in cauſâ Delicti. Hæc omnia de Summis Pontificibus teſtantur Eccleſiaſtica Monumenta. Neque ſimilia in aliis Patriarchis infrequentia ſunt; ſed tantam apud *E*ccleſiam gratiam Summo Pontifici ſemper conciliavit Deus, ut exors quædam præ cæteris facultas in illo

illo hæc exequendi apparuerit, neque niſi gravi notâ ab ipſius Communione unquam receſſum ſit, neque niſi manifeſtâ juſtitiâ ſuffultos ſeſe recedentes crederent; cæteroqui vel Hæreſis vel Schiſmatis ſtigmate inurerentur.

11. Verùm, hujus novitatis Patroni Myſticam quandam potentiam commenti ſunt, quæ non conſiſtat in Conſenſu populi & Vi coactivâ, ſicut Sæcularis, neque in Vi perſuadendi, & repellendi à Communione, ſicut Eccleſiaſtica, quam videmus & à Majoribus accepimus; ſed in quâdam Neceſſitate Obediendi, qualem in Regularibus ex vi præeuntis conſenſûs naſci credimus; verùm hanc in Clericis invenire non poſſunt, ſed ex imaginariâ quâdam perſuaſione quòd Deus imperaverit obedire Præpoſitis, non ex viſibilibus motiuis, quo modo Majores noſtri inducti ſunt, ſed inviſibili quodam Juſſu, cujus limites ignoti ſint; & quos in poteſtate ſit Superioris pro ſuo arbitratu exporrigere. De quâ Phantaſiâ & priùs aliquantulùm diſſeruimus, neque defuturum ulteriùs locum ſuadet operis textura. Nunc ſufficiat ignotum eſſe & à Theologiâ alienum, Somnia pro Rebus ad Dogmata firmanda introducere. Unde, cum Dolore cogor

pronunciare de Viro qui utiliſſimè pro Eccleſiâ contra Hæreticos & Soavium in Tridentinâ Hiſtoriâ laboravit, quod Curiam Romanam (non enim Eccleſiam tangit hæc quæſtio) graviſſimè vulneraverit; hoc per totam Hiſtoriam Lectoribus perſuadere laborans, ſummos Pontifices hanc quam habemus impugnatam ſententiam viſcitùs amplexari; quod quantam Invidiam & indignationem in Epiſcopis totius Chriſtiani Orbis & Universâ Eccleſiâ ſit procreatura, ſæcula (ni fallor) futura ingenti luctu ſunt teſtatura.

12. Hæc eſt itaque Actio Primi Epiſcopi, perpellere cæteros ad Officia ſua, defectus inferiorum per Majores & Concilia reſarcire, Innocentibus refugium & auxilium præbere, Communia Eccleſiæ Commoda curare, incommoda prævenire &c. Quæ ſiquis enumerare conetur, inſuperabile humanis opus & onus humeris mortalibus importabile, niſi divina aſſiſtentia corroboret, facile inveniet; & eos qui majora quærunt, præ ignorantiâ Magnitudinis hujus deſipere. Poteſtas ad hæc agenda eſt Iuſſum Divinum, & gratia quam apud totam Eccleſiam ex tanto munere & officio conſequitur; præter alia Privilegia & ſubſidia temporalia, quæ hoc nomine ab Eccle-

cleſiaſticis & Laicis accepit & potitur; non imaginaria quædam & inſpectabilis vis obligandi voluntates hominum, quæ priùs credenda eſt ineſſe quàm quicquam poſſit cum ratione operari; & quidem Divinâ Fide innixâ revelationi, cujus nullum veſtigium apparet, ſed malleis & tunſionibus minarum & umbratilis Authoritatis in aſſenſum cogenda & arietanda ſit. Præterea, vis illa excludendi à ſuâ, hoc eſt regulariter totius Sanctæ Eccleſiæ, Communione, ſuperbos & arrogantes.

TRUTINATIO

TERTIA.

DE

Comparatione trium Poteſtatum in Mandatis Iuſtis.

1. DIductâ, ut potuimus, Poteſtatis, in Civilem Epiſcopalem & Papalem, naturâ, & imperandi poteſtate; ad Obedientiæ ſingulis exhibendæ neceſſitatem

vi-

videmur aditum calamo aperuiſſe. In multis enim obedire neceſſe eſt, quorum imperandi non eſt in Superiore legitima facultas, ut ſuprà dictum eſt. Duæ ſunt itaque Obedientiæ partes; Una, quâ legitimo imperio, alia quâ violento obtemperandum eſt. Iuſtis imperiis obeditur ut Bonum Commune proficiat & augeatur; Violentis, nè Malum Commune oboriatur. Hinc efficitur Mandatis Papalibus longè præ aliis quibuslibet, dum iuſta ſunt, eſſe obtemperandum, proximè Epiſcopalibus, ultimo loco Civilibus. Patet enim Bonum ad quod Papa ordinatur cùm ſit ſpirituale Bonum Univerſalis Eccleſiæ, magnoperè excellere cætera Bona. Rurſus, Bonum Spirituale quod Epiſcopi curant, commoditati vivendi longè præferendum eſſe. Sic itaque, dum non aliud quàm rationes communes conſiderantur, evidens eſt Obedientiæ gradatio.

2. De Iuſſis Violentis videtur omninò oppoſita ratio. Plus enim damni plerumque oritur ex civilium imperiorum quando injuſta ſunt contemptu, quàm Eccleſiaſticorum; & ſimiliter plus ex Epiſcopalium contemptu, quàm ex contemptu Papalium. Cùm enim Civilis poteſtas Gladium portet, ſtatim ad ingentia mala decurritur quando

ſe

ſe contemni videt. Sed Epiſcoporum potentia, quando eſt purè ſpiritualis, ſicut in communi conſideratione,& ſolâ reverentiâ populi nixa, in Præceptis injuſtis parùm nocet; Civili Poteſtate cohibente impetum Spiritalem & vi & ratione. Sin Papali obſiſtat utraque inferior Poteſtas, prorſus inermis & exarmata apparebit, ut à quâ in imperiis injuſtis & Civilis poteſtas cogendi vim, & Epiſcopalis perſuaſionis rationalis authoritatem tollat. Unde nihil magni incommodi inferri poteſt publico rerum ſtatui.

3. Sed ut hæc magis Actioni approximentur, per Iuſtum Mandatum intelligitur, quòd à Superiore in iis rebus & in eos quorum cura ad ipſum pertinet, ex intentione publici commodi citra notoriam negligentiam proficiſcitur. Injuſtum è contrà quod in ſubditos non ſuos vel in materiâ ad ipſum non pertinente, ex affectatione potentiæ, vel Lucri, vel voluptatis manifeſtè & notoriè geritur. Materia autem poteſtatum ſingularum quantum eſt ex naturâ rei, ex ſuprà præmiſſâ ſingularum poteſtatum explicatione clara eſt, ſicut & earundem ſubditi. Sed quia res de facto non tractantur adeò abſtractè, notandum ulteriùs eſt, & Eccleſiam,

ſive in Papâ ſive in Epiſcopis multam potentiam de Civili mutuatam eſſe, & rurſus Papam de Epiſcopali;& è contra,tum Epiſcopos aliquando ex vi Papalis influentiæ agere. Una omnibus Regula, Obedientiam ſequi Legem illius Poteſtatis in cujus vi agitur. Etſi enim Epiſcopus ad Bonum altius utatur Poteſtate acceptâ à Tribunali inferiore, quia tamen Finis ille altior eſt etiam Finis remotus qui non ſpecificat actionem, Obedientia debetur ut Magiſtratui Civili; ſicut ex adverſo ſi Civilis Magiſtratus agit ex imperio Epiſcopi, Obedientia eadem illi debetur quæ Epiſcopo.

4. Ex his deſcendi poteſt ad ſpecialia aliqua, verbi gratiâ, quòd ex vi Naturæ ſeu de Iure Naturali, Clerici non ſint exempti ab oneribus Reipublicæ quæ non impediunt eorum functiones: Exempli causâ, à Vectigalibus & tributis ſolvendis, à Iudiciis Civilibus & Criminalibus, imò neque à ſervitutibus perſonalibus, ut propugnandi Civitatem obſeſſam, ſervandi excubias, modò cum debito moderamine imponantur ut non ſint impedimeato exercitiis neceſſariis. Imò, Clerici qui ad ſplendorem Eccleſiæ adhibentur, ut ferè Minorum Ordinum ſolummodò compotes, etiam ad longiorem militiam cogi poſſunt ex naturâ

rei.

rei. Attamen, privilegia quæ poſſident ex Reipublicæ gratiâ, vel merito, & congruitate, æque illorum propria ſunt; & eodem jure ea defendere nati ſunt Clerici quo Nobilitas & Magiſtratus: *E*odem ſiquidem tenore iis fruuntur. Et ſic patet in quibus Clerici Civili Poteſtati nati ſunt obedire. Vehementior eſt hæc doctrina ſi applicetur ad immunitatem Templorum, Aſylorum, & Bonorum Fortunæ, ut de ſe evidens eſt. Laici modò Clericis directè ſuppoſiti ſunt in neceſſariis ad inſtructionem & culturam Animorum, ut ſuprà dictum eſt. Ad pœnas autem temporales infligendas Delinquentibus adverſus Eccleſiæ Leges, ſpecialiter Hæreticos, Eccleſiæ obſequendum eſt ex naturâ rei in communi, ut illæ pœnæ imponantur ſine quibus contineri non poſſunt Cives in officio, in ſpeciali verò determinandæ ſunt à Civili Magiſtratu, ſed ſincerè & cordialiter procedente; quod ut faciant, Cleri eſt per inſtructiones & hortamenta curare.

5. Apparet itaque Obedientiam Laicornm eſſe ſubjectionem ſimpliciter, hoc eſt, in actionibus ſupremis hominum; Obedientiam verò Cleri erga Civilem Potentiam eſſe in accidentariis, utpote quæ pertinent ad corpus & adminiſtrationem Tempora-

poralium. Non tamem propterea cenſendum eſt Cleri poteſtatem ſeſe extendere ad Depoſitionem Principum, etiam Fidei & Religionis cauſâ; niſi fortè negativè, quatenùs prædicare poſſunt non eſſe illi obediendum quando deſtruit Fidem & Mores neceſſarios publicæ curæ multitudinis. Sicut enim non eſt dubium quin Salus Æterna paci Reipublicæ præferenda ſit, & propterea Populus poſſit rejicere Principem qui eum cogat à rectâ Fide diſcedere, ſic ex adverſo clarum eſt eſſe Civilis conſiderationis non Clericalis, definire quando ſine pernicie Reipublicæ hoc executioni mandari poſſit. Multò minùs licet Clericis privatas inſidias vel conjurationes adverſus Magiſtratus ſuſcitare, quæ in eo preterea delinquunt quod ſine legitimâ causâ ſuſcitantur; cùm notum ſit Partem pati oportere à Toto, & Partis causâ non eſſe Totum conjiciendum in periculum ruinæ.

6. Ulteriùs paret Eccleſiaſticos, hoc eſt Epiſcopos, obſequi debere Summo Pontifici in iis actionibus quas Summus Pontifex ſuſcipit causâ Univerſalis Eccleſiæ. Nec non, ſi quas ſuſcipit ad corrigenda mala Provinciarum, quæ ipſæ non ſe curant, neque ſe patiuntur à Vicinis cu-

curari ſecundùm tenorem Charitatis. Conſequens eſt, obedire etiam ipſi oportere ſingulos in iis quæ à Conciliis Generalibus, vel juſtâ conſuetudine ei accreverunt: Sed hoc ex naturâ Pactorum, non Iure Divino. Unde ex occaſione juſtâ, ſimilibus Iuribus vel per Naturam (cum longa deſuetudo obtinuit) vel Concilia, quando ſic Eccleſiæ convenire compertum fuerit, derogari poſſibile eſt; & cum Analogiâ per Civilem Magiſtratum, quando gratiæ prius conceſſæ in grave ipſius damnum cedere compertum eſt.

7. Verum, hinc naſcitur quæſtio, quibuſnam actionis ſuæ partibus renunciare poſſint Epiſcopi, & quibus non poſſint. Et quoniam Epiſcoporum imperium in quodam juſſu Chriſti Domini ſive in ipsâ Miſſione Apoſtolorum ſitum eſſe ex ſupradictis clarum eſt, neque minùs clarum ſit quod à Domino ſervo perſonaliter impoſitum eſt in alios transferri non poſſe: Epiſcopis autem *Prædicare*, & *peccata Soluere & Retiuere*, hoc eſt & Sermone & Judicio gubernare Gregem ſibi concreditum per indubitatum Chriſti Imperium impoſitum ſit; ſit, quæ huic Miſſioni Eſſentialia

ſunt

ſunt iis renunciare in alienas manus impoſſibile eſſe, & quæcunque renunciatio facta ſit eſſe irritam, & Chriſtum nihilominus ab Epiſcopis rationem exacturum ſi non ſint legitimè executioni mandata, modò ſaluâ pace Eccleſiaſticâ id fieri poſſit. Et è diverſo, ſiqua ſunt accidentalia quæ accreverunt Epiſcopali poteſtati, ſive per gratiam Magiſtratuum, ſive alio titulo, inter Homines ex Naturæ inſtinctu ratihabito, his omnibus renunciare poſſunt propter Eccleſiæ pacem vel Bonum publicæ adminiſtrationis. Utraque pars videtur adeò evidens ut non ſit opus in confirmatione immorari.

8. Deſcendendo itaque ad particularia palàm eſt, quoniam diviſio Epiſcopatuum ab Eccleſiæ beneplacito procedit, poſſe quaslibet perſonas, etſi degentes intra fines Diœceſeos Epiſcopalis, eximi à Parochiâ ſeu curâ Epiſcopali per conſenſum ipſius Epiſcopi; non tamen ſic ut licitum ſit iis Parochianis Epiſcopi doctrinam vel mores novos citra conſenſum Epiſcopi inducere. Et ex oppoſito, ſi maneat Parochianus non poſſe eximi à curâ Epiſcopi, ut non pertineat ad Epiſcopum invigilare doctrinæ & moribus ipſius, quod ex ipſo Chriſti mandato ad eum pertinet. Non

hîc

hîc loquor de Suſpenſione perſonali quâ hic Epiſcopus propter iniquitatem perſonalem impediatur ab agendo in ejuſmodi perſonam; ſed de Exemptione à curâ Epiſcopali, quæ quæſtio ad Prudentiam ſpectat non ad ratioees Regiminis. Neque item quæro an conveniens ſit hujusmodi Exemptiones in Republicâ Chriſtianâ permitti: Hiç enim ad Politices diſciplinam, non ad virtutem Iuſtitiæ ſpectat.

9. Similiter non poteſt Epiſcopus renuntiare Electioni eorum qui Miniſtri ſunt Curæ Animarum ipſi commiſſarum. Eſt enim hæc actio eſſentialis ipſi Curæ Animarum, ſaltem eò uſque, ut ipſe certificatus ſit de idoneitate perſonæ quoad doctrinam & mores, ſeu ut Iudicium & Electio perſonæ quoad has qualitates eſſentiales ſit actus ipſis Epiſcopi. Quo non obſtante, poterit ratione aliarum circumſtantiarum poteſtas Electionis ex parte pertinere ad alias perſonas, ſalvo hoc Epiſcopi Iudicio. Pariter, Sede Vacante non poteſt Capitulum vel Comprovinciales Epiſcopi privare ſemet Electione Epiſcopi; hoc eſt, ut non maneat iis ſaluum Judicium de ejus Vitâ & Moribus. Ratio dictorum clara eſt: cùm enim Cura Animarum ſit Officium Officiorum, oportet executioni mandari ab iis quo-

quorum eſt optimè nôſſe neceſſitates Eccleſiæ & idoneitatem Perſonæ. Unde oportèt ut Eligentes ſint Proximi, qui nôrint neceſſitatem Eccleſiæ, & quænam qualitates conſtituant Perſonam aptam, non longè poſiti & alienis Fabulis credentes, ſed αὐτόπται; neque iterùm ignari Theologiæ & Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, cujuſmodi ſupponuntur eſſe Laici. At, ſi ſunt Clerici & proximi, non poſſunt eſſe alii quàm vel Comprovinciales vel Clerus ipſius provinciæ. Quare, hi renuntiare non poſſunt poteſtati eligendi Epiſcopos, neque Epiſcopi ſuos Clericos.

10. Ex quibus evidens eſt verùm & naturalem ingreſſum ad Clericatum eſſe Vocationem Dei per Eccleſiam, juxta dictum Apoſtoli; hoc eſt, per illos quorum eſt eligere. Attamen, quia idem nos docuit, quòd *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*, & ratio naturalis dictet non licitum duntaxat ſed Virtutis eſſe deſiderare *bonum opus*, certè aliquis conatus ipſius ordinandi poteſt eſſe Laudabilis; ſicut olim Simonis Macchabæi offerentis ſeſe populo in Ducem. In quo, ut vitetur Vitium quod vocatur Simoniæ, Notandum eſt primò, ut affectus ſit ſubſtantialiter & præcipuè ad hoc ut Grex Domini ſanctè regatur, de

quo

quo modò in corde ſuo ſecurus ſit Ordinandus, etſi licitetur à Tyranno Officium in publico foro, ex naturâ rei & abſtrahendo ab ordinatione Legum, non eſt Simoniacus ſed Sanctus. Proximè advertendum eſt quòd ſi principalis & ſubſtantialis ratio deſiderandi Officium ſit Honor vel Opes vel aliud, etſi Cura Eccleſiæ etiam ſuam partem habeat, coram Deo Simoniacus ſit ſi quoquomodo Officium ambiat, etſi tantummodò per gratiam, nullâ inter poſitâ pecuniâ vel pecuniis æſtimabili: Quia in corde ſuo æſtimat Donum Dei ex fructu Pecuniæ vel Honoris annexo. Sed, ubi Leges Eccleſiaſticæ vim habent, Simoniacus eſt etiam coram Deo, quisquis violat Leges ſeu contravenit ſenſui Legum noto. Notus autem eſt ſenſus Legis quotieſcunque notum eſt quid Iudices, abſtrahendo ab affectibus, & quaſi in Areopago judicare conſueverunt.

11. Quod hæret huic eſt de Indiciis inquirere, An poſſit Epiſcopus renunciare poteſtati judicandi ſuos Subditos? Et in memoriã revocanda eſt diſtinctio ſupra adducta de eſſentialibus & accidentalibus; & clarum eſt in Eſſentialibus renunciari non poſſe. Eſſentialia autẽ Judiciis Eccleſiaſticis ſunt Doctrina & Mores. Clarũ itaq; eſt non poſſe Epiſcopum quoad hæc negare Juſtitiam

petenti neque remittere ipſum ad alium,ſed oportere ſententiam ferre. Attamen hæc tenuiùs diſſecanda ſunt; & de Doctrinâ diſtinguendum inter veritatem & obligationem ſciendi. Utrum vera ſit aliqua doctrina ad Theologum ſpectat inquirere, Utrùm ſit neceſſitas ut credatur, ſeu utrum *de Fide* ſit, ad Epiſcopum ſpectat. Ad Epiſcopum itaque ſpectat determinare an aliqua doctrina ſit adverſus cognitam & receptam Fidem;de quo,etſi contrarium poſſit evenire, non tamen licet dubitare quin ſufficiens ſit Epiſcopus cum Concilio ſuo ad determinandum. Niſi enim vel Pater Doctrinæ doceat aliquid quod diſſidet à publicâ voce Eccleſiæ ex profeſſo, vel tacitè agnoſcat, hoc eſt, quaſi permiſſivè admittat ſequi ex doctrinâ ſuâ, non poteſt ex neceſſitate eſſe cognoſcenda talis Veritas. Si autem alterum horum claret, non poteſt Epiſcopus citra culpam eſſe ignarus. Sin de ſolâ Veritate propoſitionis ambigitur, poterit Epiſcopus ad alienum referre quæſtionem; quia non eſt de iis quæ eſſentialiter pertinent ad forum ipſius, quantumvis ad eum pertineat cæteris magis Theologum eſſe.

12. De Moribus & Actione non diſſimilis eſt reſponſio: Si enim cauſa ſit diſputabilis in Iure non pertinet ad eſſentialia fori

Epiſ-

Epiſcopalis: Si verò ſit ex Prudentiâ determinabilis, non poteſt Epiſcopus citra conſenſum partis negare Iuſtitiam. Et ex his fit gradus ad Ius appellandi: Palàm enim eſt occaſionem Appellandi vel eſſe Ignorantiam Iudicis proximi, vel Injuſtitiam. Ex Ignorantiâ Appellatio eò uſque conveniens eſt dum Reipublicæ melius eſt juſtè ferri Iudicia quàm injuriam incertam tolerari, hoc eſt, donec ad illos Iudices perventum fuerit de quorum inſcientiâ non poteſt eſſe ſuſpicio; quod accidit quando alibi non expectantur doctiores, vel donec ſumptus vel pericula vel alia incommoda graviora evadant quàm ſit injuriæ illatæ damnum. Ex injuſtitiâ non tam appellatio quam Accuſatio ſurgit. Conſequens eſt quærere utrùm poſſint Epiſcopi permittere ut ſui ſubditi cogantur ad Judicia Eccleſiaſtica extra ſua territoria. Verùm, hoc magis ad Civilem poteſtatem pertinet: Diſceſſus enim extra Dominium Civilis Poteſtatis pertinet ad Tribunal Civile. Unde, ſine conſenſu Magiſtratus Civilis non poteſt fieri: Invadit enim Eccleſia Jura Civilis Poteſtatis per tale Imperium. Vnde Epiſcopi poſſunt cedere Jure ſuo, ut in Concilio Sardicenſi videntur ceſſiſſe: Sed, abſque licentiâ Civilis Magiſtratus vis in illo genere adhiberi non poteſt.

Hh 2 TRU-

TRUTINATIO QUARTA.

DE

Comparatione earundem Poteſtatum in Injuſtis Mandatis, & aliis particularibus.

1. HActenùs de Imperiis legitimis pronuntiatum eſt: Superſunt Injuſta & Violenta, quibus diximus Obedientiam deberi ad vitanda mala Publica ex Inobedientiâ ſecutura. Et de Obedientiâ debitâ Civili Poteſtati ſuprà dictum eſt quoad mandata quæ non extendunt ſeſe ultra actiones Civiles: Quoad cætera in memoriam revocanda eſt diſtinctio de Eſſentialibus & Accidentalibus, ut non obediat quiſquam in iis quæ ſunt eſſentialiter oppoſita Saluti Æternæ. Rurſus, inconvenientia quæ ſequuntur ex neglectâ Authoritate ferè duo eſſe; alterum eſt quod evileſcat Authoritas, neque legitimam in Iuſtis vim retineat

quæ

quæ ipſi neceſſaria eſt, alterum, quod Fautores injuſti Decreti per factiones & ſeditiones graviora mala inferant quàm ſit ipſa obedientia injuſto imperio. His præfatis; Si injuſtis à Papâ imperiis auxilio utriuſque Curiæ inferioris reſiſtatur, ferè nullum imconveniens ſequitur; nam neque damna Eccleſiis aut Reipublicæ inferri poſſunt, neque authoritas imperiorum juſtorum multùm vileſcit; cùm & reſiſtentes prudentes ſint, & Curia Romana adeò cauta, ut, ſi ſemel erraverit, non facilè in eundem errorem cum infamiâ frequentis repulſæ ſit recaſura. Sin Civilis Poteſtas cum Papali conſpiret adverſus Eccleſiam, Eccleſiæ in accidentalibus quaſi per compoſitionem cedendum eſt, in Eſſentialibus uſque ad omnimodam vim & coactionem repugnandum.

2. Similiter, ſi Civilis Poteſtatis imperia in Eccleſiam ſunt injuſta, juxta eaſdem Leges gerenda eſt Eccleſia; Malum enim idem eſt, nempe à Civili Poteſtate. Neque alia ferè ratio eſt; ſi utraque inferior Poteſtas ad inferendam vim Papali Poteſtati conſpiret (Tanta eſt enim Poteſtas Papæ ut Eccleſiaſtica Poteſtas abſque Civili nihil adverſus ipſam injuſtè valeat agere) Unde conſtat neceſſitatem

 ob-

obſequendi imperiis injuſtis fei è ex conjunctione cum Civili Poteſtate naſci, & in ipsâ primò radicari. Attamen, quænam cenſenda ſunt injuſta mandata Curiæ Papalis? Ex naturâ rei, quæcunque tentat propriâ authoritate in alienâ Diœceſi, exceptâ Neceſſitate ex Crimine oriundâ; Sed de facto, quicquid tentat præter quod Iura permittunt vel Conſuetudo firmiter recepta. Et eadem ratio eſt de Patriarchis, Archiepiſcopis, & Primatibus reſpectu ſuorum Suffraganeorum. Nemini enim horum alia Poteſtas eſt, quàm ex Iure vel Conſuetudine. De Epiſcopis reſpectu ſuorum Subditorum, cum Ipſi habeant rationem Iudicum Subditi verò Ignorantium, notoria debet eſſe Paſſio vel aliunde Rationis perverſio ut Mandatum ipſorum cenſeatur eſſe Injuſtum; ſicut & in cæteris debet eſſe notoria invaſio novæ & inuſitatæ vel refutatæ actionis in Subditos, quæ requiritur ad Inobedientiam ſeu ad notam injuſti Imperii in Superioribus.

3. Ad inferiora deſcendendo deducitur ex determinatis proprium eſſe Papæ congregare Concilium Generale, quia eſt propriiſſimè pertinens ad gubernationem Eccleſiæ Collectivè. Non tamen eſt adeò proprium ut in defectu Papæ non poſſit ab aliis

fie-

fieri; neque adeò in Poteſtate Papæ, ut, ſi inconveniens ſit Civili Poteſtati ut Epiſcopus aliquis regno abſit, poſſit Papa illum cogere. Sed, poſtquam congregatum eſt Concilium, habere vim ſuam ex Univerſalitate, neque irritum eſſe quia alio modo congregatum eſt; neque eſſe in poteſtate Papæ illud diſſoluere, vel ſuſpendere, vel transferre. Eſſe item proprium Papæ per ſe vel Legatos in eâ præſidere; ſed Præſidentiam nullam aliam Poteſtatem dicere quàm exequi ipſum Concilium ſecundùm Regulas quas ipſum Concilium ſibi ſtatuerit, & conari ut omnia ſecundùm antiquas conſuetudines & pacificè gerantur. Creationem Papæ etiam durante Concilio non pertinere ad Concilium ſed ad Cardinales ſeu Clerum Romanum, quandoquidem Pontifex Maximus non per ſe creatur, ſed Epiſcopus Romanus, cui accidit eſſe *Summum* Pontificem. Ulteriùs, Conciliorum eſſe Leges Eccleſiaſticas pro Universá Eccleſiâ condere.

4. Item, In Summo Pontifice, extra Concilium, nullam eſſe vim Legiſlativam reſpectu Univerſæ Eccleſiæ; ſed, ſi quas condit, extra Territorium ipſius habere vim ex receptione; cùm Leges Conciliares ex ſe vim habeant, etſi per non receptionem

vel praxim eam perdere ſint natæ ; cùm non ſint Decreta niſi Hominum , & cum proportione naturam Legum Civilium induant. Quare Decretales, & ſimilia mandata Pontificia, alibi valida eſſe alibi invalida , juxtà quod ſunt recepta vel non. Unde Confirmatio Congregationum Regularium (quæ à ſingulis Epiſcopis pro ſuis Diœceſibus fieri poteſt) pro totâ Eccleſiâ à Summo Pontifice , rata eſt vel ex vi Conſuetudinis , vel ex particulari Acceptatione. Similiter , Decreta Congregationum Romanarum ex iiſdem capitibus vim habent ; niſi quæ ſint quarum inſtitutio Papæ à Concilio Generali commiſſa eſt ; quales videri poſſunt Congregationes quæ vocantur de Concilio & Indice.

5. Item, non eſſe in Poteſtate Papæ aliquem Regem vel Imperatorem extra Territoria ſuæ ditionis temporalis creare ; ſed Populos eſſe qui hæc faciant vel Reſpublicas majores : A cæteris autem Principibus vel Rebuſpublicis agnoſci, & ut hujuſmodi tractari ; ad quod non eſt dubitandum quin Gratia & Exemplum Pontificis plurimùm valeat. Non eſſe in Poteſtate Pontificis creare Epiſcopum extra ſuum Territòrium niſi in par-

partibus Infidelium, in quibus deſunt alii Epiſcopi qui hoc faciant. Multo minùs negare alicui regioni Epiſcopum, & adminiſtrationem Eccleſiæ in aliam mutari, neque ſine conſenſu Populi neque cum illo; quoniam eſt contrarium Mandato Chriſti, qui in Miſſione Apoſtolorum creavit Epiſcopos per Univerſum Orbem; & adverſus Traditionem Eccleſiæ quæ hanc formam adminiſtrationis ſemper retinuit, & adverſus ſubſtantiam Eccleſiæ ſeu Hierarchiæ quæ in Ordine Epiſcopali conſiſtit. Ex adverſo eſſe in poteſtate cujuslibet Eccleſiæ Chriſtianæ Epiſcopos in partibus Infidelium creare, & multò magis Prædicatores mittere modo ordinatè & ſine diſputatione miſſorum & confuſione fiat; ad quæ vitanda Poteſtas Papalis ſæpe eſt neceſſaria. Præterea Confirmationes Epiſcoporum non pertinere ad Papam ultra quàm per Legem & Conſuetudinem introductæ ſunt.

6. Ulteriùs, non eſſe in poteſtate ſeu Papæ ſeu Concilii imperare Principibus vel Bellum vel Pacem; vel ut pœnis temporalibus Subditos ſuos vel alienos afficiant, quando Conciliis Rerumpublicarum videtur non eſſe opportu-

num. Deliberatio ſiquidem de his rebus pertinet ad Conſultos Politices. Neque itaq; legitimè excommunicantur Magiſtratus Rerumpublicarum, etſi contra ipſum Statum Eccleſiaſticum bella gerant, modò ex Civilibus prætenſionibus hoc agant. Excommunicatio enim propter notoria crimina non ad diſputabiles caſus tuendos inſtituta eſt. Conſequens eſt neque miniſtros Principum poſſe excommunicari, qui freti titulo verè diſputabili adverſus Eccleſiam per vim procedunt. Excommunicatio enim propter certa & nota crimina, non ad determinationem litium facta eſt. Ex eodem titulo neque ad detegenda crimina poteſt adhiberi Excommunicatio. Non enim pæna imponitur Iure, antequam Iudicium & ſententia lata ſit. Neque refert quòd Curiæ Civiles exerceant quæſtionem in conſcios criminis ut complices prodant; Supponunt enim crimen eſſe notum, videlicet quod criminoſum ſit celare ſocios. Qui autem exercent quæſtionem in illos contra quos ſuſpicio vel ſemiprobatio producitur, ipſi viderint qno Iure; niſi vel ſemiprobatio accipiatur legaliter & non naturaliter; hoc eſt, ut ſecundùm Naturam probatio ſit plena, ſed ſecundùm Leges ſit imperfecta; vel certè crimen cum periculo Reipublicæ adeò

con-

conjunctum ſit, ut ejuſmodi periculum etiam morte innocentis redimi æquum ſit.

7. Ulteriùs, non poſſe Epiſcopos Legem ferre de ſecretis; puta ut non ad ſacram Synaxim accedat ſine confeſſione Sacramentali qui peccato ſecreto detinetur; & per conſequens Canonem Concilii circa hoc ſubjectum eſſe declaratorium, non imperativum. Eòdem pertinet Reſervatio Caſuum: Cùm enim in Concilio nullum verbum ſit quod extendat poteſtatem reſervandi peccata ad peccata ſecreta, ex vi Concilii declaratio eſt tantum Generalis permiſſivè: Et, ſicut ſine dubio peccata ſolius cogitationis reſervari non poſſunt, ſic non eſt neceſſe credere alia peccata ſecreta poſſe reſervari. Unum ſupereſt inquirendum in quo videtur ſpecialis quædam ratio eſſe, nempe de mandatis quæ feruntur contra Doctrinam quid teneatur agere injuſtè condemnatus. Clarum autem videtur, ſi Injuſtè condemnatus eſt quoad ſubſtantiam, nempe quia Falſa eſt Doctrina, non poſſe eam retractare. Proximum eſt, an poſſit ſaltem tacere: Sed hoc pendet ex Neceſſitate quæ eſt in Eccleſiâ cognoſcendæ Veritatis damnatæ, & ex Utilitate quam procreatura eſt publicatio per Condemna-

tum : Si enim utravis harum deſit, poteſt ſilere; alioqui non poteſt. Et ſatis videtur pro brevis hujus Tractatûs ratione de his Poteſtatibus vel Legibus eſſe dictum, ſi objectionem unam diluamus quam proponit Author Hiſtoriæ Tridentinæ; nempe Romæ quædam horum teneri pro Erroneis . Cui reſpondendum eſt, Ubi de Theologiâ eſt ſermo, ambiguum manere Romæ an Pariſiis, Salamanticæ an Lovanii potior ſit Theologia, & per conſequens modicæ eſſe Authoritatis quid Romæ cenſeatur eſſe Erroneum.

TRU-

TRUTINATIO
QUINTA.
DE
Obedientiâ Oeconomicâ & Regulari.

1. POſt diſcuſſionem Obedientiarum Publicarum ad Privatas accedendum eſt. Illæ ferè tres ſunt, Oeconomica, Regularis, & quædam Singularium Voto vel Propoſito alligatarum Perſonarum; ut ſuo loco explicandi mihi intentio eſt. Oeconomica duo continet ſegmenta, Filiorum ad Parentes, & Vxoris ad Maritum: Obedientia enim Servorum vel Famulorum non ſic propriè dicitur. Ratio enim Obedientiæ in eo conſiſtit quòd intellectus Obedientis ſubmittitur intellectui Imperantis, ex eo ſcilicet quòd Imperans habetur pro Intelligente, Obediens pro Ignorante; quantumvis contingat (ut vocant) materialiter peritiorem eſſe Obedientem Imperante. In Servis autem & Famulis, non Intellectus ſed Operatio ſubmittitur Imperanti; non enim operantur formaliter quia Ignorantes ſunt, vel ſe ha-

beant pro Ignaris; ſed quia alienum opus agunt, & non ſuum: Quod ejuſmodi eſt atque ſi Pictor imaginem Stulti vel Ruſtici pingat, quam Ridiculam facere Artis eſt. Sic itaque Famulus & Seruus ingenioſè & intelligenter agunt, ſi opus maximè ad voluntatem Dominorum agunt, ſive ipſum opus bonum ſit vel malum. Sed Obediens facit voluntatem Imperantis ut actio ſua perfecta evadat, & qualis communi bono conſentanea eſt, & per hoc ipſi quoque Obedienti.

2. Excluſâ itaque Obedientiâ Servili, quæ magis Fidelitas quædam eſt & conſtantia in pactis tuendis quàm Obedientia, Uxoria & Filialis in hoc conveniunt ut ſint conjunctæ cum reverentiâ & amore. Paterfamiliâs enim habet rationem Principii reſpectu utriuſque: Reſpectu quidem Uxoris eſt principium Operandi; reſpectu verò Filiorum & Eſſe & Operandi. Major itaque Reverentia à Filiis debetur quàm ab Uxore, quæ movetur duntaxat ut à Principio Conjuncto; & magis ſequitur (ut ſiniſtra dextram) quàm regitur quaſi Suppoſitum diſtinctum. Amor autem Uxoris major eſt quàm Filiorum, cùm naſcatur quaſi ex quâdam identitate, & cum quâdam æqualitate perſeveret. Obedientia Uxo-

xoris eſt ex ſuppoſitione majoris Prudentiæ & Experientiâ in diſpenſatione Oeconomicâ & rebus humanis. Unde per ſe limitatur ad illa quæ ad communes actiones pertinent; per accidens ſe extendit ad actiones particulares & proprias Uxoris, quatenùs redundant in rem familiarem & Maritum. Unde ſubdita eſt quoad veſtitum, ut ſit decorus & moderatus; quoad converſationes, ut ſint honoratæ & inſuſpectæ; & quæcunque alia tangunt Maritum & rem familiarem.

3. Quoad ſpiritualia palàm eſt non eſſe ſubditam Marito per ſe, docente ipſo Apoſtolo cauſam juſtam eſſe ſeparandi cohabitationem, ſi non habeat libertatem ſerviendi Domino cum pace. Sed, ſicut hoc verum eſt quoad Subſtantiam, ſic quoad Accidentia & gradus multa Uxori cedenda ſunt, ſi Maritus ſubſtantiam Cultûs Divini illi permittat. Et ex his Juſta Imperia æſtimari poſſunt. Quæ verò injuſta tolerare debeat Uxor, ex malis Separationis æſtimandum eſt: Quouſque enim non ſunt graviora Separatione eouſque patienda ſunt, ſi levioribus remediis emendari non poſſint. Inter gravitates autem Separationis numeranda ſunt mala, non quæ ſolam Uxoris perſonam tangunt, ſed etiam

&

& Filiorum educationem, & rem familiarem, & ipſam Perſonam Mariti; cujus bonum non poteſt deſiſtere eſſe ipſius Uxoris bonum.

4. Filialis Obedientia inde naſcitur, quòd Pater Actionis Humanæ cenſetur peritior quàm Filius; & propterea Filio, dum adhuc imperitus eſt, à Naturâ datus Tutor. Poſtquam Filius jam evaſit ſibi ſufficiens, obligatio Obedientiæ extinguitur; manente Reverentiâ, Gratitudine & Amore, à quibus nunquam abſoluitur. Addendum eſt his Jus quoddam Fidelitatis ex ſpe hæreditatis & bonorum paternorum. Agnitâ radice Obedientiæ deduci poteſt ejuſdem qualitas; verbi gratiâ, quòd non perſeveret poſtquam eſt Pater-familiâs ſeu quaſi Dominus actionum ſuarum Civilium; quòd non teneatur ex vi Obedientiæ facere quicquid Pater mandaverit tanquam ipſius Servus, ſed ea in quibus Pater dirigit ipſum ad bonum ipſius Filii. Hæc intelligenda ſunt dicta de Obedientiâ naturali citra innovationem Legum vel Conſuetudinum, & citra reſpectum ad alios Titulos Reverentiæ, Gratitudinis & Amoris; & circnmſtantias in utramque partem obligationem extendentes vel contrahentes.

5. Pro-

5. Proxima Diviſionis pars Regularem Obedientiam continebat, cujus contemplanda eſt Origo & Status. Origo ejuſmodi fuit. Cum pii aliqui homines ſe diu in Sanctâ converſatione exercuiſſent, plures ſui imitatores conciverunt ad ſimilem vitam inſtituendam. Qui (ut fit) credentes peritiam exercitatorum ſibi multùm proficuā fore ſeſe illorum in diſciplinam tradiderunt; obſequentes omnibus ipſorum præceptis, donec de ſe ſufficientes exiſtimarent, tunc recedebant. Ita ut in principiis non Votis ſed Propoſitis, & fortaſſe Promiſſis prima regerentur Monaſteria. Hinc factum eſt ut pro libito non pauci vagarentur, etiam cum offenſſione Eccleſiæ; quæ ſe vilipendi propter ſequiorem & negligentiorem vitam in habitu profitente & pollicente ſtrictiorem Aſceticam ſentiebat. Unde & Philoſophi Ethnici qui Rhetoricam, & ſcientiæ (præſertim Platonicæ) vanitatem ſectabantur, exprobrabant Chriſtianis, quòd per Veſtitum rudes homines Philoſophi denominarentur. Natæ ſunt hinc Eccleſiaſticæ Regulæ de ſtabilitate Monachorum, & ut extra Cœnobia non vagarentur.

6. Ex his Legibus Eccleſiaſticis evaſerunt Monaſteria perfectæ quædam Communitates; in quibus jam duplex eſſet Obedientia.

tia. Una quaſi Diſciplinæ , neceſſaria iis qui vitam ſpiritualem ediſcebant; & altera neceſſaria tuendæ paci & commodis Monaſterii. *E*rant quidem à principio Monachi quaſi conſecratæ perſonæ, quibus ad ſæculum ex naturâ rei non erat regreſſus, præſertim illis qui ab Epiſcopis tenebantur; quanquam etiam aliis Eremicolis improperabatur ſi turbis populi aſſueſcerent. Sed poſt has Leges ſtabilitatis, cùm viderent plura inſtituta ſubitò creſcere neque difficulter exareſcere, ipſi Monachi de conſervandis Monaſteriis ſolliciti Vota invenerunt; quibus primò ſinguli ſeſe illigarent Perpetuitati vivendi in Monaſterio; deinde, ſuppoſitâ hâc Voti obligatione ab Eccleſiâ agnoſcendâ, etiam ab *E*ccleſiâ quaſi Jure & non ſolo Imperio agerentur ad tuendam Communitatem ſartam tectam. Hinc diſtinctio Voti Simplicis & Sollennis; qnorum prius Voluntatem Regularis certam redderet, poſterius actionem etiam inviti confirmaret.

7. Et utcunque originaliter Votum Obedientiæ duntaxat ad diſcipulatum ſpiritualis vitæ ſe extenderet; nunc tamen etiam ad actiones idoneas Communitati ſervit. Neque enim quærendum nobis eſt quid deberet fieri, ſeu quid expediat; ſed videndum

dum quid de facto exerceatur, & de illo inquirendum. Quòd autem Votum Obedientiæ prout de facto in uſu eſt ſe extendat ad omnia quæ conveniunt Communitati, evidens eſt ex praxi illâ generali; ut quando Superior in quâcunque materiâ licitâ imperat in virtute Sanctæ Obedientiæ, ſe credant Subditi ex vi Voti teneri ad exequendum mandatum. Hujus itaque Obedientiæ naturam inveſtigare nobis propoſitum eſt. Quoniam incredibile eſt quantum in Naturâ rerum tum *E*ccleſiaſticarũ tum Civilium, apprehenſionum mutationem effecerit; & per conſequens (quantum Natura Humana paſſa eſt) etiam actionum & Conſuetudinum. Sciendum itaque eſt quod Obedientia Civilis & Eccleſiaſtica ex naturâ rei à Conſcientiâ procedebat, quatenùs ſpectabat Bonum vel Malum Reipublicæ ex Lege naſciturum, vel ex Legis violatione erupturum: Procedebat quoque ex Irâ, ut Apoſtolus loquitur, propter pœnam impendentem: Sed Obedientia Spiritalis procedebat ex Bono perſonæ quæ inſtituebatur in culturâ Animæ ſuæ, ut Paſſiones ſuccidercntur & exterminarentur; inter quas non minima (ſi non maxima) erat quædam Superbia Intellectûs, quâ homo natus erat ſeſe immiſcere iis quæ non intelligebat;

ligebat, & quaſi Vanus & excors ſibi agenda exequebatur. Ad hanc domandam Patres Spirituales exercuerunt diſcipulos in agendis quibuſdam, quæ non aliâ utilitate prædita erant niſi ut aſſueſcerent Diſcipuli aliqua agere quorum ratio & bonum in intellectu Superioris reſideret; obſequentes non aliud ſectarentur quàm agendum eſſe, quia is imperabat qui meliùs quàm ipſi intelligeret quid fieri expediret, & quid vitandum foret.

8. Neque dubium eſſe poteſt quin hæc ratio exercitationis & ſancta & præclarè inventa fuerit ad eradicandum affectum Superbiæ Intellectualis. Sed, quia (quod uſuvenit) quæ *videntur* feriunt mentem, & dum geſtorum cauſæ latent incautos ſpectatores facilè ad incongrua trahunt, inde factum eſt ut in hujuſmodi Aſceſi educati devenerint in eam ſententiam, vim Obedientiæ extendere ſe ad talem actionem univerſaliter. Et primò in vitam Regularem non diſcentium tantummodò ſed etiam docentium introductum eſt, ut crederent ſeſe obligatos non ratione Boni Communitatis in quâ degebant, ſed quia tale erat placitum Superioris; quaſi Superior non deberet regi à bono Communitatis, ſed ipſum foret Communitatis Bonum ab ipſius nutu pendere,

dere, & ipſius Voluntatem facere Bonum Communitatis. Repugnabat ſiquidem Ratio & Natura Humana, ſed vincebat Conſuetudo & non penetratarum cauſarum difficilior indagatio. Et Natura quidem obtinuit ut parcè exerceretur, Conſuetudo autem ut ratio Obedientiæ in tali exercitio poſita crederetur.

9. Neque mirum ſi hi qui hanc rationem inter ſe fixerant, cùm Cathedras Scholarum aſcenderent, eandem ad reliquum orbem extenderent, & Obedientiam quæ Prælatis & Principibus exhibetur ſimiliter à voluntate eorum pendere exiſtimarent. Uſq; ad ſolium Dei hanc eandem rationem evexerunt, & novum quoddam attributum Dei, quod Dominium adpellaverunt novo ſenſu illius vocis confinxerũt. Sanctis enim *Dominium* Dei ſonabat Omnipotentiam, quâ Naturam condere, deſtruere, pro libitoq́; immutare valeret: Poſteriores, qui Libertatem eò uſq́; extenuaverunt ut nullã reliquerent niſi in quã Deus Omnipotentiam exercere non poſſet, coacti ſunt fingere novũ Dominii attributum, per quod, citra quam libet Phyſicã ſeu entitativam ſive actionẽ ſive potentiam, teneretur Libertas quaſi ex judicio Rationis ſubeſſe mãdatis & imperiis Divinis, quia alioqui eſt Crea-

Creator quaſi ex gratitudine ; vel ut clarè explicem quem eſſe ſenſum illorum autumem, abſque ullâ aliâ ratione quàm quia Deus *Dominus* eſt; hoc eſt, quia ſic eſt, abſque ullâ conſequentiâ ex aliis attributis notis Dei. Sed ponitur & poteſtas quædam Imperandi in Deo, & Obligatio Obediendi in Creaturâ, gratis & abſque aliâ perſuaſione quàm quòd ſint quia ſunt. Attamen, ex hâc fictione in Divinis inferunt participatam quandam & ſimilem vim Dominandi in Humanis, æquè Civilibus atque Eccleſiaſticis, nedum in Congregationibus Regularibus, in quibus & aliis piorum inſtructionibus, ſacrificium quoddam Voluntatis ſibi imaginantur, de quo poſtmodùm agendum erit.

10. Nunc ſatagamus oſtendere hoc novum Dei attributum neque ullum eſſe poſſe, neque meritò introduci. Primò itaque patet ſuperfluum eſſe, cùm ex Omnipotentiâ habeat vim præmia & pœnas abundè cumulandi, ex quibus connaturaliter moventur humani animi ad opera ſua exequenda. Conſequens eſt neque hominibus neque Deo congruam eſſe hanc explicationem: Non Hominibus, quandoquidem natura Hominum ad bonum proprium nata & attenta eſt; unde per præmia & pœnas duci

duci ſolet & debet. Sed neque Deo, cùm Deus ſit Author Naturæ; &, ut conſequenter & conſtanter ad ſua principia ſe gerat, debet Hominem per proportionata ipſi motiva ducere & permovere. Rursùm, eſt adverſum naturæ Dei; cùm enim Deus ſit Voluntas quædam identificata Intellectui, clarum eſt non poſſe velle aliquid niſi prædeterminatum quodammodò ſibi ab ipſo Intellectu: Intellectus autem Verum diſpicit, & Verum in agendis idem ſignificat quod Optimnm, & Optimum illud eſt quod maximè convenit illi Machinæ quam Deus molitur; & illud maximè illi convenit quod aptiſſimè ſeu cum maximâ dulcedine & congruitate ad inſtrumenta & partes Machinæ opus ſuum perficit. Clarum itaque eſt Deum non poſſe aliud velle, quàm quod maximè ſecundùm Naturam eſt rerum adminiſtrandarum. Cùm itaque Naturæ Hominum conveniat per pœnas & præmia moveri, non poteſt Deus aliter imperare hominibus quàm proponendo bona & mala ſecutura. Et ſic patet Deum maniſeſtiſſimè in Lege Veteri, in quâ videtur Imperio cuncta agere, nunquam niſi pœnis & præmiis propoſitis mandatum aliquod tuliſſe. Contrarium itaque Naturæ Divinæ eſt aliter quàm per præmia & pœnas homi-

mines regere. Imò clarum eſt, ſententiam oppoſitam irrationalia mandata in Deo ponere; & per conſequens Brutam quandam Naturam; quod ſine Blaſphemiæ horrore audiri non poteſt.

11. Quidam tamen æquè inſolentes atque ignari Theologiæ, credunt & clamant *de Fide* eſſe hanc Poteſtatem & Imperandi modum in Deo; & ab hoc monſtro deducunt ſimilem in Poteſtatibus creatis Tyrannidem. Fingunt quandàm Proprietatem in rebus, per quam privatis rem ſuam familiarem non adminiſtrare ſed pro libito diſſipare liceat, non alio titulo quàm quia *Sua* eſt. In Magiſtratibus Civilibus & Eccleſiaſticis laudant Potentiam Leges condendi, & in iiſdem diſpenſandi quia *Domini* ſunt; maximè in Papâ, & quoad Leges Eccleſiaſticas & quoad bona Temporalia Eccleſiæ, vim ineſſe credunt ferendi, tollendi, donandi, diſtribuendi, prorſus pro libertate ſuâ. Verbo, tollunt ferè à Gubernatoribus omnem Legem Conſcientiæ & timorem pœnarum æternarum pro malâ adminiſtratione ſuorum munerum, quantum ipſa Natura non in os illis objicit furioſam hanc iniquitatem; & cogit eos ubi malè fixerunt generale principium, in particularibus moderari abſque juſtâ

juſtâ aliquâ regulâ, & hoc modo totam Obedientiam confundere.

2. Eandem impotentiam & conatum Dominationis neceſſe eſt ut imprimat hæc ſentẽtia Superioribus Regularium (quantũ Spiritûs Sancti Manſuetudo & cæleſtiũ meditatio non retrahit) adverſum ſuos ſubditos. Hæc enim diverſitas eſt ſententiarum, quòd Naturalis Ethica doceat crimen delinquentis æſtimandum ex nocumento Boni Communis dato, neque implicat contemptum Superioris, ſed negligentiam vel aliam cupiditatem Subditi. Hæc autem Regularis Obedientiæ ratio ferè in omni crimine contemptum Superioris & totius Gubernationis ingerit particulari crimini, neque tollit quidpiam de illo quod gravat crimina ordinaria; quàm politicè nihil arguo, ſed certè cum ingente Servitute Subditorum, qui in ſingulis actionibus quaſi crimen Rebellionis adverſus Superiores objectum ſibi intuentur. Unde præſumunt aliqui Superiores ipſam qualitatẽ criminis in ipſo præcepto determinare, dicẽtes præcipio tibi ſub pænâ peccati mortalis; vel, volo, ſi non egeris quod jubeo, ut pecces quantum ſi furatus fuiſſes, vel falſum teſtimoniũ dixiſſes, & ſimilia; quaſi Domini forent Conſcientiarum & Animarũ Subditorum;

imò ipſius Chriſti Domini Judicis, ut illi præeant quomodo puniturus ſit delicta.

13. Verùm, libet conſiderare naturam Voti Obedientiæ Regularis. Quid enim amplius dicit quàm Promittentem obediturum Superiori ſuo, ſeu Virtutem Obedientiæ exerciturum erga mandata ipſius. Virtus verò Obedientiæ reſpicit Utilitatem Communem; non itaque Votum alligat ad plura quàm Simplex Obedientia aliorum in ſimili Communitate degentium qui nullum votum emiſerunt. Sicut, ſi Conjugatus voveat Caſtitatem maritalem, non ad amplius quicquam tenetur quàm ſi illud non voviſſet. Sed fortaſſis magis tenetur ad idem: Non prorſus nego; nam qui ſæpiùs idem promittit majorem inconſtantiæ labem incurrit quàm ſi ſemel promiſiſſet; alioqui omnes in Baptiſmo omnia peccata vitare polliciti ſumus Deo, & Conjux in Matrimonio Caſtitatem Deo promiſit ſuæ conditioni propriam. Non tamen ex eo cenſentur notabiliter graviùs peccare quàm ſi talia vota non emiſiſſent, quia non ſe credebant novo vinculo innodare quod non ſequeretur ex vi ipſius actionis. Sic itaque non videtur in his quæ ad diſci-

pli-

plinam Chriſtianæ vitæ non ſpectant, ſed duntaxat ad Bonum Communitatis plus peccare, quàm ſi nullum votum emiſiſſet.

14. Dices, apprehenſionem, &, quod ſequitur, intentionem voventis eſſe ampliùs ſeſe obligare. Reſpondeo, apprehenſionem voventis eſſe duplicem; Unam, quæ ex vocibus loquentium formatur, aliam quæ ex viſis actionibus naturaliter conſurgit. Et prima quidem Apprehenſio admodùm rigoroſa eſt; Profeſſio enim Vocalis plerumque valdè magnifica & oſtentationis plena eſt; poſterior verò, dum ſubſumit quòd hæc præſtiturus ſit vovens ſecundùm uſum & conſuetudinem Communitatis, multò mitigatior eſt; &, ſecundùm hanc apprehenſionem de intentione Voventis potiùs judicandum eſſe videtur; quoniam *Segniùs* (ut dicit Poëta) *irritant animum demiſſa per aures, Quàm quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus.* Verbo, Voces, communes ſunt & æquivocæ; praxis, particularis & clara.

15. Quare huc deveniendum eſt, Obedientiam Regularium voce & oſtentatione tenùs eſſe majorem Sæculari, reipsâ eandem. Neque decurri neceſſe eſt in ex-

tremum oppoſitum, ut Regulæ Religioſorum neque ſub peccato veniali obligent; cùm certum ſit nullam actionem in particulari non eſſe vel poſitivè bonam vel poſitivè malam ; & Regulam non eſſe aliud quàm Indicium vel declarationem quid bonum quid noxium ſit Communitati cujus Regula eſt, peccatumque eſſe æſtimandum ſecundum bonitatem vel gravitatem damni quod infertur Communitati ex violatione Regulæ, quando Regula rectè inſtituta eſt. Quando autem ex cupiditate vel imperioſitate Superioris fertur, violationem ipſius ſumere gravitatem ex læſione ordinis & unitatis in Communitate, quæ ex violatione ejuſmodi præcepti pullulare nata eſt.

TRU-

TRUTINATIO SEXTA.

DE

Obedientiâ particularium.

1. TErtia Obedientiæ Privatæ ſpecies ſic ferè exercetur: Vidua vel Virgo, vel aliquando Viri, cupientes ſervire Deo, Viro ſpirituali, ſive Sacerdoti ſive alteri de cujus Virtute & experientiâ vehementem opinionem conceperunt, ſeſe in diſciplinam mancipant; confirmant ſubjectionem ſuam emiſſo voto, quod plerumque *Simplex* appellatur, quatenùs Eccleſia non ſolet illud agnoſcere ſeu pro rato habere. Materia Voti plerumque eſt ut actiones quæ ſpiritalem profectum tangunt illæ ſolæ ſint quas Spiritalis Director conſulit vel permittit. Sed, quoniam cunctæ totius Vitæ operationes ſecundùm virtutem & ſecùs agi poſſunt, facilis eſt extenſio ſubjecti hujus ad omnes illas operationes, quas vel imbecillitas voventis vel cupiditas dirigentis compre-

hendere deſiderat. Adde his perſuaſionem quandam quam Dominationis affectatores inſinuant vel potiùs adigunt in animos ſingulorum, Bonum Obedientiæ eſſe quoddam per-ſe-appetibile; & celſiſſimum Sacrificium quod Deo immolari poteſt, eſſe Subjectionem Voluntatis, utpote Supremæ in homine Facultatis.

3. De his modò inquirendum eſt, & primò advertendum Vota quæ Eccleſia non agnoſcit, hoc eſt, poſitivè negat ſuam mentem circa illa declarare, non poſſe habere rationem Votorum. Cùm enim Votum eſſentialiter ſit de Meliori Bono, Eccleſia autem, defugiendo confirmationem talium votorum, eo ipſo declaret ſe incertam eſt an ſint de Meliori Bono, conſequens eſſe hujuſmodi Vota non eſſe de Meliori Bono; cùm tantidem ſit non eſſe & non apparere. Similis in his defectus eſt, ex eo quòd plerique docent promiſſa non eſſe rata niſi ſint acceptata, Promiſſum itaque factum Deo non eſt ratum niſi acceptetur à Deo; nihil autem poteſt præſumi acceptatum à Deo de quo Eccleſia dubitat an ſit acceptandum nec ne. Similia itaque Vota nullam vim habent majorem Fideli Propoſito.

3. Opponi poteſt quædam Vota dici Simplicia, etſi Eccleſia ea acceptaverit, ex

eo

eo quòd Promiſſarius non acceptat promiſſionem in totâ latitudine, Ut, ſi quis promittat ſe ſerviturum per annum, & Promiſſarius acceptet cum hâc conditione, ſi toto anno neceſſarius fuerit. Quare, non videtur acceptatio Promiſſionis eſſe neceſſaria. Reſpondetur, hunc caſum eſſe ſpecialem; & quantumvis Promiſſio (ut ſuprà dictum eſt) obliget ex præciſâ voluntate Promittentis abſque acceptatione Promiſſarii, tamen quòd in foro Exteriori poſſit exigi abſque acceptatione Promiſſarii, ſive cum ſolâ acceptatione conditionali, ſingulare eſt & ex poteſtate Eccleſiæ non Legum naturâ introductum, quæ æqualitatem amant & non Dominationem ex unâ parte, ſervitutem liberorum ex aliâ; Vel potiùs dicendum Validitatem habere hujuſmodi Promiſſa, ex eo quòd ſciant Promittentes ſubeundam ſibi eſſe hanc caſûs conditionem, & ſpe allecti vel alio motivo adducti voluntariè eam ſubeant.

4. Quod deinceps in his Votis conſiderandum eſt, Materiei nomine venit. Et quidem quoad actiones per ſe ad profectum ſpiritalem tendentes nihil videtur objici poſſe, quin Votum particulari factum, æquè ex hoc capite validum ſit quàm Votum declarato & agnito Superiori, mo-

dò electio Magiſtri ſpiritalis prudenter ſit gubernata. Actiones autem quæ per accidens faciunt ad ſpiritalem vitam Votis hujuſcemodi ex pluribus Capitibus repugnant. Nam, neque Eccleſiaſticis convenit, ſed magis probroſum eſt actionum temporalium callentes eſſe; neque, ſi ſint, ſeſe ad illas exercendas demittere; & tandem Laici gubernati ex imbecillibus imbecilliores fiunt, quia non ſeſe exercent in iis actionibus quæ iis propriæ ſunt.

5. Objicies, Eleëmoſynam facere proprium eſſe Eccleſiaſticorum, hujuſmodi autem indigentibus conſilio providere non mediocrem eſſe Eleëmoſynam. Reſpondetur, ſpiritales eleëmoſynas quales ſunt *docere ignorantes, corrigere peccantes &c.* quæ mente & prudentiâ ſpiritali fiunt, eſſe quidem Clericorum proprias; non autem eleëmoſynas corporales curare immediatè & per ſe ſed per Laicos Clericalis Officii eſt. Ipſi enim neque pecuniis neque otio abundare præſumendi ſunt. Rurſus objicies, neceſſarium eſſe Eccleſiæ ut præcipui inter eos publicis negotiis etiam ſæcularibus interſint, & nonnunquam præſint. Reponitur, aliud eſſe quod per ſe convenit Eccleſiaſticis, aliud quod in articulo

ali-

aliquo vel ſuppoſito malo neceſſarium eſt. Sic, ſi ſupponantur Laici oppreſſuri Eccleſiam, niſi Eccleſiaſtici gratiam apud Summates obtineant, neceſſarium erit (ſed in caſu, non per ſe) nonnullis Eccleſiaſticis negotiis ſæcularibus operam aliquantam dare, non obſtante quòd ratione ſtatûs in abſtracto inconveniens ſit.

6. Ultimò conſideranda venit illa propoſitio, quòd Obedientia ſit per-ſe-bonum ſeu ſimpliciter ſimplex, & virtus per-ſe-amabilis. Quæ Propoſitio eſt clariſſimè falsa; cùm, ut ſuprà dictum eſt, Obedientia ſupponat Ignorantiam vel habitualem vel actualem; hoc eſt, quòd vel ignoretur quod agi oporteat, vel certè non liceat vel libeat ſcientiâ uti. Palàm ergo eſt, cùm hi defectus non ſint per-ſe-deſiderabiles, etiam quod non aliter quàm cum his eſt bonum, hoc eſt, Obedientiam, non eſſe de-ſe-deſiderabile. Quòd autem vocetur Sacrificium ſuaviſſimum Deo, clarum eſt non ſignificare amplius quàm quòd inter Sacrificia ſit potiſſimum, hoc eſt, omnium quæ in Dei honorem occidenda ſeu mortificanda ſunt, Voluntatem & Intellectum eſſe nobiliſſima. Verùm, aliud eſt dicere hæc eſſe nobiliſſima mortificandorum,

aliud dicere eſſe mortificanda. Et prudentibus clarum eſt non niſi Vitia in his eſſe mortificanda, non ipſam Naturam; Sicut non effodiendi ſunt Oculi vel præſcindendæ Manus, ſed Concupiſcentiæ & Rapinæ. Sic itaque Superbia Intellectûs & Voluntatis irrationales affectus ſacrificandi ſunt, non ipſæ facultates; quæ potiùs ampliandæ & vivificandæ ſunt per Scientias & Virtutes, non minuendæ vel exterminandæ.

INSTITUTIONUM ETHICARUM, SIVE STATERÆ MORUM,

EXAMEN DECIMUMQUARTUM, DE Prudentiâ.

TRUTINATIO PRIMA. DE *Principiis Prudentiæ.*

1. HActenùs quid Rectum in Actione Humanâ foret inveſtigare nobis propoſitum fuit; deinceps quomodo in Uſum redigatur Scientia Boni & Mali, nobis labo-

randũ erit explicare. Quod duobus videtur membris comprehendi; nempe diſcuſſione Principiorum, & evolutione Effectorum. Sed Principiorum eſt potior & ante ferenda ſpeculatio, hoc eſt, *Prudentiæ*; Hæc enim eſt qualitas quâ rectè nos in agendo gerimus. Et quoniam actio ab Intellectu per Voluntatem procedit, in utriuſque conditiones intendere oculos oportet ut Prudentiæ leges comprehendamus. Voluntas autem in Prudentiâ & prior eſt Intellectu & eum ſequitur. Niſi enim Voluntas recta ſit, judicium Prudentiæ natum eſt fallere; & niſi rurſus Voluntas Obediens ſit judicio Intellectûs, operatio non ſequitur. Neceſſe eſt itaque, ut Homo Prudens evadat, Voluntatem utrimque eſſe perfectam.

2. Perfectio prior videtur quodammodò naturalis, eſt certè habitualis; & movet Intellectum magis non repugnando & permittendo illum liberè ad operationem ſuam procedere, quàm poſitivè impellendo; non enim Voluntas impellit Intellectum, niſi ſuppoſitâ priori cognitione actuali. Verùm habituali inclinatione poteſt Intellectum ad inconveniens judicium pertrahere; dum Intellectus attendens ad diſpoſitionem, non ipſius Voluntatis abſtractè & qua-

qualis eſt à Naturâ, ſed, quatenùs imbuta eſt affectu habituali qui poteſt æquè malus eſſe atq; bonus, judicat bonum ſibi ex conformitate ad habitum, & non ad naturam. Conſiſtit itaque hæc pars quaſi integralis Prudentiæ in quâdam æquabilitate Animi ſeu habituali diſpoſitione potentiarum tum rationalium tum ſenſitivarum quâ fiunt ſubjectæ rationi, ut non obvient & interrumpant ipſius curſum & directionem; quæ ſi à Naturâ habeatur, *Benè nati* appellantur qui eâ imbuti ſunt; ſi ab exercitio & cultu actuali, *probè educati* & *benè morati.*

3. Plerumque autem qui ejusmodi temperamento gaudent etiam executioni ſententiæ Rationis conſentiunt; quamvis contingat præſentem paſſionem aliquando prævalere contra habitualem indifferentiam. Prudentes itaque cenſendi ſunt qui tali affectione præditi ſunt; rari enim actus ex naturâ rei non deſtruunt habitum, quantum ad eam conſiderationem quæ ex voluntate pendet. Verùm, niſi Intellectus quoque & Naturâ & exercitio excellentiam aliquã adeptus ſit, non cenſebitur Homo ex ſolâ Voluntatis rectâ diſpoſitione abſolutè Prudens, cùm Iudicium ſoleat ferri de principiis ex effectis ſeu actionibus: Et

cùm Actio in varietate quâdam incomprehensâ circumſtantiarum ſita ſit, quæque non niſi ſenſatione quâdam æſtimari valeat, neceſſe ſit per Regulas Communes ſeu pura dictamina Univerſalia procedentem multoties decipi; cùm per Senſum ſubſumi debeat actionem eſſe in iis circumſtantiis ſeu ſubditam iis regulis quas intellectus arripuit ad ferendum Judicium; ad hoc autem neceſſe ſit ipſum Senſum eſſe aſſuetum ut facilè objectum comprehendat, & quaſi ex ungue Leonem; Senſus autem non poſſit eſſe exercitatus ſine Intellectu, quandoquidem ipſa Cognitio & Judicium in Intellectu ſunt.

4. Ad hæc conſequens eſt quibus principiis ad ordinandam actionem uti debeat Prudens. Et, in primis, extra litem poſitum videtur nota debere eſſe Prudenti quæcunque à Doctis & expertis vel diſcurſu comprehenſa vel experimentis comperta ſunt. Non quòd vel Demonſtrationes vel experiendi Modi noti ei eſſe debeant, ſed ipſæ Veritates, & eas pro talibus univerſim haberi. In Incertis non malè conſulitur, ut quiſque quid alii Prudentes qui intellexerint circumſtantias actionis de illâ cenſituri ſint, perpendat: Sunt enim plerique Homines recti Judicii in iis actionibus quæ nihil

hil eorum interſunt, utcunque in propriis paſſione vel ſui amore ſuperentur nè rectè eligant. Sed, in ſectando hoc principio cavendum eſt nè ignaros Judices quis pro peritis acceptet; atque proinde primò exiſtimandum an negotium ſit illius nasuræ ut ipſi illud & illiuſmodi callere & pernoſcere ſueti ſint, & non ſint à majoribus & potioribus contempti.

5. Una eſt difficultas celebris & magnis ſtudiis agitata; utrùm Probabilis Sententia ſecuritatem prȩſtet Agenti? Circa quam primò quærendum videtur Quid ſit Probabilis Sententia? & dividenda eſt ſecundùm diverſitatem Subjectorum tripliciter. Alia enim poteſt verſari in foro Conſcientiæ tantùm, alia in foro Externo, & alia tandem ſoli Famæ ſubdita eſt. Et palàm videtur in causâ fori externi valere multùm opinionem quæ ſit communis; tum quia veriſimile eſt Judicem ſecundùm illam pronuntiaturum; tum quia reum qui illam ſecutus eſt abſoluit à temeritate & voluntario errato, quomodocunque judicari poſſit in errore verſatus eſſe. Neque poteſt quiſquam prudenter adverſus communem ſententiam in praxi tutò procedere, niſi certus ſit ſe ſatis eſſe convincendis Judicibus de veritate ſenten-

tiæ

tiæ ſuæ quæ oppoſita eſt communi.

6. Vicina prorſus eſt cauſa earum actionum quarum ſoli Famæ eſt reddenda ratio. Cùm enim Fama ſit Multitudinis Opinio quæ regitur vulgaribus ſententiis, qui ſe Famæ innocentem præſtare vult, publicâ incedat viâ oportet. *S*ed hoc intereſt, quòd quoniam felicitas effectûs magnam vim habet ut actorem altiori quodam ductu & *S*piritu uſum perſuadeat, qui expertus eſt & videt ſe iis ſubſidiis fultum quibus par eſt magnum quidpiam & inſolitum tentare, non imprudenter agit ſi adverſus communem ſententiam aliquid aggrediatur. Verùm hac conditione, ut ſemetipſum Famâ eſſe majorem conſcius ſit, ut ſi malè ſuccedat ſuſceptum negotium, poſſit Famæ medium unguem oſtendere ſuâ lætus conſcientiâ. *S*upereſt forum Conſcientiæ & Dei Iudicis Tribunal. Circa quod hoc primò ſtatuendum videtur, nihil illîc trepidationem reo afferre præter peccatum, neque Peccatum intelligi poſſe quod non ſit voluntarium, neque Voluntarium eſſe ubi deficit Scientia purè & præciſè, hoc eſt, ſine aliquo vitio Voluntatis, ſeu Voluntate affectâ juxta modum ſuarum virium prout oportet ad Ultimum Finem. Quare,

re, ſi in homine eſt debitus ad æternam Beatitudinem affectus, & ſolicitudo circa media neceſſaria, ignorantiam illi nocere non poſſe coram Deo, quantumcumque actio Externa ſit peccaminoſa.

7. Nunc, quid veniat ſignificatum per hanc vocem & denominationem *ſententiæ probabilis* exquirendum eſt. Et videntur aliqui id opinionis de Probabili Sententiâ concepiſſe quòd ſit aliquid ex parte Objecti Probabilitas; quaſi intelligi vellent illam eſſe naturam objecti ut ad veritatem ipſius nullo humano conatu pervenire poſſet. Et hinc eſt quòd indignentur ſi quis Probabilem Sententiam cenſurâ configat. Verùm, adeò longè diſcedunt hi homines à Veritate ut Logicam nunquam tetigiſſe videantur. Quis enim neſciat quod *probare* ſit actus Intellectûs, & per conſequens Probabilitas denominatio ab Intellectu approbante, & quod ex eo fit idem eſſe ſententiam aliquam eſſe Probabilem atqne eſſe talem quæ approbari poſſit; hoc eſt, quæ duas conditiones habeat, alteram poſitivam Veriſimilitudinis ex argumentis quæ pro illâ afferuntur; alteram negativam

vam quòd nulla Ratio vel Authoritas demonſtrativa ſit illi oppoſita, hoc eſt, nota Ratio vel Authoritas. Ex quibus ſequitur Concluſio contraria ſententiæ explicatæ; putà, tantùm abeſſe ut Sententia Probabilis non poſſit Cenſuræ ſubjici, ut ſola Sententia Probabilis ſit Subjectum proprium Cenſuræ. Sententia enim quæ vel nullam rationem ſolutu difficilem vel authoritatem æſtimandam præ ſe fert, non eſt digna in quam Theologus ſtringat Cenſuram. Ea verò quæ jam nota eſt eſſe vel certæ Authoritati vel Demonſtrationi obnoxia, eo ipſo nota eſt vel Erronea eſſe vel Hæretica. Clarum itaque eſt Theologum ſtigmatizandi laborem non niſi circa ejuſmodi ſententias impendere oportere quæ & Veriſimilitudine gaudeant, & nondum ſunt publicè obelo confixæ, hoc eſt, in Probabiles.

8. Intellecto itaque quid ſit Probabilis Sententia, videamus quam vim habeat reſpectu Conſcientiæ. Num fortè quòd faciat nos *cognoſcere* Legem & Voluntatem Divinam? Nihil minùs. Si enim hoc faceret non foret probabilis Sententia oppoſita, ſed hæc Demonſtrativa. Quamprimùm enim ſcitur oppoſitam poſſe eſſe veram, certum quoque eſt Voluntatem & Præceptum Divinum eſſe Incertum. Palàm itaque eſt Opinio-

Opinionem ex eo quòd Probabilis ſit nullam nobis notitiam afferre, nullam Veritatem; &, quod ſequitur, non eſſe Virtutem Intellectualem, ſed pertinere ad imperfectam Inquiſitionem, quæ non eſt ſufficiens fundando judicio. E diverſo autem, cùm poſſibile ſit offundere tenebras Luci de ſe ſatis claræ, ſi fortè quis per Sophiſmata conſtituat ſententiam probabilem adverſus priùs receptam Veritatem, palàm eſt Opinionem hujuſmodi probabilem generare Ignorantiam. Sic itaque conclusum eſt Opinionem Probabilem non valere ad Veritatem, ſed Ignorantiæ nonnunquam Matrem eſſe.

9. Attamen credas hoc ſaltem neceſſariò concedendum eſſe, ſi de Præcepto oriatur probabilis ſententia quæ illud non obligativum eſſe vel ſimpliciter, vel in caſu probabile reddat, hoc effectum eſſe homines eo præcepto non gravari ulteriùs & commodiùs vivere; Aliquid itaque boni naſcitur ex Probabilibus Opinionibus. Sed quærendum eſt, Præceptúmne cum Praxi introductum eſt, vel ſine eâ? Si cum Praxi, nulla ratiocinia adventitia poſſunt facere dubiam mentem Legis; nam Praxis ipſa authentica Legis Interpres eſt, ſi ab ipſo principio Legis introducta fuerit. Poterit

itaque

itaque fortaſſe quæri an Lex deſierit, vel an ſubditus excuſandus ſit à Lege; ſed de ſenſu & mente Legis nulla poteſt eſſe ſententia probabilis quæ tollat obligationem Præcepti. Deinde, hæc ſententia adverſus Legem vel clarè probat ſenſum Legis eſſe contrarium illi qui priùs credebatur, vel non clarè probat: Si non, neque audienda eſt contra præpoſſeſſionem Legis; ſi clarè probat, jam Demonſtratio eſt non Probabilis ſententia.

10. Ulteriùs notandum eſt Probabiles (ut vocant) Opiniones nunquam eſſe in materiâ quæ ſit propria Eccleſiaſticorum. Hoc ut fiat evidens, vel eſt ſermo de Legibus Divinis vel Humanis: Et, incipiendo à Lege Divinâ certum eſt nullam poteſtatem increatam poſſe facere illud eſſe de Lege Divinâ quod non eſt. Quod autem Incertum eſt an ſit de Lege Divinâ Certum eſt non eſſe de Lege Divinâ, cum idem ſit non cognoſci & non eſſe in hujusmodi. Ad Eccleſiaſticos autem non pertinet facere aliquid de Lege Divinâ quod non eſt, ſed tradere Poqulo quæ ſunt de Lege Divinâ. Ad eos itaque pertinet ſola Certa inculcare populo. Clarum itaque eſt non pertinere ad Eccleſiaſticos ſcire vel docere Sententias Probabiles circa Legem Divi-

Divinam. Par eſt de Legibus Humanis: Si qua enim in Iure Hnmano quantùm ad praxim fori interioris ſpectat incerta ſunt, pertinebit ad Magiſtratus (ſi tanti res ſit) declarare quid velint obſervari, & certum & legitimum erit; Sin non ſit tanti, eò ipſo non pertinent ad Legem.

11. Hæc dicta non impediunt quin in Scholis agitentur ſimiles quæſtiones; &, ſi per operas Scholarum aliqua ſententia reddatur Certa, tum demùm in Sacerdotum curam veniat ut doceant Populum quod ipſi ſciunt eſſe verum; ſed dum adhuc Incertum eſt, nihil in mores & conſcientias hominum derivetur. Perpendamus enim quid doceant populum qui Probabiles Sententias eis proponunt: Quid enim ſi clarè loquantur, niſi, *Fortè hoc quod doceo eſt Lex Dei, fortè non*? Quod, præterquam quòd in re non ſit aliud quàm dicere *Neſcio*, eſt præterea indignum Eccleſiâ ut hujusmodi propoſitiones è Sacris Cathedris promulgari permittantur quæ doctrinam ipſius ridiculam reddant.

12. Videamus qnoque an Conſcientiis pacem aliquam afferant. Eſto unus qui ſic procedit. Neſcio quid in hâc parte Lex Dei doceat ſed quicquid ſit paratus ſum to-

toto corde & ſincero effectu illud amplecti; verùm, quoniam neſcio utra pars eligenda ſit & aliquid agendum ex neceſſitate eſt, quod videtur mihi magis Rationi convenire id amplector. Alius ſic, Ego neſcio quid Lex Divina habeat, ſed quia viri quos æſtimo doctos & graves dicunt mihi hoc licere quod magis mihi commodum eſt ad res meas, propterea hanc partem amplector. Nonne clarum eſt priorem Deo & Rationi ſubjicere ſe, poſteriorem ſe ſubjicere ſuæ commoditati & propriè voluntati? Clarum itaque eſt priorem, ſive rectum ſit ſive curvum quod agit, Ipſum rectum & innocentem manere; Poſteriorem, ſive bonum ſit ſiue malum quod agit, ex ratione proprii boni agere, & curvum ad ſua deſideria animum gerere; & imperfectum, & qualem Sacerdos corrigere debet, eſſe hujus actum; illius verò perfectum, & ad qualem incitare Sacerdotalis officii eſt. Sic itaque patet quòd hæc vulgatio Probabilium Opinionum eſt deſtructiva Pietatis, quantùm ex ſeſe eſt, & contraria debito Eccleſiaſticorum.

13. Probabiles itaque Sententiæ utiles ſunt iis qui Lites exercent pro ſe vel pro aliis, quales ſunt Juris utriuſque periti, & iis relinquendæ. Ubi enim pacis causâ aliquid

de-

determinandum eſt, illîc non ſpectatur quid ſit verum ſed quid ſit veriſimilius; & cùm ad illud perventum fuerit, lis ad terminum perducta eſt. Verùm, credunt iſti doctrinæ Sententiarum Probabilium Patroni ingentem quandam energiam eſſe in argumento è Sacramentis deducto, in quibus evidens putant propter neceſſitatem Sacramentorum tutiorem ſententiam eſſe am plectendam. Sed ferè ex falſo de Sacramentis credito oritur hæc perſuaſio. Credunt ſiquidem effectum Sacramenti ex ipsâ materiali executione vim ſumere, cùm tamen certum ſit votum Sacramenti in defectu ipſius ſupplere actionem externam; palàm autem ſit, ſi quid materiale, præſertim ignotum vel impoſſibile deficiat, Votum nihilominùs imò vehementius plerumque eſſe: Quare, non propterea tutior eſt una ſententia quàm alia. Etſi, hoc quoque, ſi verum foret, magis adverſaretur defendentibus Sententias Probabiles, cùm pro Poſſeſſione Legis militet adverſus vim Probabilitatis. Preterea, ſi Sacramenta ſint actus Juriſdictionis valet in illis præſumptio tituli.

14. Concluſum itaque eſto Sententias Probabiles utiles eſſe Viro docto inquirenti Veritatem. Cùm enim non poſſit eſſe ali-

aliqua ſententia adeò falſa ut nullam in ſeſe veritatẽ contineat, per colliſionem plurium Falſitatum eniteſcit Veritas, hinc unâ aliquâ parte inde aliâ petitâ ad efformationem perfectæ venuſtatis in ſcriptis acris Theologi. Ad hoc itaque Probabilium Sententiarum volumina ſunt utilia, & pertinet ad hujusmodi Theologum etiam cenſurâ configere quæ putat ſe demonſtrativè confutaviſſe, ut decreſcat ſenſim è Theologiâ ignorantia. Ad hoc valet permiſſio Sententiarum Probabilium; Approbatio autem quòd aliqua opinio ſit Probabilis ideóque non confutanda, eſt Propagatrix Ignorantiæ & Mater Tenebrarum in Speculativis: In Praxi verò, hoc principium, Licere ſequi Sententiam Probabilem, eſt totam Theologiam Moralem in puram Scepticam tabefacere, & nullam relinquere; & aperire portam omnibus tum Hæreſibus tum facinoribus, ut egregie demonſtrat *Willelmus Wendrockius* in Epiſtolam quintam *Montaltii*.

15. Unde patet, nullam eſſe poſſe hujuſmodi Caſuiſtarum Authoritatem; &, quod ſequitur, non poſſe ullam ſecuritatem conſcientiis impertiri, cùm ſumma reſponſorum ſit, Neſciri quod petis, vel potiùs ſe neſcire, id eſt ignorantes eſſe. Non itaq; extremè

tremè fatuus eſt qui nititur conſilio & ſententiâ illius qui clarè reſpondet ſe nihil ſcire de illo de quo interrogas? Non tamen hoc volo derivari in Perſonas, ut non ſint reputandæ & acris ingenii, & lectionis variæ, & quidam theſauri dictorum ex quibus elici poſſint multæ Veritates. Sed hæc omnia conſiſtunt cum hoc quòd non ſint *Scientes* ſeu periti *Rerum*; quod intelligere ſolemus vel ſolere debemus per denominationem *Viri Docti*, & ex quo omnis ratio & vis Authoritatis deſumenda eſt. Nulla itaque prorſus ſecuritas ex dictis horum Authorum deſumi poteſt. Præterea, ſi poſſet, in alienâ materiâ foret, & non in illâ quæ ſpectat conſcientiam & puritatem actionis, ut declaratum eſt.

16. Intereà, hæc Secta hominum curas Fidelium avertit à verâ pietate quæ intùs in homine eſt, & conſiſtit in hoc ut ex amore Beatitatis & non ex amore Temporalis alicujus Boni actio humana proficiſcatur: Dum è contrà labor horum eſt mundare actionem Externam; vel potius facere ipſam apparere mundam, etſi conformis ſit affectibus vitioſis interea intrinſecùs regnantibus; à quorum extirpandorum curâ revellitur animus ad non cognoſcibilia

in Exterioribus inquirenda. In his itaque reſidet Vitium ſectandi Opiniones Probabiles.

TRUTINATIO
SECUNDA.

DE

Modo procedendi Prudentiæ, & Certitudine quam facit.

1. SUpereſt, ut quid ſit agendum Prudenti quado externæ actionis ſuæ qualitatem ignorat, inſpiciamus. Neque difficilis videtur reſponſio; Convenit enim Prudenti noviſſe in agendis quæ amplexatur,& quid Leges tum Eccleſiaſticæ rum Civiles poſitiuè declarent, & quid conſtans praxis Legum ferat (& hic deberet eſſe labor Scriptorum, ut hæc, quantum mores tangunt, in compendia juſta colligerent, ut facilè Prudentibus nota eſſe poſſent.) Ulteriùs, & ſuper omnia, interiores affectus ſuſpectos habere, & accuratiſſimè ſatagere ut ex puro ductu Rationis actio procedat. Deinde, ut ſi quod dubium

bium in altero horum ſubſideat, Conſilium quantum valet adhibeat; ſic tamen ut meminerit ſuum opus eſſe, & ſibi agendum non quod alius dixerit, ſed quod ſibi ex dictis aliorum & propriâ diſcuſſione viſum fuerit. Et tandem, ut non ſolummodò malum ſed etiam ſpeciem mali devitet. Habet autem ſpeciem Mali illud, quod cùm intellectum fuerit, ſimplicioribus non videtur ſecundùm Naturæ vel Fidei dictamina geſtum eſſe: Si autem non fuerit intellectum quoad ſubſtantiam actionis & propterea improbetur, non idcircò ſpeciem mali habet, ſed conandum eſt ut pateat etiam infirmis Veritas rei factæ: Sed tunc dicitur habere ſpeciem mali quando rationes juſtificantes actionem difficiliores ſunt quàm ut animos vulgares facilè ſubire poſſint; & tunc vir probus abſtinet ab actione alioqui licitâ, nè percutiat conſcientiam puſillorum.

2. *E*x dictis de Prudentiâ liquere poteſt qui ſint gradus diſquiſitionis ut perveniatur quid hîc & nunc agendum ſit. Inprimis enim cogitandum eſt quid dictet Natura ex ſemetipſâ, cujus dictamina ſunt Concluſiones Temperantiæ & Fortitudinis, nempe qnid bonum vel malum, quid præferendum quid contemnendum præ

aliis homini ſit ad Finale Bonum ſincerè & ſecundùm rationem tendenti. Proximum eſt, quid Leges de Naturâ immutaverint. Sunt autem Leges aliæ Divinæ, aliæ Humanæ; & de utriſque ſi bonæ ſint hoc ſecurè pronuntiandum eſt eas nihil præſcribere niſi quod ex ſeſe præſtaret agi ſi cognoſceretur & in poteſtate foret, & ex hâc conſideratione(quantum in illis eſt)Leges fixas eſſe. Unde immediatè concluditur in Divinâ Lege nihil eſſe præſcriptum quod non maximè ex Naturâ ſit; cùm neque ſuſpicio eſſe poſſit de Deo quòd non ſciverit quid maximè conveniat humano generi ad Beatitatem dirigendo; neque dubitari quin hoc idem voluerit & fecerit. Unde, ſi quando de Præcepti Divini mente inciderit quæſtio, quiſquis demonſtrare valuerit alteram partem eſſe Mundo & Humano Generi abſolutè congruentiorem, pariter efficiet illam eſſe Divini Conſilii mentem.

3. De Legibus Humanis quia feruntur non ſicut Leges Divinæ univerſaliter, ſed ex præſenti Reipublicæ ſtatu, neque ſtabilitatem Legum Divinarum aſſequuntur, neq; parem obedientiam. Sed de iis, ex dictis de Legibus, quid de ordine Naturæ detruncent & immutent ex Reipublicæ neceſſitate, judi-

dicari poterit. His perpenſis ad circumſtantias particulares devolvitur conſideratio, quæ magis phantaſiâ quàm demonſtratione judicandæ ſunt, & per conſequens duas Regulas habent; ut appetitus æquabilis ſit & in nullo Veritati reſiſtat, altera eſt Experientia. Et hâc fit Conjectura, ex priori ut Conjectura ſit qualis oportet. Multa quæ de Prudentiâ declaraverunt Ariſtoteles & Sanctus Doctor conſultò omiſimus; ut quæ magis ad Logicam expoſitionem Virtutis pertinent quam ad actionem humanam dirigendam: Hujusmodi ſunt, quòd ſit ſpecialis virtus, quæ ſint ipſius partes & integrantes, & ſubjectivæ & etiam Analogæ; qui Actus, quæ Oppoſita, quæ Conformia, & hujusmodi; quæ Speculationi accommodatiora ſunt quàm Actioni.

4. *S*upereſt adhuc Effectorum Prudentiæ ſpeculatio; cujus vis cùm in illo conſiſtat ut nos ad vitam æternam præparet, Effectus quoque conſiderandi vel ſunt ipſa Beatitudo vel diſpoſitio ad Beatitudinem. Et fuerunt quidam Hæretici qui claram Dei Viſionem in hâc vitâ polliceri ſibi auderent. Sed amentis foret ad eos diſputare cùm nihil certius ſit quam eos vocibus uti quas nequaquam intelligebant, neque ullam Theologo

dignam rationem vel difficultatem proferre valuiſſe; ſed furioſâ tantummodo voluntate, quaſi ebrios, audaciſſimè effatum ſuum aſſeruiſſe ex locis quibuſdam Sacræ Sctipturæ eâdem temeritate explicatis; quod ſpeciem eſſe delirii, & Medicis potiùs quàm Ratione commendandum eſſe patet. Neque multum impar eſt noſtrorum Hæreticorum ſtultitia, qui ajunt ſe eſſe Fide certos ſemetipſos ex Electis vel prædeſtinatis eſſe. Neque aliam rationem reddere nôrunt, niſi Fide ſaluari homines & ſe Fidem habere: Et, ſi ſciſciteris quænam ſit illa Fides, & quomodò ſciant fidem de quâ reſpondent eſſe Fidem juſtificantem, ſubitò hærent omni ratione deſtituti. Hos itaque tanquam non Ratione utentes quoqne dimittamus.

5. Alius eſt jam Theologorum cœtus qui ſibi perſuadent poſſe hominem ad illum Sanctitatis gradum per debitam culturam Animi provehi, ut cum ad illum gradum pervenerit extra aleam & periculum ſit ſalus ipſorum; & quod hoc ipſum iis conſtet. Hunc gradum Sanctitatis Beatæ Virgini ttibuunt, hunc Apoſtolis poſtquam Spiritum Sanctum receperant, hunc conſequenter aliquibus etiam extraordinariis Sanctis. Et fortaſſis pluribus in magnâ propinquitate

te ad mortem, poſtquam anguſtiæ Mortis exemerunt omnem cupiditatem Vitæ & rerum quæ in Mundo delectabiles reſtabant, ſtatus hujuſmodi non eſt negandus: Etſi enim non poſſint credi tantam lucrati evidentiam vanitatis Mundi, & adeò excellentem concupiſcentiam æternorum bonorum, ut ſi ſuperviverent non poſſent tentationibus adeò ſuperari ut oblivio eos caperet eorum ſenſuum quos in Articulo mortis poſſidebant, comparatâ tamen præſenti diſpoſitione Animi cum præſenti conditione corporis eos magnarum tentationum incapaces in æternum reddente, non malè cogitari poteſt eos in eo ſtatu jam eſſe ut impoſſibile ſit illos à ſalute æternâ excludi ſecundùm præſentem cauſarum ſeriem. Quod ſi ſit verum, quare etiam illis non poterit ſui ſtatûs ſecuritas innoteſcere? Egregius eſt locus Sancti Pauli profitentis ſe certum, enumeratis maximis quibuſque tentationum cauſis, eas non poſſe illum removere à Charitate Chriſti: Et vanà prorſus eſt exceptio eorum qui cauſantur non ſignificari dilectionem quâ nos diligimus Deum, ſed Charitatem quâ Deus diligit nos; una enim harum Charitatum ſequitur alteram. Si enim Chriſtus diligit nos facit ut nos diligamus illum;

 &,

&, ſi nos diligimus ipſum, eo ipſo ille nos priùs diligit. Duo tamen ſunt quæ textum hunc elevant; alterum eſt, quòd poſſit de totâ Eccleſiâ intelligi & non de ſingulis perſonis; aliud eſt, quòd fortaſſis de ſingulis Electis, ſed tantummodò quoad finalem perſeverantiam; quo non obſtante potuerunt interea excidere Charitate; &, quòd ſequitur, non innoteſcet illis quòd non ſint finaliter perituri.

6. Videtur itaque quæſtioni reſpondendum, poſſe evidens eſſe Viro exercitato in vigili Animi ſui cuſtodiâ & ſcrutinio, proximè mortem, ſeſe ad æternam gloriam perrecturum: Quia tunc tentationibus tantummodò limitatis eſt locus, & ingens in hujusmodi perſonis fortitudo ſpiritûs; ex comparatione quorum adeò clarum poteſt eſſe cœleſtis Beatitudinis iter illis impediri non poſſe, quàm cras Solem oriri, vel Ignem applicatum ſtupæ combuſturum, de cujusmodi nobis evidentiâ & certitudine loquendum eſt, non de certitudine Revelationis. Hinc Gregorius Lopezius omnia ſibi clara ſub mortem pronuntiavit. Sic Hilarion, ſic Martinus, ſic plures Martyres ſeſe ultrò pœnis obtulerunt, & quamplurima allegari poſſint ſi opus fuerit. In mediâ autem

tem vitâ dum adhuc incertus eſt vitæ curſus, & Eremita (rerum ſic fluctuante ordine) poteſt adhuc ad civilem vitam cogi; Dum adhuc incertis minarum & blanditiarum tempeſtatibus obnoxiam vitam facit Fortunæ temeritas, ut quiſquam eam & in ſemetipſo Fortitudinem (etſi difficile ſit ipſi ab actu continuo amoris Dei abſtinere) poſſit experiri, & tantam eventorum poſſibilium comprehenſionem eſſe adeptus ut ex collatione utrorumque valeat cum evidentiâ pronunciare ſe nulli tentationi ceſſurum eſſe, video neceſſariam eſſe tantam rerum naturalium experientiam & penetrationem, ut ex naturâ rei verſatiſſimo homini, nedum à rebus humanis ſummè abſtracto, qualem requirit, tanta perfectio ineſſe nequaquam poſſit.

7. Determinatâ certitudine de Salute ſubit de præſentis gratiæ cognitione quæſtio, in quâ adverſus Hæreticos qui Fidem Catholicam vel adhibebant vel certè non diſtinguebant eam quâ Iuſtificationem perfici volebant à Fide Catholicâ, parum eſt difficultatis, & eadem ferè quæ de Prædeſtinatione: neque opus eſt multâ nobis ſollicitudine ad eos debellandos.

 Sed

Sed videntur aliqui Catholici Doctores exiſtimaviſſe juſtis aut omnibus aut primariis Deum ſpeciale reſponſum & oraculum fundere quod ſint Iuſti, Spiritu Sancto id teſtante Spiritui noſtro (pænè univerſaliter) ut loquitur Paulus. Hoc teſtimonium videntur cenſuiſſe aliqui Patres in Concilio Tridentino eſſe locutionem quandam Dei, ſed ex parte auditionis aliquid eſſe quo audiens incertus poſſet manere, imò verè falſum ſubeſſe tali auditioni, hoc eſt actui talis Fidei, qui tamen verè fides foret quando innititur locutioni Divinæ etſi fallibiliter perceptæ. Et, ut negari non poteſt hanc expoſitionem multæ ſubtilitatis eſſe,& fortaſſis incidere in illam quæſtionem utrùm Habitus Fidei poſſit concurrere ad Actum falſum quæ magis propria eſt Scholarum quàm Concilii, tamen Patres tantum tribuerunt authoribus ipſius ut voces accommodaverint nè illi obeſſe poſſent, pro *Fide Catholicâ* ſupponentes *Fide cui non poteſt ſubeſſe falſum.* Neque noſtrum eſt qui Tractatum Moralem ſcribimus immergere nos ſubtilitatibus non neceſſariis.

8. Omiſſâ itaque verborum diſceptatione, utilem quæſtionem aggrediamur, nempe utrùm certâ aliquâ cognitione quæ non

ſit

ſit Fidei Catholicæ, poſſit comprehendi à Iuſto Viatore quòd ſit Juſtus. Et, nè detur occaſio lapsûs, ſic aliis vocibus reddimus quæſtionem; Utrùm ex ſignis evidentibus poſſit Juſtus colligere per neceſſariam ſequelam ſe eſſe in ſtatu Gratiæ? Neque volumus de omnibus Iuſtis quærere, hoc eſt an quilibet qui eſt Iuſtus habeat hujuſmodi ſigna, vel ſi habeat utrùm ſit idoneus ad judicium ferendum, quorum neutrum de Parvulis Baptizatis poterit cum ratione affirmari: Imò neque utrùm aliquis Iuſtus poſſit affirmare ſe in hoc momento temporis eſſe Juſtum, ſed an poſſit Certus eſſe ſe habitualiter eſſe Juſtum, hoc eſt, plerumque; etſi ad horam idem peccator poſſit eſſe, nec tamen peccati ſui conſcius. Hæc minutiùs ſecui ad facilitandam reſolutionem. Et videtur mihi ex Sacrâ Scripturâ & Sanctorum & Eccleſiæ uſu neceſſariam eſſe partem affirmativam: Nam & Sacræ Literæ denſæ ſunt in illam partem quòd Spiritus Sanctus det nobis teſtimonium, hoc eſt, opera elucident de aliquibus Juſtis quòd ſint Juſti, boni enim fructus non niſi ex bonâ arbore naſci poſſunt; & jubemur nos probare an ex Deo ſimus, & exprobratur ſi neſciamus, & conſtans uſus Eccle-

ſiæ in examinandâ vitâ noſtrâ idem probat, & miſeræ ille tenebræ in quibus Juſtus viveret ſi nullum bonum actum à ſe profectum poſſet agnoſcere; Si non poſſet percipere ſe minùs tentationibus obnoxium & magis adhærere Deo quàm anno priori, & ſimilia infinita, quæ facile foret & teſtimoniis Sacrorum Librorum & dictis factiſque Patrum confirmare, ſi brevitas nobis propoſita pateretur.

9. *S*ed, ut rem ipſam conficiamus; Conſideretur quòd ſtatus vitæ hominis includit quandam Univerſalitatis rationem, quę non poteſt tota ex actibus deficientibus ab eo quod ſtatus præ ſe fert componi. Unde, etſi de quolibet uno actu poſſit obſcurum eſſe annon defectus aliquis in eo lateat, tamen de totâ ſerie non poteſt diligentem inſpectorem fallere, an plerumque ex affectu pietatis & ſecundùm Leges Chriſtianæ vitæ tranſigatur. Cui adjice, Prudentiam virtutem eſſe intellectivam, & virtutes intellectivas cùm circa veritatem verſentur abſque Certitudine, hoc eſt, abſque determinatione ad Veritatem, nullas eſſe. Niſi itaque intelligatur Prudentia Certa eſſe, ſaltem de corpore actionis humanæ, nulla prorſus erit. Et ſic univerſalis apprehenſio fert virum probum plerunque rectè agere;

qui

qui verò neſcius rectum agit, non rectè agit. Neceſſe eſt itaque Prudentem conſcium ſibi eſſe quòd plerunque rectè agat. Hoc itaque certum ſit, Prudentiam perducere ad Certitudinem quandam experimentalem, ſeu ex effectis neceſſariâ conſequentiâ deductam de habituali exiſtentiâ in gratiâ.

10. Neque obſtant communes aliquæ locutiones Sanctorum, quibus vel nos ignorare quales ſimus, vel ſemper oportere plangi peccata pronuntiant. Magna enim latitudo eſt in cognitione noſtri, ut aliquatenùs haberi poſſit, & tamen quoad alia eſſe Incerta. Peccata autem, etiam poſtquam remiſſa eſſe vel Revelatione certum fuerit, plangi nihil impedit. Certus erat Paulus Perſecutionem quam moverat Eccleſiæ, ipſi remiſſam fuiſſe, & tamen nono ad Romanos teſtatur continuum ſibi dolorem de peccato illo hæſiſſe; ut clarè patet textum legenti, utcunque interpretes ad alia eum detorqueant. Idem teſtatur ſe ſibi nullius conſcium eſſe, & tamen non propterea Juſtificatum eſſe; hoc eſt, quoad ſubſtantiam Chriſtianæ vitæ certum eſſe, ſed de omnimodâ ejuſdem perfectione Chriſti Judicium expectare. Multò minùs urgent quæ ex Sacris Literis premuntur. Ille enim

textus quòd *neſciat homo amore an odio dignus ſit*, prout jacet in libro hanc quæſtionem nullatenùs tangit: Sed tantum docet alios neſcire an bonus ſit vel nequam quia externi eventus iiſdem bonis & malis eveniunt. Et quod additur, ne quis ſit ſecurus de propitiato peccato, ab ipſo Authore explicatur, dum addit, & *nè addas peccatum peccato*; ut ſignificet, noli confidere de remiſſione quia non ſtatim puniris, & ex illâ confidentiâ nè addas peccare. Qui enim verè & cum ratione confidit de remiſſione peccati, inde eſt quòd percipit ſe reſiſtere peccatis, & non ampliùs eſſe tentationibus obnoxium.

TRU-

TRUTINATIO
TERTIA.
DE
Effectis Prudentiæ circa Paſsiones & Voluptates.

1. FUerunt alii, ipſi quoque Hæretici, qui putarent per vim Prudentiæ poſſe hominem uſque ad Apathiam evehi. Apathiam dicebant, ut corpus irrationabili aliquo motivo non omninò permoveretur. Verùm, ſicut errores Hæreticorum ſunt immanes, ſic palàm eſt hunc errorem totam rationem Naturæ tollere; &, quod ſequitur, eſſe facillimè confutandum. Cùm enim Corpus humanum ſit ex quatuor Elementis compactum, tollere naturam Elementorum ex ipſo, eſt aliud genus corporis pro eo quod nunc habemus, cæleſte putà phantaſma incorruptibilis corporis (qualia Ariſtoteles finxit nobis Aſtra) collocare. Si itaque manet idem corpus, impoſſibile eſt non eſſe ſubditum motibus natura-

libus;

libus: verbi gratiâ, Spiritus Vitales qui conflant appetitum ſenſitivum, non cedere impreſſionibns quæ fiunt ab objectis, quæ ſe habent ut motores naturales: Non itaque conſiſtit Virtus in eo ut omninò non moveantur, ſed in hoc quòd non ultra certum ſignum moveantur, hoc eſt, non pertingant uſque ad operationem adverſus regulas Rationis, ſed contineant ſe intra terminos admonitionis, ut perpellant Rationem ad debitam & congruam objectis conſiderationem. Procedit itaque hic error ex defectu ſcientiæ naturalis quòd Magiſtri ipſius neſciant in quo conſiſtat appetitus materialis.

2. Contra hos plerique definiunt, non poſſe hominem longo tempore abſtinere à peccato veniali, ſatis conformiter imbecillitati quam experimur inter nos. Quod enim audimus non infrequenter à Confeſſariis, quòd pœnitentibus occurrant qui nihil Abſolutione dignum confitendum habeant, credo magis arguere Sacerdotum imperitiam quàm Pœnitentium ſanctimoniam, cùm neceſſe ſit de mundano pulvere etiam religioſa corda ſordeſcere. Satis etiam conformis eſt hæc ſententia Sanctorum phraſi à minimis peccatis neminem abſolventium. Sed exiſtimo ita univerſales

has

has locutiones eſſe, ut non ex neceſſitate excludant omnem exceptionem, non ipſius Joannis Baptiſtæ, vel aliûs, aut plurium, quorum merita in ſecretâ & ſuperiori Hierarchiâ ſunt reponenda. Ego, ut quæſtionem à fundamentis examinem, hoc primò ſeu quæro ſeu ſuppono; num ſit in poteſtate hominis per longum & fervidum exercitium talem habitum continuè exercendi Charitatem ſibi acquirere, ut difficile ſit ab actuali exercitio Charitatis abſtinere? quod omninò quaſi Experientiæ introductione mihi conſtare videtur, dum actu experimur quæ multum exercemus facilè in promptu nobis eſſe & ſponte ſuâ fluere. Unde non videtur dubitandum quin pertinax ſtudium & exercitium poſſit proficere, ut difficile ſit illud non cogitare & repetere.

3. Proximum eſt, utrùm ſimili diligentiâ perfici poſſit ut ſequens actus ſemper evadat vehementior priori? Quod etiam non eſt cur recuſem; cùm & habitus inexiſtens cum pari ſtudio reddat actum meliorẽ; ſed & ipſum ſtudiũ creſcere neceſſe ſit ſuo quaſi curſu, quomodo currẽdo velocitas acquiritur. Tertiò inveſtigandũ eſt an cũ actuali & fervido exercitio Charitatis poſſit cõſiſtere veniale peccatum. Et hoc quidem evidens eſt,

eſt, eum qui eſt in actuali purâ donatione ſeu potiùs redditione ſui & ſuorum omnium Deo, ex neceſſitate conſecrare ipſum Actum, ſi quem in eodem momento habet, Deo: Unde defectu intentionis non poteſt peccare. Tandem patet, ſi qua eſt nihilominùs imbecillitas in actu concomitante ex purâ oblivione vel deliquio Naturæ, non eſſe peccaminoſum. Supereſt itaque ſolum poſſe eſſe peccatum, ex eo quòd oblivio ſimilis ex priori aliquo peccato originem trahat. Quod ſi referatur in peccatum præteritum, non potuit primam originem habuiſſe ex quo habitus iſte actu Deum diligendi confirmatus fuit in hujuſmodi Sancto. Quare, ſi ſemel plenè purgatus fuit à peccato ex quo habitus in ipſo confirmatus fuit, non poteſt cenſeri peccaviſſe venialiter ex illo tempore; &, quod ſequitur, ſimilem Sanctum ſe diu à peccato etiam veniali conſervare. Non tamen aſſerendum eſt talem abſolutè non poſſe peccare, cùm adhuc degat in valle tentationis & militiæ; in quâ, niſi Deus præmuniat, occaſiones occurrere poſſint ultra æſtimationem noſtram graves, quæ etiam tantum Virum in ruinam pertrahere poſſent; & propterea ſemper orandum eſt *nè inducamur in tentationem*, & etiam ut præterita peccata nobis remit-

tan-

tantur, ne iterùm reviviſcant in nobis.

4. Ex hoc diſcurſu aptiſſimè elici poteſt eſſe in poteſtate Prudentiæ perducere Virum exercitatum ad ingentem æquabilitatem Animi, adeò ut nihil eum à quiete (ut ita dicam) ſubſtantiali Animi removere poſſit, quin quicquid ſibi acciderit putet benè accidiſſe & in bonum ſui. Vel enim eſt Malum Temporale vel Spirituale: Si temporale, clariſſimè eſt occaſio exercendi animum ſuum in contemptu Boni quo privatur; & ſiquidem Natura ægrè privationem acceptet, clarum ulteriùs eſt hanc afflictionem illi ſalutarem & neceſſarium fuiſſe; &, per conſequens, ſi Prudens ſit, gaudendum de illo accidente quod Animæ ſuæ emolumentum affert. Sin Spirituale, palàm eſt nudare ipſum patientem ſibimet, & reddere illum cautiorem & peritiorem quæ opponenda ſint tentationibus munimenta: Neque Malum habendum eſt quod correctione hominem meliorem efficere natum ſit. Ex quibus hoc conſequenter deducitur, Prudentiæ opus eſſe, ut hominem in perpetuâ Animi pace & lætitiâ & quaſi exultatione conſtituat. Si enim tantum abeſt ut quicquam quod acciderit reputet Malum, ut etiam Bonum, & non fortuitum ſed ex ſpeciali dilectione & curâ Dei ſibi dona-

tum

tum apprehendat, evidens eſt quòd perpetuum gaudium non inſit Animo non poſſe accidere niſi ex defectu plenæ attentionis, quæ in ſummè Prudentem ſeu qualem Prudentia nata eſt efficere non poteſt incidere. Palàm itaq; eſt in poteſtate Prudentiæ eſſe dare homini perpetuam Pacem & Lætitiā.

5. Veruntamen, quoniam Magiſter noſter erudivit nos etiam in rebus corporeis vel etiam ex iis retribuendum eſſe deſerentibus illas præmium in hoc mundo, & quidem centuplum; neque poſſit dubitare Prudentiâ obſtetricante naſciturum quicquid bonæ vitæ nobis in hâc Fortunæ colluvie exortum fuerit; conſequens eſt ut Prudentiæ vim quoad corporeas voluptates cumulandas indagemus. Recolendum propterea eſt, quamcunque voluptatem quam in corpore adhuc animæ Dominante experimur, reipsâ corporeum eſſe formaliter, & ex adverſo nullam non eſſe virtualiter ſpiritualem; niſi enim Phantaſiæ motus eam incutiat, nulla eſt Animi cognitio; neque, ſi qua eſt, abſque novo Phantaſiæ motu eam agnoſcimus. Cùm itaque citra cognitionem nulla ſit delectatio, palàm eſt nullā eſſe voluptatem in hâc vitâ (ubi nihil in ipsâ Animâ videtur niſi quod per Phantaſmata oſtēditur) quæ non ſit Corporea. Eo ipſo itaque

que quòd declaratum eſt Prudentiam habere vim perpetuum & non interpolatum (quantum actio patitur) gaudium imprimendi Animo, & ſollicitudines imprudentis vitæ eximendi, eo ipſo concluſum eſt corporeas delectationes cumulandi vim habere, & efficiendi ut totus Homo corporaliter gaudeat. Quod ſic intelligendum eſt, ut quando Prudentia perfecta eſt hoc agat, & non dum tantummodò generatur.

6. Sed ſolent Voluptates ſpecialiter vocari Corporeæ ex objectis, neque facilè felicius objectum quàm in Muſicâ ſignare dabitur: Quã duplicẽ eſſe conſtat; aliã quæ per ſonos ſiccos corpus afficit, aliã quæ per voces vel potiùs ſententias ſonis illitas animũ delinit. Prior Avium, & Animaliũ, & Cymbalorum, & quorũlibet ſymphoniacorum organorũ eſt: Poſterior præcipuè Poëtarũ & hominũ ſuis vel alienis affectibus blandientium. Manifeſtè utraque Muſica & Corporea eſt & Spiritualis; ſed in unâ præter Corpus in quo delectetur nihil eſt; in reliquâ præcipuum de quo eſt delectatio vel eſt vel eſſe deberet aliqua Intellectio. Voluptates itaque ſic contradiſtinctas Spiritualibus, & propterea dictas Corporales, an Prudentiæ ſit congerere & plures majoreſq; cõportare, quæſtio præſens eſt. Et quoniam clarum

eſt hoc Prudentiæ ſtudium eſſe ut omnes actiones noſtras ad Beatitudinem acquirendam maximè idoneas reddat, in hoc quæſtio recidit an poſſit fieri ut copia harum Voluptatum ſit optima ad Beatitudinem ſemita. Bipartita verò eſt harum Voluptatum materia; quæ enim per Oculos & Aures percipiuntur cum levioribus cordis & appetitûs motibus conjunctæ ſunt: Quæ per Tactum & Guſtum, acriores affectus ſollicitant. Narium media quædam diſpoſitio quoad affectus eſt, præſertim in Homine.

5. Et, ut priùs de Superiorum Senſuum delectamentis loquamur, earum copia duo ad Beatitudinem commoda adducit, & quòd vitam occupet in innocenti quodammodo actione, hoc eſt, quæ lites & diſcordias per ſe non ſeminet, ſicut illa quæ cùm ab uno ſolo poſſideri poſſint à pluribus concupiſcuntur: & quod ſeducat animum ſuorum aſſeclarum à violentis & affectibus & ſollicitudinibus. Quò fit ut pacatiori Animo & promptiori, quando vult ſeſe applicat iis cogitationibus quæ ſerio & expedito motu ad Beatitudinem ferunt. Unde palàm eſt Prudentiam animabus debilibus has Voluptates non indulgere modò, ſed etiam præſcribere. Et, quia Prudentes

cæte-

cæteroqui conſcii ſuæ debilitatis has delicias cum ratione ſectantur, propterea neceſſe eſt (ſaltem negativè) majorem earum fructum percipere quàm imprudentes; quatenùs non incurrunt negligentias cæterorum neceſſariorum, & dolores conſequentes qui has Voluptates amaras reddant. Quoniam itaque hæ Voluptates non ſunt cum validis motibus appetitûs conjunctæ non niſi longo tempore in faſtidia tranſeunt; & ſic fit inutilem Vitæ conſumptionem eſſe maximum earum Vitium; Quare, Imprudentes & Intemperantes, qui benè locandi temporis nequaquam ſunt avidi, harum Voluptatum majori copiâ per ſe nati ſunt abundare quàm prudentes. Quòd enim Prudentia magnam harum Voluptatum copiam imperet, ab accidenti ſeu contemplatione commodi alieni evenit.

8. In voluptatibus inferiorum Senſuum conſideranda venit Quantitas & Denſitas, ſive duratio & intenſio, ſecundùm vocabula Scholaſtica. Intenſio ſeu robur & denſitas harum voluptatum ex deſiderio ſeu fame quâdam conſurgit, in pari cæteroqui corporum diſpoſitione quæ noſtræ diſputationi non ſubjacet; Duratio ſeu Quantitas ex debitâ corporis conſervatione; Manife-

niſeſtum autem eſt ſpeculantibus Quantitatem, quòd Duratio compenſet Intenſionem. Fit itaque Prudentem, ſive intenſas voluptates rariùs carpat ſive moderatas frequẽtiùs, pares Voluptates habere. Quòd itaque Intemperans Temperante intenſiores Voluptates habeat, cum aliquali læſione corporis contingit; quæ, cùm non ſine dolore reparetur qui Voluptati contrarius eſt, palàm eſt Prudentem Imprudente plus harum Voluptatum carpere, & pleniorem eſſe his Voluptatibus Prudentium vitam quàm Aſotorum. Unde meritò à Sapiente introducuntur gementes quòd vias difficiles ambulaverint. Hæc autem non ſunt dicta ſimpliciter, ſed de illo genere hominum convenit ut per Voluptatum ſenſitivarum ſemitam ad æternam vitam perducantur.

9. Sed quæri poteſt an poſſit aliquis eſſe hominum gradus, cui ut perfectiſſimo ſummas Voluptates etiam ex his infimis ſenſibus trahere ſit conſentaneum. Neceſſe eſt autem hos homines in illâ altitudine perfectionis eſſe poſitos, ut fruitio Voluptatis nihil omninò infringat rigorem Rationis in exequendis quæ ad Vitam Æternam optima ſunt. Et quidem, ſi de Ethicâ conſideratione agatur talis ho-

hominum ſtatus non difficile mente apprehenditur, quod ſatis eſt ad potentiã Prudentiæ explicandam; & fortaſsis etiam particulares adeò perfecti etiam actu reperiuntur, ut, quamvis in multitudine actionum aliquid humani patiantur, tamen melius ſit illis, omnibus lucris per actionem perpenſis, interdum ſic labi quàm actionem abrumpere. Verùm, quoad quæſtionem Politicam, an conveniat ſupponi aliquem gradum hominum adeò perfectum, & accommodari circumſtantias tali gradui quaſi Homines de facto tales forent, ut alterius diſciplinæ eſt quærere, ſic nullum eſt in fæce noſtri ſæculi affirmationis fundandæ veſtigium.

TRUTINATIO QUARTA.

DE

De effectis Prudentiæ circa Beatitudinem.

1. EX dictis non eſt difficile in Quæſtionem Philoſophorum de Beatitudine inquirere. Utcunque enim vocibus Philoſophiam lacerent, hæc eſt, in ſummâ, una omnium ſententia, Beatitudinem ſitam eſſe in conſecutione Summorum Bonorum quæ in Naturâ ſunt: Putà Virtutis, Scientiæ, Divitiarum, Honoris ſeu Laudis, & Potentiæ, non ſine Sanitate etiam corporis perfectâ. Quorum Bonorum cùm pleraque, ut Sanitas, Divitiæ, Fama & Potentia, apertiſſimè à Fortunâ pendeant, clarum quoque eſt Prudentiam natam eſſe iis quibus Fortuna favet has tribuere. Sic enim hæc Fortunæ ſunt Dona ut niſi adſit Prudentia quæ Fortunâ uti valeat, nunquam alicui eventura ſint. Vis itaque Prudentiæ etiam hanc fèlicitatem, non cuilibet ſed fortunato homini tribuit; Unde aptè à Græcis εὐδαιμονία appellatur, quæ quaſi contingat à directione benigni Dei ſeu Genii, ſeu ut Theo-

Theologi loquuntur, Angeli Cuſtodis. Genius enim ſeu Dæmon familiaris apud Platonicos, etſi fermè per ſomninm, tale quidpiam exprimere videtur.

2. Declaratâ Prudentiæ vi quoad effecta, ſupereſt eandem quoad extenſionem ſeu quantitatem inveſtigare; hoc eſt, ad quantam hominum multitudinem ſeſe extendere ſit nata. Ad quam inveſtigationem auſpicandam præmittendum eſt pro ſtatuto, non aliam diſciplinam vel politiam ad perducendos homines ad Beatitudinem expectari aut poſſibilem eſſe, quàm quæ in Chriſtianâ ſive Catholicâ Eccleſiâ exercetur & diſcitur: Quæ, quantumvis in uno ſæculo vel pleniùs intelligatur vel accuratiùs in praxim exprimatur quàm in alio, & in unâ Provinciâ quàm in aliâ; Eadem tamen eſt, & ubi Optima & ubi Peſſima, modò maneat ſubſtantialiter integra. Quæſtio itaque eſt quanta Chriſtianorum multitudo vel Chriſtiani cenſendi ſunt ad Finem Ultimum Hominis ex vi diſciplinæ Chriſtianæ poſſe perduci, vel potiùs de facto eam attingere. Pro cujus myſterii elucidatione, in primis ad hoc intendendi ſunt oculi, ut, quis ſit ſtatus Animæ neceſſarius in ipſo exitu ad hoc ut non æternis mancipetur doloribus, eluceat.

3. Et quoniam Beatitudo eſt Ultimus Hominis Finis, Hominis autem ſecundùm Animam affectio non ſit aliud quàm judicium activum ſeu efficax de Bono concupito, clarum videtur hanc diſpoſitionem ut moriens habeat hoc Judicium fixum & inconcuſſum, quòd totum Bonum ipſius ſit poſitum in Bonis à Deo accipiendis in futurâ vitâ, ſeu in fruendo Deo (latè loquendo) eſſe abſolutè & neceſſariam, & ſi ſit rectè qualificata, etiam ſufficientem. Cùm enim non ſit aliud in Animâ à corporeis ſegregatâ quàm Intellectus & Voluntas, ſeu affectiones quæ utraque in actu continent, manifeſtum eſt nihil in ipsâ Animâ eſſe poſſe aliud quod ipſam intrinſecè perficiat in ordine ad Ultimum Finem. Alia autem cogitare neceſſaria ad potitionem Beatitudinis quàm intrinſeca ipſius Animæ non conſiſtit cum naturali progreſſu Theologiæ quem hactenùs ſecuti ſumus. Quæſtio itaque reducitur ad hoc, ut quodnam Judicium de Finali Bono ſit idoneum expiſcemur.

4. Pro quo advertendum eſt, dum in corpore verſamur, plura ad actionem noſtram concurrere quàm extra corpus, & Judicium fixum & determinatum non procedere ad actionem niſi adeò validum ſit ut

cur-

curſum ſpirituum naturalem vel ex conſuetudine ortum vincere poſſit. Alioquin actio ſequitur motum Spirituum, qui eſt immediata cauſa Actionis in nobis ſicut in cæteris Animalibus: Extra Corpus autem ſolis Judiciis agitur. Quare, ſi Iudicium de Bonitate fruendorum ſit ſolùm prædominans & tale ut Iudicia de cæteris bonis in Animo relicta poſt ſeſe trahere potens ſit, talis Anima languebit poſt Æternum Bonum, neque affectum ſubſtantialiter in alio collocare poterit. Et, quod ſequitur, ſi quando activa evadat in ſemetipſam, quod abſquē unione ad corpus contingere non poteſt, ſi corpus contingat proportionatum ipſi Animæ, illud ipſum & Iudicia reliqua aptabit Iudicio de Ultimo Bono; &, quod ſequitur, ipſo Summo Bono fruetur. Sufficiens itaq; diſpoſitio Animæ exeuntis ad Æternam Beatitudinē in Reſurrectione obtinendam, eſt Iudiciū inconcuſſum activum, hoc eſt, fortius reliquis Iudicis de ſolâ Bonitate perfectâ Bonorum Futuræ Vitæ.

5. Oſtēdit ſeſe hic aditus novæ quæſtionis, putà quando Iudicium neceſſarium eſt fortius cæteris, & quomodo hoc expendi poſſit? Repetendum proinde eſt ex Ariſtotele & Sancto Doctore ratiocinationē moralē, ſeu quoad agibilia, ſæpiſſimè intervorti à Cu-

piditate; quod ſic contingit. Videt homo quædã clariſſimè & inconcuſsè in cõmuni, nempe eligendam eſſe Actionẽ propter bonitatem Effectûs, repudiandã propter malã ſecutura: Sed dũ accingit ſe ad particularẽ actionem ex his principiis derivandam, intercurrit phantaſia non ſimplex & pura ut diſcurſui congruũ erat, ſed affectibus gravida, & Concluſionem ſecum ferens magis quàm permittens Intellectui eam elicere. Verbi gratiâ, Dictat Ratio quærendum eſſe victum, putà fructum congruum; ſubjicit Phantaſia in horto vicino eſſe Poma ſibi congrua; & abſq; eo quod relinquat liberum judicare Rationi an Poma ſint congrua vel ſanitati vel commoditati eſurientis, fertur ad ea rapienda, & rapit ſimul hominem cum Judicio illo communi quòd foret contrarium Rationi ſi diſquiſitio intercederet; non enim apparerent vel congrua Sanitati ſi fortaſſe nimis frigida ſint ſtomacho; vel fortunis, ſi periculum jacturæ propter rapinam trahat.

6. Ratio mali eſt quòd in Animali immediatum principium operandi ſit corporeum, & quantumvis non valeat ad actum procedere ſine ſpiritali Comparte, poteſt tamen ſine illâ imperante ſeu cum ipsâ miniſtrante actionem ordiri. Sicut enim in infantibus quo-

quodammodò totaliter regit & movet quò vult Intellectum, ſic in majoribus eandem activitatem ex parte retinet, non tam perſuadendi quàm adigendi ſuâ vi & impetu, quem reprimere non poteſt portio Spiritalis niſi cum adminiculo aliorum ſpirituum per exercitium ſuæ partiaggregatorū. Unde patet in Morte, Rationem & Principium Commune ſuam vim habiturum, niſi tempore Vitæ in ipſam Animam impreſſio ſequior facta ſit quæ eam extra corpus comitetur. Adductis itaque utrimque adverſis noſtræ litis cornibus, quæramus quid elici poſſit. Supponimus ex unâ parte hoc Judicium inconcuſſum, *Futuri ſæculi bona eſſe ſola bona*; ex adversâ parte collocamus in eâdem Animâ Judicia quædā quaſi languores quibus judicat Honorem, Imperium, Voluptatem eſſe appetenda; quod non repugnat priori Judicio, cùm ſimul haberi poſſint, & & verum ſit eſſe quodammodo appetibilia, modò non in comparatione ad Bona vel potiùs Bonum Futuræ Vitæ; Unicum ſed pluribus Metaphoris explicatum. Sic itaq; patet quod ſi Judicia de hujuſmodi Bonis quæ morti ſupervivunt in corpore ſubdita fuerint Judicio de Bono Futuræ Vitæ, illud trahet cætera ad ſe & ſalutem Animæ dabit: Sin talia fuerint, ut homo abſq; his neq;

Bonum Futurum æſtimet, illa trahent Animam in Damnationem, non obſtante Iudicio qualiquali de Bono Futuræ Vitæ.

7. Nunc ad actiones ex quibus menſura Iudiciorum coniicienda ſit devolvamus orationem, ſi priùs unam difficultatem evaſerimus. Videntur enim quidam eſſe qui terrore futurarum pœnarum abſtinent à malo, quòd autẽ afficiantur ad Bona Futuræ Vitæ vix aliquod veſtigium apparet. De his quæritur quis eorum ſit ſtatus in primo exitu Animæ. Sed, ſi Malũ ſit eſſe Bono privatum, quiſquis timet pœnas futuræ vitæ amat benè eſſe in Futurâ Vitâ; & quantumvis non deſcendat cogitatione ad qualitatẽ Bonorum Futuræ Vitæ, tamen in communi clarum eſt, quòd præferat benè eſſe in Futurâ Vitâ iis ipſis quæ concupiſcit in hâc vitâ. Unde licet ſtatus hujuſmodi videatur infimus omnium Iudiciorum de Futuro Bono quæ ſunt idonea ad æternam ſalutem conciliandam, quia in communiſſimâ ratione hæret ipſius Boni, tamen non poteſt negari & Iudicium de Bono vitæ Futuræ in hujus generis hominibus eſſe, neque eſſe activum, poſtquam illos ab illicitis continet. Et apparet æquivocum eſſe quod objicitur, quòd nullum amorem Dei habet vel Beatitudinis Æternæ, ſed tantùm Timorem: Ti-

Timor enim nō eſt de jacturâ rei non amatæ. Habet itaque Amorem ſed non videtur habere, quia adeò de communi ratione objecti eſt, ut dum applicatur immediatè particulari Bono, non videatur de illo eſſe. Amat itaq; Beatitudinē Futuræ vitæ, & conſecuturus eſt, quantumvis non diligenter intuentibus hoc non appareat ita ſe habere.

8. Contiguum eſt de ipſo Amore, qualem oportet eſſe, inquirere. Nam neq; Summum requirere permittit qui monuit *in domo Patris ſui plures eſſe manſiones*, & qui docuit *Stellam à Stellâ differre claritate*. Et, è diverſo, ratio docet non poſſe eſſe ullum aſſensū Veritati Practicæ qui non aliquo modo ſecum affectionem trahat vel includat. Medium proinde inquirendum eſt, & quod Metaphyſicè exprimimus, quis ſtatus ſeu quod Iudicium ſit ſubſtantialiter activum, quod non. Et nè nimiâ cōmunitate & quaſi laxitate vocis lapſemus, Notamus Vitā eſſe actionē à ſe: Tunc igitur Vita videtur ſubſtantialiter firmata, quando primò Animal ex ſeſe natum eſt Vivere, quaſi dicas cum ſeſe nutrire poteſt, neque ulteriùs indiget uberibus Matris, vel ſaltē illa ipſa quærere poteſt ſtimulante fama. Proportionaliter itaq; quando Iudiciū de Vero Fine humanæ naturæ adeò ſtabilitum eſt, ut monente Ratio-

tione ex ſeſe operari poſſit & conquirere media ſeu eligere actiones congruas eidem adipiſcendo , tunc dicetur Homo habere ſubſtantiam Judicii hujus ſeu ſtatûs Vitæ Chriſtianæ. Monens Ratio eſt illa quam Syndereſim appellamus in Moralibus. Dicitur autem Judicium poſſe operari ſi in quieto & tranquillo Animi ſtatu quando tentatione vel infirmitate immunis eſt, ſufficiens eſt perſuaſio quam habet conſtanter & ſuaviter ad actionem vitæ Æternæ congruam progredi; putà, ad Spem, deſideria & executionem congruam. Patet enim quòd, cùm Mors tentationes & infirmitates auferat, mens à corpore cum ejuſmodi judicio abſtracta, operatura ſit & converſura ſe ad Verum Finem & Beatitudinem. Si enim validas impreſſiones aliorum objectorum in ipsâ mente habeat, non poterit in quiete ſeſe ad Deum convertere; cæteræ enim impreſſiones, etiam in maximâ quiete corporeorum tumultuum , agunt & impediunt motum Animæ ad Verum Finem.

9. His firmatis palàm eſt duobus modis à perfectione activitatis deſciſci; per defectum activæ virtutis, & per oppoſitionem. Oppoſitio autẽ vel eſt ab intrinſeco vel ab extrinſeco: Defectus, vel in intelligendo vel in movendo. Oppoſitio extrinſeca per Ti-

Timorem operatur, & impedit exteriorem actionem;&,quod ſequitnr, interiorem retundit, ſi non deſtruat. Hujuſmodi ſunt quos nos Schiſmaticos tempore Perſecutionis appellare ſolebamus,qui de nullo Fidei Articulo dubitabant, ſed jacturam opũ & miſerias Perſecutionis ſubire non audebant, Privatas orationes Catholicè legebãt,quandocunq; auderent auxilio erãt pro fide laborantibus & patientibus; cupiebant etiã Catholico ritu vivere, & querebantur de imbecillitate ſuâ. Quid de his cenſendũ? Et videntur quidẽ ſententiã Salvatoris condemnari, requirentis Confeſsionem ſui ſub pœnâ Negationis coram Patre ſuo.

10. Verùm,ſententia illa largior eſt conditionibus noſtræ propoſitionis. Plerúnque enim non-confeſſio trahit ſecum ipſius Judicii interioris deſtructionem, & ſic in ſe ipsâ conſiderata damnationem infert. Sed una conditionũ à nobis propoſitarum eſt, quòd Iudicia & affectus ad Bonum Æternũ integra maneant,et ſi debilia; quæ non facilè apparere poſſunt ubi exterior actio deficit. Propterea, quoad forũ exterius hi quaſi proditores Fidei & Infideles habendi ſunt. In interiori autem Iudicio Dei, ſi verè Iudicium maneat in iis ſyncerum & ſerenum, *tanquam per Ignem ſalui erunt.* Notandum

enim, quod non pauci Iudicium corruptum habeant, & quamvis Fidem Catholicam potiorem & ſolam veram exiſtimet, non tamen valere jacturam Bonorum Temporalium arbitrantur; in quibus patet ipſum Iudiciũ Animæ eſſe corruptum, &, quod ſequitur, eos in ſtatu perditionis vivere. Hi autẽ de quibus præfati ſumus, fatentur Vitæ Æternæ conſecutionem mereri jacturã Bonorum Temporalium; ſed, dum manus mittenda eſt, trepidant & deficiunt.

11. Oppones, cùm Schiſmaticus totam vitam degat in apprehenſione & terrore peccati quod excutere ſuâ ipſe culpâ refugit, clarè ſuo ipſius Iudicio eſſe damnatum & præferre bona temporalia Æternis. Et, quoad priorem quidem partem facilè reſpondetur, parùm intereſſe quid ipſe de ſe judicet, cùm & multi Viri Religioſi fallantur in Iudiciis de ſe factis. Quoad poſteriorem verò partem videtur diſtinctione utendum, & fatendum quòd de facto ex vi circumſtantiarum ſuo actu & infirmitate carnis præferat bona temporalia æternis; ſed, quòd, quoad actum Internum & Iudicium debile & per circumſtantias impeditum quò minùs ad opus exeat, credat aliter agendum in his ipſis circumſtantiis; &, quod ſequitur, meritò damnare ſuũ

Actum,

Actum, & judicare præferendum eſſe Bonum Æternum temporali & *agere* (ut Apoſtolus loquitur) *quod non vult malum*. Si enim judicat ſpeculativè ſe benè agere ſeu hoc agendum eſſe, non eſt in priori & propriâ ſpecie Schiſmaticorum, ſed in poſteriori & ab ipsâ Fide alienus. Nulla tamen ſecuritas accreſcit perſonis horum vel ſimilium peccatorum ex hoc dicto. Cùm enim non ſint Conſcientiæ ſuæ periti Iudices, ſed illam ex ſolis actibus Externis æſtimare valeant, palàm eſt ſummum tremorem & infirmiſſimam ſpem ipſorum conditioni competere.

TRUTINATIO
QUINTA.
Proſecutio eorundem.

I. Oppoſitio Intrinſeca cauſatur à cupiditate, cujus videntur tres quædam ſpecies communem Chriſtianorum vitam dividere. Sunt enim qui totaliter quodammodo Pietatis vias negligunt, ſi ſacras actiones aliquando obeant, hoc ad ſpeciem & nè infamiam incurrant factitant, non affectu Pietatis; in reliquis vitæ partibus vel Utili-

tatẽ vel Honorem, vel Voluptatem ſequuntur. Attamen, ſi quando Mors ingruerit, quaſi evigilantes è ſomno Vanitatem vitæ ſuę conſpiciunt, & amarè lugent anteactam, & toto corde cuperent & aliam egiſſe & aliã agere, ſi periculo præſenti evadant. Et de his nullum fermè dubium eſt, quin Iudicium de Bonis Patriæ prævaleat in exitu Animæ.

2. Alia ſpecies eſt quæ Incontinentium ſolet dici; qui viciſſim bonam actionem cum malâ miſcent; ut quoties conditionibus malè agendi immunes ſunt, verâ pænitentiâ, ſed infirmâ & imbecilli, conantur bonam vitam; ſed tentationibus pleriſque vincuntur, & cedunt. His videtur minùs negari poſſe aditus Paradiſi quàm prioribus: patet enim exercitium Iudicii idonei frequens, & quamvis quoad actionem interpolatum tamen in habitu conſtans & perpetuum; ſed imbecille neq; ad operationem, niſi ſit commoda, exiturum; quam cùm conſtet in obitu non defuturam, clarum eſt quodnam de illis judicium ſit faciendum. Audacior eſt de tertiâ ſpecie confidentia, illos loquor qui exercitia pietatis conſtanter exercent, orandi conſuetudinem in proprio ſenſu fundatam habent; quantumvis de reliquis Vitæ partibus in ordine ad Beatitudinem collocandis parùm ſolliciti ſint, ita tamen ut quodam-

dammodo negativè curent, ne quid gravis offenſæ incutrrant; Et ex prædictis clarum eſt quid de his cenſeri æquum ſit.

3. Defectum diximus alium eſſe *S*cientiæ, alium Motionis. Defectus Scientiæ formalis non poteſt nocere Chriſtiano, niſi enim ſciat Deum eſſe & eſſe Remuneratorem his qui ſerviunt ei, non accedit ad Deum, neq; Chriſtianus eſt. Et, quamvis aliqui ignorant cultum Animæ & actuum Interiorum qui neceſſarius eſt ſaluti; quia tamen actus exteriores non poſſunt perfici naturali modo quin influant in Animum, habent ipſum quem ignorant cultum, quantum ſufficit ad ſalutem. Cæteræ autem Cognitiones neceſſariæ ſunt magis ad Motum; hoc eſt, ad hoc ut hæc Scientia ſi activa & operetur in Chriſtiano, quàm ad ſpeculationem; & proinde quodammodo Inſtrumentales ſunt ad hanc radicandam & ad opus producendam.

4. Defectus vero Motionis alius eſt verus, alius apparens. Obtigerint enim aliqui quibus in ipſo Mortis articulo non poſſis perſuadere ut de Animâ & rebus Futuri *Sæ*culi cogitent, adeò conſuetudine notorum objectorum toti trahuntur, quamvis durante vitâ præſtiterint, ſicut cæteri, officia Chriſtiana. Et videtur ortum trahere à ſtupore non naturali, ſed nato ex converſatione & uſu

uſu audiendi ſacras monitiones abſque ſenſu aliquo. Unde, ſecnndùm illud axioma quòd à conſuetis non fiat paſſio, nihil magis moventur ex propinquitate mortis neq; reflectunt ſuper anguſtiis illius, quia nihil novi audiunt; & magis hærẽt iis de quibus admodũ ſolliciti fuerunt, & propterea deſiderium Boni Futuri non augetur in iis. Qualis itaque effectus fuit in priori vitâ talem perducunt uſque ad exitum: Articulo mortis in iis nihil mutante præ hebetudine & ignaviâ, vel ſimpliciter, vel quoad ſpiritualia. De his itaq; judicandum erit quaſi inopinâ morte prævenirentur ab ultimo actu & præparatione ad Mortem.

5. Hinc monemur etiam de cæteris inquirere, quid de iis cenſendũ ſit qui à morte ſubitaneâ præoccupati ſpatium præparandi ſe per pænitentiam non invenerint. Et quidem quoad illos qui certo habitu verſus Beatitudinem fixo totam vitam conterunt, palàm eſt Mortis præparationem facere mutationem duntaxat quoad magis & minus, & proinde quoad ſubſtantialem ſtatum idem de ipſis Iudicium ferendum ſive inopinatè moriantur ſive præparati. Hi ſunt qui timore acti obſervari præcepta videntur, & quos Schiſmaticos appellari diximus, etſi vitio quod propriè *Schiſma* appellatur

non

non ſint tincti. Inter reliquos videtur in Incontinentibns non eſſe corruptum Iudicium Subſtantiale, ſed impeditū duntaxat & ligatū à præſenti paſſione, & propterea etiam in morte repentina poſſe quandoq; de illis benè ſperari. De iis conſequenter qui conſtanter Sacrorum memoriam colunt, vix videtur dubitari poſſe quin Iudicium quoq; incorruptum ſit, quantumvis perſeverantiùs actiones peſſimas perſequantur: Unde nequiores affectus magis eſſe in iis radicatos conſtat, non tamen habere qualitatem affectuum circa Ultimum Finem. Tertia conditio eſt illorum qui nunquam ſeriò cogitant de Vitâ Æternâ ſed ad ſpeciem ſolummodo: Neque videtur in his Iudicium ad ſalutem idoneum omninò radicatum eſſe, ſed nomine tenns duntaxat eſſe Chriſtianos, neque aliter Fidem profiteri quàm quia non ſunt ſolliciti quid in eo genere agant, & propterea conſuetudine regionis ſuæ utantur.

6. Vicina admodùm his eſt diſpoſitio rudium & hebetum verùm difficiliùs dijudicanda: Incertum enim eſt in iis quo ptincipio regantur quoad Spiritalia; nempe an Intellectu & motu mentis propriæ quaſi reverâ judicent Ventura Bona præſtare præſentibus, an verò purè motum alienum ſequantur in actibus religioſis adeò ut eos agen-

gendos exiſtiment propter mundi æſtimationem non æternitatis. Et hæc poſterior conditio non liberat ab Æternâ Infelicitate; cùm non ſit affectus Animæ ad objecta, ſed ad impellentes & Mundi circumſtantis motus : prior autem Dominos ſuos in inferiori quodam ſtatu, ſed tamen ſubſtantialiter idoneo collocare nata eſt. Ex his videtur concludi poſſe longè majorem partem Chriſtianorum ſaluti æternæ deſtinatam eſſe, quantumvis ſecundùm diverſitatem ingeniorum & culturæ in diverſis regionibus ſummoperè varietur proportio, nam Prudentis & experti Viri eſt judicare pro ſuâ diœceſi, hoc eſt pro eâ parte populi de cujus moribus experientiam habet, à quibus ad cæteros per conjecturam magis quam Certitudinem progredi poterit.

7. Verùm, non eſt ſic relinquendus hic locus ut non medeamur immani vulneri quod inflictum videtur vel Univerſali Eccleſiæ Praxi uſque ab initio, vel propoſitæ doctrinæ. Palàm enim eſt perpetuo Pœnitentiæ curſu in Eccleſiâ, hoc principium indubitatum eſſe quemcunque qui unum actum deliberatè adverſus Legem Dei perpetravit à ſtatu Gratiæ & Salutis excidiſſe, & non niſi per Pœnitentiam reparari poſſe; quæ etſi pro varietate ſæculorum vel loco-

rum

rum gravior vel mitior impoſita fuerit, tamen deberi aliquam pro quolibet uno exceſſu ad gratiam Dei recuperandam, Univerſalis eſt doctrina, cùm nos ex adverſo docere videamur etiam per multas violationes mandatorum Dei non ex neceſſitate concludi hominem extra ſtatum ſalutis collocari. Reſpondeo, quod ſi quæſtionem accuratè diſſecemus, inveniemus latere duas; Unam quæ de Iudicio Dei quærat, aliam quæ de Iudicio Humano: ſeu quæri poſſe de Peccatore an ſit in ſtatu ſalutis quoad ſe, & an ſit in ſtatu ſalutis quoad nos; hoc eſt, utrùm judicandus ſit à nobis eſſe in ſtatu ſalutis, ſeu utrùm in Uſu & Moribus Eccleſiæ habendus ſit pro Chriſtiano in ſtatu ſalutis conſtituto. Et ſtatim ſeſe prodit quòd neceſſum ſit Prædicationes, Exhortationes, Canones & quæcunque alia ex uſu Eccleſiæ inſtituta & exercitata, ſecundùm poſteriorem hanc quæſtionem & edita eſſe, & intelligenda: Priorem autē quæſtionem purè ad Scholas & Scientiam Theologicam attinere.

8. Unde patebit reſolutionem à nobis datam nihil omninò in Eccleſiaſticâ diſciplinâ, neque Fori Externi Epiſcopalis, neq; Fori Interni Sacramenti Pænitentiæ immutare, ſed utrumque Forum in ſua praxi conſervare, quia ſcilicet actus Iudiciales ex allegatis

legatis & probatis progredientes non poſſunt pertingere ad diviſionem Animæ & Spiritûs & Iudiciorum Rationis, quantum à purâ Ratione quantum à Paſſione & mixturâ trahant, ſed hoc ſoli Deo reſervatum eſt, maximè in ſpeciali. Præterea, nos qui ex facie judicamus & interiora hominis non videmus, non habemus aliud teſtimonium actuale de interiori Hominis diſpoſitione quàm actum externum deliberatè & citra paſſionem viſibilem editum, & per conſequens ex illis fingere & pronuntiare ſententiam videmus. Sed hæc doctrina Theologorum ad manifeſtationem Virtutis Paſſionis Chriſti, & Utilitatis Animabus ex Fide accedentis, & Sanctitatis Eccleſiæ, & tandem conſolationem infirmorum nè deſperent de ſalute illorum quos amant, quibus contigerit poſt vitam neglectiorem Mortem ſubjiſſe non egregiâ pietate ſpectabilem, ſuum valorem & pretium habet. Adde Meticuloſorum & Iudicia Divina horrentium conſolationem; qui cùm Spem factam iis qui minorem curam Animæ ſuæ habent compererint, à deſperatione faciliùs retrahentur. Decernere verò quid juxta inſtituta Eccleſiaſtica hominem è ſtatu Gratiæ dejiciat palàm eſt ſpectare ad Iura poſitiva, neque ad nos ulteriùs attinet quàm

quàm fortaſſis quòd ſit facinus in æſtimatione Iuris & converſationis humanæ, & graviter puniendum per illius Decreta. Malè autem aſſumit objectio nos docere unum quemlibet actum deliberatum non tollere Gratiam Dei. In hoc enim cum aliis Theologis conſentimus: *S*ed quid faciat actum deliberatum, in quo multùm diſſident Theologi nos quoque diſputamus; & requirimus ut ejuſmodi ſit, ut impediat Fidem Perſonæ, de quâ quæritur, per Charitatem operari.

9. At quoniam plures gradus ſalvandorum commemoravimus, & docet Eccleſia aliquos immediatè poſt Mortem, alios morâ intercedente ad Beatæ Viſionis fruitionem pertingere; has differentias quæ præviæ in hâc vitâ diſpoſitiones diſcriminent, operæ pretium eſt inquirere. Neq; difficilis eſt indagatio. Cùm enim viſio Beatifica ſit Finis Naturæ & Creationis noſtræ, palàm eſt diſpoſitionem ad ipſum æque totam Naturam ſeu omnes vires Naturæ occupare debere. Non itaq; eſt aptus Viſioni Beatificæ in quo reſidet alius Amor quàm ſolius Dei: Amor enim eſt totæ Vires Naturæ humanæ. Palàm itaque eſt eos omnes quorum Animæ ſpoliatæ omni affectu ad temporalia exiſtunt, per ipſum actum *S*eparationis imme-

mediatè ad Viſionem Beatificam migrare', quos inter patentiſſima eſt cauſa Martyrum, cùm ipſe actus Martyrii ſit diſerta commutatio omnium concupiſcibilium vitæ pro Æternâ Gloriâ. Si quis verò minimum quemlibet affectum ad quælibet temporalia ſecum deferat, expectanda eſt illi immutatio,& ille Ignis quem commemorat Apoſtolus, cui triplicem materiam ſubjicit; aliam combuſtibilem, quæque in cineres redigatur,ut fœni,ſtipulæ,ligni;aliam purgabilem, qualis eſt æris, argenti & auri; & ſupremam intactilem, quæ eſt gemmaria.

10. Hæ materiæ tribus fructuoſis terris Salvatoris Parabolâ expreſſis adaptari natæ ſunt;& ne puras Allegorias ſectemur,Cùm perfectio Chriſtiana ſit poſita in amoreBeatitudinis, qui non poteſt eſſe perfectus quamdiu temporalia commoda afficiunt animum, Temporalium verò commodorum ad Homines triplex ſit in ordine ad Deum comparatio; quibuſdam enim ſubſidio ſunt, & ſine illius non æquè perfectè ſequerentur ſtudium Beatitudinis; aliis ſunt oneri & impedimento ad Vitam Beatam conantibus; nam neque appetitum omninò ſuperare poſſunt, & vident tamen appetitum ipſorum eſſe inconvenientem, & lugent diſtractionem Animæ ſuæ, & per ab-

ſtinen-

ſtinentiam ab iis exercent ſe ad contemptum illorum ; Supremi ſunt qui utantur Mundo quaſi non utantur, qui ſciunt abundare & aporiari, ſeu neceſſitatem pati ; & hi ſunt qui centuplum fructum ferunt, & quaſi Gemmæ reſiſtunt Igni : Hi neque curant temporalia ſi abſint, neque gravantur iis ſi adſint: Et hæc eſt diſpoſitio quæ propria eſt Prælatorum ; Infima diſpoſitio eſt Plebeiorum, quorum omnia opera in cineres redigi & quaſi conſumi nata ſunt ; videntur enim non ad aliud ſervire quàm ut tutentur arcem Charitatis quæ in ſummo Animæ reſidet; dico in communi conſideratione, nam reipsâ etiam actus ipſorum nutriunt & augent Charitatem in ſuâ mediocritate, & horum eſt fructus trigeſimus. Medii, ſive ſint Laici, ſive Regulares, ſive Sacerdotes Animarum ſub Epiſcopis ſaluti invigilantes, duplum fructum priorum ferunt, quandoquidem quaſi expreſſiùs & formaliùs ſuarũ Animarum culturę & Spiritualibus propter ſeipſa invigilant, & corporea nõ negligunt, ab iis quoque adjuvantur & quaſi ſuſtentantur. Hi itaq; ſexageſimum fructum ferunt, & per Ignem Conflagrationis detrimentum patiuntur, manente ſubſtantiâ actionum.

11. His tribus Salvandorum gradibus Chriſtus Dominus tres damnandorum ſpecies

cies ex adverſo numeraviſſe viſus eſt: Quorum peſſima portio eſt *juxta viam ſedentium*; qui monita Spiritûs Sancti ſeu garrulitate Sophiſtarum, ſeu converſatione beſtiarum auferri vel conculcari permittunt; ex eo videlicet quòd nullam de futuro ſæculo & ſpe futurâ ſollicitudinem habeant. Deinceps, hos comitantur *Molles*, quibus apparet Beatitudo digna proſecutione donec moleſtias incipiant ſentire; tum verò in tantum cedunt ut videantur iis ſomnia & nugæ quæ de Futurâ Vitâ docentur. Tertia ſedes eſt illorum quibus Naturæ bonitas non deeſt, ſed perpetue occupationes ſive voluptatum ſine Cupiditatum Honoris & Potentiæ non faciunt locum curæ ipſius Animæ & Futurorum Bonorum.

Et ſic, quantum Æterna Sapientia illuminare dignata eſt, totus humanæ vitæ progreſſus ab Fine illo à Naturâ præſcipto, & primis quaſi Animalibus affectibus, uſq; ad terminum ab omnipotente Bonitate præfixum delineatus eſt.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE